
NAZIONALE
13
1 D
14
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE

DE INTERDICTI SENTENTIA DISSERTATIO.

Autoribus Nic. Tedeschi, et Justo Fontanini.

DE ECCLESIASTICI
INTERDICTI
SENTENTIA
Nec ullum ob metum
VIOLANDA,
Nec subjectorum judicio
EXPENDENDA,
Ex occasione Sicularum Censurarum,
DISSERTATIO.



Usque ad MORTEM *certa pro justitia.*
Ecclesiast. 4. v. 33.



Melior est OBEDIENTIA, *quàm* VICTIMÆ: *&* AUSCULTARE *magis quàm* OFFERRE *adipem arietum. Quoniam quasi* PECCATUM ARIOLANDI *est*, REPUGNARE: *& quasi* SCELUS IDOLOLATRIÆ, *nolle* ACQUIESCERE.
1. Reg. 15. v. 22., & 23.



ANNO MDCCXV.
SUPERIORUM PERMISSU.

Profectò ſtabimus,& pugnabimus USQUE AD MORTEM, ſi ità oportuerit, pro Matre noſtrâ.

*Bernardus epiſt.*221.



LECTORI

Typographus.

DISSERTATIONEM *jampridem ſcriptam, & Clariſſimorum Virorum manibus verſatam, nunc verò typis noſtris excuſam in publicum lucemque proferimus. Mantiſſæ loco bina Documenta ad Cauſam ſpectantia, atque ab Authore ipſo promiſſa ad ejuſdem calcem adjecimus: luculentiſſimam videlicèt SS. Dñi Noſtri* CLEMENTIS PP. XI. *Conſtitutionem die ſextâ Novembris anni* 1714. *promulgatam, quâ metûs, aliæque in obſervando Interdicto excuſationes reiiciuntur; & Gregorii* PP. IX. *in idem facientem, nec hactenùs editam Epiſtolam Decretalem ad Bracharenſem Archiepiſcopum datam. Diſſertationis argumentum graviſſimum profectò eſt: An pro dignitate pertractatum, tuum erit judicare. Vale.*

INDEX

INDEX
TITULORUM.

PRÆFATIO.

DISSERTATIONIS PARS I.
ISAGOGICA.

§. 2.

DISSERTATIONIS PARS II.

De Interdicti sententiâ nullum ob metum violandâ.

CAP.

§. 2.

DISSERTATIONIS PARS III.

De Interdicti sententiâ subjectorum judicio non expendendâ

DOCU-

PRÆFATIO.

SATIS explicare non est, quàm acerba & gravis fuerit calamitas, quæ, turbis nuper in Siciliæ Regno inter Sacerdotium Imperiumque excitatis, Sacrosanctam Dei afflictavit Ecclesiam, ejus libertate atque immunitate protritâ, anathematum vinculis conculcatis, Episcopali Potestate ac Dignitate depressâ, ipsius insuper his Pontificis Summi nec monitis nec jussis, ea quâ par fuerat, obsequentis animi reverentiâ exceptis, atque utinam non etiam contumaciter spretis, in maximum populorum scandalum, & Apostolicæ Sedis contemptum. Ad quas tristes miserias, molemque ingentem malorum ex eo calculus accessisse videri poterat, quòd remedia, quæ ad accepta vulnera curanda adhibita fuerant, non tantum sperato destituerentur effectu, sed ex iis quoque ipsis, novas plagas infligendi obstinatior temeritas occasionem arriperet; itaùt inde ingravescerent & integrarentur injuriæ, unde allevamentum & emendatio manare debuisset, omnibus propterea, qui Domûs Dei zelum habent, conquerentibus: *Sustinuimus ad pacem, & non fuerunt bona: ad tempus sanitatis, & ecce turbatio* [A].

(A) *Ierem. cap.* 15. *transl. ex Septuag.*

Etenim, cùm præstantissimi Præsules, Cataniensis, & Agrigentinus (recentiùs verò Liparensis etiam Vicarius) è suis sedibus, quòd, pro injunctâ sollicitudine, accisa Ecclesiæ jura & libertatem, quâ Christus eam donavit, asserendam

curaverint, insigni furiarum genere exturbati, dirumque in exilium abacti, prædictas Civitates & Diœceses, præviis ejusdem Apostolicæ Sedis mandatis, & confirmationis robore subsequuto, generali Interdicto innodassent, juxta Sacrorum præscripta Canonum, & servatum à Patribus institutum; quò nimirum Ecclesia vim passa, præsertim cùm proprio spoliatur Pastore, hâc sibi ratione adversus grassantem audaciam consuleret, facinoris atrocitatem canonicæ ultionis severitate compescens; ac *tali obice*, ut Yvo Carnotensis in hanc ipsam rem [A] loquitur, *posset malitiæ torrens à solito præcipitio retineri, intraque debitos limites coerceri*; Secularis nihilominùs Magistratus, despectis censuris Episcopali & Pontificiâ latis authoritate, sacrilegis ac minabundis Edictis Ecclesiasticos jussit Divinis se temerare.

(A) Epist.94. Paschali Summo Pontifici.

Ex illis autem, qui pro Siculæ nationis spectatâ religione animique præsentiâ, pro Sacerdotali fortitudine, in caritate Christi, quæ foras mittit timorem, atque in sanctissimo illo nexu, qui Fideles omnes, nedùm Ecclesiastici Ordinis viros, cum Episcopis suis & Apostolicâ Sede copulat atque connectit, constantissimè obfirmati, injunctum scelus exhorruerunt; in hos tamquam sceleris compertos reos acerbè sęvitum, bonorum expilatione, exiliis, carceribus. An ergo ea tempora advenerint? de quibus Sanctissimus Pontifex [B] quasi vaticinans ait: *In opprobrium fides, & veritas erit in crimen. Tantò quippè despectior unusquisque erit, quantò justior esse potue-*

(B) D. Gregor. in cap. 30. Text. B. Iob cap. 17.

tuerit: tantò abominabilis, quantò laudabilis: Tempora eò infeliciora, magìsque deploranda, quòd *ad dexteram Orientis calamitates* ſuas *ſurgere* videat Eccleſia, ideſt non *ab aliquibus extra Religionem poſitis, & apertè Chriſtum negantibus perſecutionis adverſa ſuſtineat*: Verùm *hi, qui ſub Chriſti nomine militant, Chriſti in eâ nomen impugnent* [A]. Sed ferociant ipſi, tot graviſſima mala irrogando; levia ſanè iis videbuntur, qui cruces etiam, ſecures, & quidquid ingerere valet crudelitas, juxtà tolerare parati fuerint, ut digni habeantur pro JESU Chriſti nomine contumeliam pati: ſi contumelia dicenda eſt, ex quâ vera & ſolida in hâc quoque mortali vitâ oritur gloria, bonorum omnium judicio ac ſapientum.

(A) *Idem ibidem cap.18.*

Alii verò, heu pudet referre! à patriâ virtute, ac tam illuſtribus exemplis deſciſcentes, ſuique muneris & obligationis immemores, nec ponentes Dominum firmamentum ſuum, qui præcingit virtute, & eripit de inimicis fortiſſimis, ad primum minarum ſtrepitum conſternati, ſe impiis juſſibus exequendis coinquinarunt. Heu ſocordes! Heu degeneres animi! antequàm ſtaretis, jam lapſi; antequàm pugnaretis, jam victi; plenam ignominiæ potiùs ſecuritatem quęrentes, quàm pulchra ſanctaque adire pericula! Sed quid de ſecuritate cogitetis, dum jugo colla ſupponitis? dum in viliſſimam conceditis ſervitutem? Falsâ quietis ſpecie deluſi eſtis, cùm re verâ bellum vobis pararetis, tantò terribiliùs, quantò latentiùs; catenaſque vobis ipſi ſtrueretis, eò duriores, quò

fuerit, *Filii Matris meæ pugnaverunt contra me* [A]. Ex iisdem enim Siculis Ecclesiasticis eò nonnullorum impudentior audacia processit, ut linguis suis dolosè agentes, ac falsæ doctrinæ insanias evulgantes, turpis illius metûs excusatione, quo nulla indignior Ecclesiastico pectore nota; quem verè Christiana mens prorsùs concipere nesciat, Hieronymo idoneo authore, dum ad Heliodorum scribit [B]: *Cur timido animo Christianus es?* Aliàsque cùm docet [C], iniuriis, juxta Christi dogmata, irrogantes ipsos affici, non patientes: *Apud Christianos, non qui patitur; sed qui facit contumeliam, miser est*: turpis illius metûs excusatione, inquam, ignaviæ suæ patrocinari, & violati Interdicti crimen defendere non erubuerint: Novissimè verò, editis etiam in publicam lucem libellis [D], in Apostolicam Sedem seditiosis, calumniis in suos Prælatos refertis, ac propterea longè severiori sententiâ, quàm illâ Cham filii Noe [E], damnandis; speciosam tamen septem Theologorum ac Canonistarum authoritatem præseferentibus, novi de industriâ obtenti sunt rationum colores, non tantum ad eamdem metûs excusationem subornandam; sed ad districtas etiam censuras, injustitiæ ac nullitatis, temerariâ præsumptione, coarguendas. Nimirum, ut Gregorius Magnus advertit, id *in culpâ deprehensis* familiare admodum est, quod *dum quales sunt, cognosci refugiunt, sese sub fallaciæ velamine abscondunt; & hoc quod peccant, quodque jam apertè cernitur, excusare moliuntur; itaut sæpè is, qui eorum culpas*

(A) *Cant. cap. 1. v. 5.*

(B) *Epist. 5. aliàs 1.*

(C) *Epist. 15. aliàs 77.*

(D) Risposta di sette Teologi, e Canonisti al Voto stampato in Colonia Agrippina nell'anno 1714. il cui titolo -- „ Votum sex in „ Sacra Theolo- „ gia Magistro- „ rum, &c. -- *Tractatus hic cũ suo Corollario evulgatus est mense Novembri labentis anni 1714*

(E) *Vid. Can.* Sententia, *Can.* Plerumque, *aliique* 2. q. 7.

corripere studet, aspersæ falsitatis nebulis seductus, penè amisisse se videat, quod de iis jam certum tenebat [A]. *Per Civitates illas munitas, super* quas Sophonias *vim Divinæ animadversionis intendit, quid aliud*, idem Sanctus Doctor ait [B], *exprimitur, nisi suspectæ mentes, & fallaci semper defensione circumdatæ; quæ, quoties earum culpa corripitur, veritatis ad se jacula non admittunt?* Fortasse haud satis visum fuerat, debitam Sanctæ Matri Ecclesiæ obedientiam exuisse, ejusque prævaricatos esse judicia, nisi gravissimam hanc injuriam jure irrogatam contenderent; & subjectionis frenis omninò abjectis legibusque dissolutis, sub suum illa vocarent examen, & iniqua etiam ac infirma pronunciarent: atque ita commissa sua, obtegendi prætextu, novo flagitio cumularent; aliosque, vel nutantes, hoc pacto in eamdem transgressionis labem impellerent; vel adhuc stantes, è proposito dimoverent; vel denique jam collapsos, in contumaciâ obfirmarent; Unde meritò querelas suas iteraret Bernardus [C]: *Scinduntur, proh dolor! Vestes Christi; idque ad cumulum doloris, ab his, à quibus resarciri debuerant.*

(A) *Pastoral. par. 3. cap. 12.*

(B) *Ibidem paulò inferiùs.*

(C) *Epist. 216.*

Hæc mihi agitanti diù deliberandum non fuit, ut Dissertationem hanc conscribere aggrederer, in quâ malui, ob doctrinæ & eruditionis inopiam, infra causæ dignitatem aliquid dicere, quàm nihil omninò dicere. Dum enim perniciosæ alicujus doctrinæ pestis excitatur, ex iis præsertim, quibus nexus legum laxantur, qualis ea est, quæ ad meticulosos Clericos excusandos obtruditur;

cùm

cùm nil facilius sit, quàm quòd statim latè serpat, & ad vulgi animos inficiendos pervadat: etsi oppidò periculosum, & odiis expositum sit, hujusmodi perniciem, ea quâ opus est libertate, compescendam curare; piaculi tamen loco haberi potest; si ex hoc ipso id præstare omittamus, & verum dicere confundamur. Ne ergo imperitis illudi, fucumque fieri contingat, vanissimas vanitates, quas ii, qui mala inquirunt, loquuti sunt, literisve mandarunt, refellendas, ac penitus dissipandas impręsentiarum suscipimus: ita tamen ut mens nostra sit, non tam illos instanter scriptis insectari, quàm causam ipsam, circa metûs præsertim excusationem, jampridem à nonnullis involutam, Doctorum placitis sanè intellectis, sublatis æquivocis, quæstionum varietate notata, verisque hujusce rei principiis exploratis, penitus prorsum enucleare. Operæ autem pretium ita nos fecisse arbitrabimur, si Interdicti Ecclesiastici transgressores, ad meliorem mentem (quod ipsis summoperè optamus) redeuntes, cognitam sui criminis gravitatem condignâ emendatione corrigere, & censurarum laqueis, quibus undequaque sunt irretiti, ab Apostolicâ benignitate sategerint explicari: Eorum verò malesuadi Patroni, quorum titulos & decora veneramur, ingenii laudes non contendimus, falsas tantum detestamur opiniones, ad veritatem maturè revocati, deceptos se potiùs fuisse, quàm deceptores ostenderint. Felices sanè lucubrationes nostras, & benè impensos labores appellabimus, si ita res cedat, atque hisce

votis

votis effectus responderit: *Et verò*, ut nuperi Ecclesiasticæ Libertatis Athletæ, quàm opportunè hâc in re verbis utamur [A], *quis novit, an Christus Mundi Salvator, quique nonnisi modico sputo lumen cæco restituit, quis inquam novit, an ad* eorum *curandam cæcitatem, operâ meâ, hoc est vilissimo instrumento, uti velit, quò magis divitias gloriæ suæ ostendat, absolutamque illam potestatem, quâ omnium cordibus dominatur?*

(A) *Apud Sfondr. Gall. Vindic. dissert.* 1. §. 8. *docum.*63.



DIS-

DISSERTATIONIS
PARS PRIMA
ISAGOGICA.

PRIUSQUAM exceptionibus, quas exadverso pro licitâ Interdicti violatione prætendunt, pleniffimè præscribere aggrediamur, cùm ex eo fonte in nonnullis hujus censuræ contemnendæ facilitas promanasse dignoscatur; quòd nimis parcè & exiliter de ejus origine, & praxis utilitate sentiant; non incongruens propterea erit, aliqua de illius antiquitate, & necessariâ in Ecclesiâ institutione, & usu prælibare: ex quibus gravissima ejusdem servandi obligatio consequetur.

CAPUT I.
De Interdicti Antiquitate.

§. I.

Reiiciuntur qui Alexandrum III., qui Gregorium VII., qui Synodum Lemovicensem II. Interdicti Authorem voluere. Diluitur, quam huic censuræ obiiciunt, criminatio. Nonnulla de veteri ac novâ Ecclesiæ disciplinâ attinguntur.

EORUM primùm se nobis refellendam offert garrulitas, & inconsultissima persuasio, qui Alexandro III. Pontifici Inter-

dicti

De Interdicti Antiquitate

dicti inventum & ordinationem attribuunt, non alio argumento freti, nisi quòd apud Gratianum nulla hujus rei mentio reperiatur. Quid verò facilius fuerit, quàm huic Gratiani silentio, si tamen verè res ita se habeat, silentium imponere? Ejus enim Decreto & proximè & longissimè antiquiora, & luculenta omnino hujus censuræ supersunt monumenta; atque ea neque pauca, neque ex abditæ eruditionis sinu tenebrisque eruenda, sed apud vulgatissimos Authores prostantia. Mitto tot Interdicta à Romanis Pontificibus Gratiano ipsi coævis, & Alexandri III. longâ serie prædecessoribus, Adriano nimirum IV.[A], Anastasio IV.[B], Eugenio III.[C], Innocentio II.[D], Honorio II.[E], Callisto II.[F], Paschali II.[G], atque Urbano item II.[H] aut ostensa tantùm, aut inflicta per diversa loca, aut, cùm ab Episcopis lata essent, rescissa ab ipsis, vel confirmata. Mitto pariter quorum per eadem tempora meminere Scriptores, ut Divus Bernardus[I], Paulus Æmilius Veronensis[K], Henricus Senonensis[L], Stephanus Parisiensis[M], Abbates & Clerici Parisien-

(A) *Epist. 1., & 2. apud Dacher. Spicil. t. 3. pag. 501. & 502.*

(B) *Epist. 3., 4., et 5. ibid. pag. 497., & seqq.*

(C) *Epist. 4., 5., & seqq. ibidem pag. 479., & seqq.; Vid. etiam Div. Thom. Cantuar. epist. 136. lib. 1. edit. Christ. Lup.*

(D) *Epist. Rainaldo &c. in actis Synod. Iotrensis Concil. Labb. tom. 10. col. 977., & Epist. ad Conradum Salzburg. Episcopum in append. ejusdem tom. 10. col. 1843., & epist. Stephano Parisien. Episcopo cit. tom. 3. Spicil. pag. 155.*

(E) *Epist. ad Canonicos Turonen. Concil. tom. 10. cit. col. 1843., & apud Dacher. cit. tom. 3. pag. 149.*

(F) *Epist. 29. cit. tom. 10. Concil. col. 851., & Spicil. eod. tom. 3. cit. pag. 149.*

(G) *Epist. 52. ad Gallos Concil. cit. t. 10. col. 673., & Spicil. eod. t. 3. pag. 469.*

(H) *Vid. Iuret. ad epist. 46. Yvon.*

(I) *Epist. 46., 47., 220., 246. &c.*

(K) *De reb. gest. Franc. in Ludov. VII.*

(L) *Epist. Stephano Parisien. cit. tom. 3. Spicil. pag. 158.*

(M) *In respons. ad dictum Henric. ibid. pag. 159.*

rifienses[A], Vvilhelmus Malmesburiensis[B], Goffridus Vindocinensis[C], aliique; de quibus, ubi res feret, redibit sermo. Transeo etiam Canonem primum Concilii Pictaviensis[D], anno 1100. celebrati; in quo eadem sententia librata est. Sexaginta & amplius ante Alexandrum III. annis, Interdicto ut censurâ ordinariâ passim usos Galliç Episcopos, unius Yvonis Carnotensis satis testantur epistolæ[E]; quarum nonnullas ante XI. seculi clausulam exaratas scimus[F].

Sarpium, eique adjunctos Theologos, qui memoratam epocham effutierant, satis rejectos putavit Bellarminus, Interdictum obiiciendo, quod Gregorius VII., anno 1073. Pontificatum adeptus, in Poloniæ Regnum excusserat. Id verò intelligens M. Antonius de Dominis à conjuratis sociis recessit quidem, sed juxtà atque illi audacter insciteque ad novam æram præfigendam prosiluit, à Gregorio VII. primam manum huic telo admotam, ineptiens[G]; cùm si hujus Pontificis tantum gesta[H], & epistolas[I] consulere curasset, interdicendi morem vulgò & ubique jam tum receptum, exploratum profectò habuisset.

Sextus à Gregorio in Romano Throno præcesserat Leo IX., qui Richardi Aversani Comitis rapaci aviditate commotus; Landulpho enim defuncti Pandulphi filio, Capuanum Principatum, armis in eum irruens, ademerat; *Capuam & Beneventum perrexit, & utramque Civitatem diris detestationibus obligavit*[K]. Paulò antè solverat Leo Interdictum, quo anno 1047. à Clemen-

te

De Interdicti Antiquitate

(A) Epist. ad Innoc. II ibid. pag. 161.

(B) De reb. gest. Angl. libr. 5. in Henric. I.

(C) Lib. 1. epist. 17.

(D) Apud Baronium anno 1100.

(E) Epist. 3., 46., 50., 61., 94., 111., 121., 264., 266. &c.

(F) Vid. Iuret. in nou. observat. ad epist. 62. Yvon.

(G) De Republ. lib. 5. cap. 9. n. 38.

(H) Apud Bolland. die 27. Maij, & aliis locis infra citandis.

(I) Lib. 1. epist. 81., lib. 2. epist. 5., & 23., libr. 7. epist. 16. & 18.

(K) Sigon. de Regn. Ital. libr. 8. anno 1052.

De Interdicti Antiquitate

te II. Pontifice idem Beneventum devinctum fuerat [A].

(A) *Idem ibidem anno 1047.*

Non peritiùs alii Interdicti originem à Synodo Lemovicensi II. repetendam putant. Perperam Baronius, & post eum Binius, qui hujus Concilii fragmenta quædam ediderunt, anno 1034. collocarunt: tribus enim antè annis habitum fuisse, invictissimè probant notata per Gabrielem Cossartium; cujus diligentiâ ferè integrum in lucem prodiit [B]. Dignum sanè memoratu est hujus Concilii statutum, non tam pro Interdicti antiquitate, quàm pro Interdicti antiquo rigore animadvertendo: ita enim distinctè hujus censuræ prohibitiones omnes recensentur, ut multò plures tum fuisse deprehendantur, quàm posterioribus seculis in usu fuerint. Excommunicationis nomine Interdictum exprimunt Patres Lemovicenses, ut Tertullianus [C] Interdicti nomine Excõmunicationem expresserat. *Decernere* ibi *medicinam oportuit, quã contra generalem morbum* Episcopi *adhiberent*; dum *Seculares Potestates Ecclesiam Dei quietam esse non sinebant, pauperes & Ministros Ecclesiæ affligebant, de pace audire nolentes*. Odelricus, Pater familiæ Beati Martialis, ita rogatus tulit sententiam suam, universis Episcoporum suffragiis concorditer confirmatam: *Nisi de pace acquieverint, ligate omnem terram Lemovicensem publicâ Excommunicatione, eo videlicet modo, ut nemo nisi Clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus adveniens, aut infans à bimatu & infra, in toto Lemovicinio sepeliatur, nec in alium Episcopatum* ad

(B) *Vid. Concil. Labb. & Cossartij to. 9. col. 869. & seqq. ibiq. not.*

(C) *Lib. 4. adversum Marc. cap. 24.*

ad sepeliendum portetur. Divinum Officium per omnes Ecclesias latenter agatur; sed Baptismus petentibus tribuatur: Circa horam Tertiæ signa sonent in Ecclesiis omnibus; & omnes proni in faciem preces pro tribulatione, & pace fundant. Pœnitentia, & Viaticum in exitu mortis tribuatur: Altaria per omnes Ecclesias, sicut in Parasceve, nudentur, & Cruces & ornamenta abscondantur; quia signum luctûs, & tristitiæ omnibus est. Ad Missas tamen, quas unusquisque Sacerdotum, januis Ecclesiarum obseratis, fecerit, altaria induantur, & iterum post Missas nudentur. Nemo in ipsâ Excommunicatione uxorem ducat: nemo alteri osculum det: nemo Clericorum aut Laicorum tondeatur: nemo radatur, quousque districti Principes & Capita populorum per omnia Sancto obediant Concilio.

De Interdicti Antiquitate

Hæc generalis Excommunicatio nil impedimento erat, quominùs certi quidam criminis Authores & Fautores privatim, & nominatim anathemate ferirentur. Morem hunc præsertim circa cessationem ab universis Divinis Officiis, exceptis morientium Pœnitentiâ ac Viatico, & parvulorum Baptismo, diù multùm, quin severiùs aliquando servavit Ecclesia: Sed de hâc severitate posteriora secula plurimum remiserunt. Innocentius III.[A], Gregorius IX.[B], Innocentius IV.[C], Gregorius X.[D], sed omnium maximè Bonifacius VIII.[E] Interdicti rigorem mitigarunt.

Ex horum Pontificum Constitutionibus, quibus Interdicti prohibitiones paulatim amputatæ ac diminutæ sunt, parùm æqui in ejusmodi censu-

(A) *Cap.* Responso *de Sent. Excomm. & cap.* Quod in te *de pænit., & remiss.*
(B) *Cap.* Permittimus *de Sentent. Excomm.*
(C) *Cap.* Quia periculosum *de Sent. Excomm. in 6.*
(D) *Cap.* Si Canonici *de Offic. Ordinar. ibid.*
(E) *Cap.* Alma Mater *de Sentent. Excomm. ibid.*

De Interdicti Antiquitate

ram Scriptores, inter quos Dupinus, illi obtrectandi argumentum desumunt. Non equidem audent ipsi *omnem Interdictorum usum damnare*; quid enim aliud hoc esset, quam Conciliorum, Pontificum, imò Ecclesiæ universæ praxim atque institutum damnare? Idipsum tamen est quod mussant, dum molesta Ecclesiæ ipsi, ac periculosa esse Interdicta ex eo probare conantur, quòd memorati Pontifices fibulam huic rei iniiciendam, medendumque putarunt, præsertim Bonifacius VIII., qui *in cap. Alma Mater* quamplurima inde consurgere mala consuevisse, perpendit.

Sed aut loquuntur Scriptores isti de Interdicto nondum tot moderationibus delinito; & verum quidem est, populi indevotionem, aliaque mala, quæ Pontifex describit, in locis Sacrorum usu destitutis persæpè pullulasse, aut pullulandi periculum fuisse; sed quid hoc præsentem disciplinam attinet? Neque verò ejusmodi pericula ac damna in censuram ipsam, sed contrà potiùs in ejus inobservantiam fuerant refundenda. Quæ enim pietatis dispendia fuissent, si Fideles à Sanctâ Matre Ecclesiâ eo cæsi flagello, festis ac lætis quibuscumque abstinentes, *omnes proni in faciem* assiduè *preces pro tribulatione, & pace funderent?* ut Lemovicensis Canon præscribebat. Aut verò de Interdicto juxta præsentem disciplinam intelligunt; eccur ea mala jactant obiiciuntque, quibus jam diu est, quòd congrua adhibita sunt medicamenta? Quippe iis malis consulturus Bonifacius VIII., multa de Interdicti severitate remisit;

Cæ-

De Interdicti Antiquitate

Cæteris, ut ait, *quæ circa observationem Interdictorum à nostris sunt Prædecessoribus instituta, in suo robore duraturis*. Quòd si ex novo jure Evangelii prædicatio, & Sacramenti Confirmationis administratio concessa: Pœnitentia nedum infirmis, sed sanis etiam omnibus indulta: Missas, aliaque Divina Officia singulis diebus celebrari permissum; ostiis tamen clausis, submissâ voce, & sine campanarum pulsu; imò etiam ostiis apertis, altâ voce, & prævio campanarum pulsu, in festis Nativitatis, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Virginis; aliæque factæ relaxationes, itaut Interdicto, ut ipsi ajunt, *nihil fermè præter Interdicti nomen relictum sit*, quid per illud Ecclesiis divina obsequia subtrahi, Clerum ad Sacra peragenda remissiorem fieri, Populum in moribus sylvescere, & detrimenta pati Religionem conqueruntur? Porrò adeò nunc attemperata res est, ut & quæ Interdictis permissa sunt, ad Religionis cultum, & Pietatem conservandam, excitandamque satis esse queant; & ex eorum, quæ negantur, doloris sensu ac molestiâ, intentus per censuram finis obtineri possit. Sotus [A], quem adversus Interdictum testem appellant, favorabilis omninò est; nimirum hanc ipse *rem* vocat *Ecclesiæ gubernaculo necessariam*. Illustrius est Goffridi Vindocinensis, viri & morum sanctitate, & doctrinâ conspicui, testimonium [B]; qui gratias Yvoni Carnotensi persolvens, quòd, pro suæ Ecclesiæ tuitione, cuidam Comitis Vindocinensis Castello Sacris interdixerat; rogansque, ut eâdem censurâ totum

(A) *In 4. distinct. 22. qu. 3. art. 1.*

(B) *Epist. quam refert Iuretus in observat. ad epistol. 266. Yvon.*

De Interdicti Antiquitate

illius Comitatum afficeret, *utile* id, *& valdè necessarium* remedium appellat. Quin etiam illud Hieronymi in epistolâ [A] ad Heliodorum, *Solum pietatis genus est in hâc re esse crudelem*, in eo ipse propositi usurpat, & ad negotium suum deflectit.

(A) *Cit. epist. 5. aliàs 1.*

Sed monent Zelotę nostri, *non nisi cautè, ac rarò utendum Interdicto*. His consiliariis tutoribusque, pędagogis hisce non indiget Sancta Dei Ecclesia, cui Christus advigilat, quam regit Spiritus Sanctus. Novit ipsa Canones condere, leges ferre, ac sibi ipsi à malorum incursu cavere. Ad preces Tolosani Comitis, nuper in Ecclesiæ gratiam suscepti, plures à Gregorio IX. datæ epistolæ sunt [B]; quibus Episcopis inhiberet, ne in evibrandis in illius terram Interdictis, nimiùm faciles essent. Ad eamdem intemperantiam coercendam, instante Sancto Ludovico Galliæ Rege, suspensa est ab Innocentio IV. Archiepiscopis, & Episcopis omnibus authoritas, ne Regnum possent Sacris privare, nisi ex speciali Papæ mandato [C]. Bonifacius quoque VIII. generali Constitutione [D], in levioribus quibusdam causis Interdicti fulmine Episcopis interdixit. Alia insuper in eamdem rem, tum Pontificum sunt, tum Conciliorum Statuta; Satis ergo Ecclesiasticis Legibus provisum, ne ex Interdictis inconsultò prolatis incommoda in Ecclesiam sequantur.

(B) *Epist. 53., 57., & 59. Spicil. tom.3.*

(C) *Epist. 18. relat. à Thomasin. discipl. p. 1. lib. 1. cap. 6. n. 13.*

(D) *Cap. Providè de Sentent. Excomm. inter Extravag. comm.*

Eædem rationes, quibus Summi Pontifices ad eas moderationes inducendas se stimulatos expressere, Episcopis etiam nonnunquam antea suaserant, ut non uno impetu, toto Interdicti tonitru

Diœ-

Diœcefes concuterent; fed in plures id fententias dividerent, per quas gradatim cenfuram aggravando, prout res exigeret, progrederentur. Argumento fit Mauricius Rotomagenfis Archiepifcopus, ad hanc Sedem à Trecenfi anno 1231. per Gregorium IX. translatus; qui, ut Ecclefiæ bona affereret, à Regiis Adminiftris occupata, primùm juffit tam feculares, quàm regulares Ecclefias confuetum lętumque omnem apparatum exuere, Sacrafque Imagines fpinis obductas in mediâ navi collocari. Deinde, cùm facrilegi nil eâ trifti Ecclefię fpecie commoti, in fcelere perfifterent, omnibus Regiis Cappellis Sacra abftulit, excepto fi Regem aut Reginam adeffe contigiffet: interdixit Cœmeteriis, interdixit cæteris Ecclefiis à campanarum fonitu, & folenni Divinorum Officiorum modulatione. Demum, contumaciâ durante, Diœcefim cunctam rigidiffimo Interdicto conclufit [A].

(A) *Epift.* 3., 4., & 5. *in Spicileg. tom.* 3. *pag.* 521. & *feqq.*

Pergamus modò quò cœptum erat. Suprà dictam Synodum Lemovicenfem, Bituricenfis prę iverat; ex quâ, nifi ejus acta interiiffent, eamdem Interdicti formulam haberemus. Etenim ex ipfius Lemovicenfis actis colligitur, idque laudatus Coffartius [B] notat, tractatum *ibidem effe de compefcendis privatis bellis, & pace firmandâ; & eos, qui pacem & quietem recufarent, eodem fuiffe percuffos anathemate, iifdemque concepto verbis, quibus in Lemovicenfi. Excommunicationem igitur quam illic leges, hujus quoque Concilii partem effe ftatue.*

(B) *Cit. tom.* 9. *Concil. col.* 869.

At quòd ante utramque Synodum Interdicti ufus jam in Ecclefiâ invaluerat, quin etiam ipfum

De Interdicti Antiquitate

interdicendi vocabulum fuerat usurpatum, Fulberti epistolæ documento sunt [A]. Circa finem X. seculi floruit clarissimus hic Carnotensium Episcopus, Episcoporum, Principum, ac Regum sui temporis Magister nuncupatus & Doctor. Fulberto coęvus fuit Avesgaudus Cenomanensis Antistes; quem, ob Ecclesiæ arcem iniquis iis temporibus refugii causâ extructam, & ab Herberto Comite solo per injuriam æquatam, in actis Pontificum Cenomanensium memoriæ traditur, Comitem *totumque Episcopatum suum excommunicasse* [B], seu *Ecclesiastico multasse Interdicto*, ut Sammarthani Fratres [C] loquuntur; qui etiam Fulberti eâ de re epistolam adducunt.

(A) Epist. 3., 19., 57., 93., & 105.

(B) In Analect. Mabillon. tom. 3. pag. 299.

(C) In Gallia Christiana tom. 2. in catal. Pontificum Cenomanens.

§. 2.

Interdictum Alduino Lemovicensi antiquius ostenditur, testimoniis ex IX., VIII., ac VII. Seculo.

REJECTARUM opinionum falsitatem aliorum opinio arguit, qui Interdicti institutionem ad annum 994. reiiciunt, moti verbis Ademari Sancti Eparchii Encolismensis Monachi; qui id genus censuræ recentius, & ab Alduino Lemovicensi Episcopo ad praxim adductum sub prædictum annum credidit; Proptereaque *novam observantiam* vocavit [D].

Septem nostri Theologi ac Canonistæ, allegato Natali Alexandro, qui vix aliquot ex adductis testimoniis, ab aliis jam collecta, in suam corrivavit

(D) Chron. sui ad ann. 994. in Chronic. Aquitan. excusi.

vit Theologiam [A], Interdictum Alexandro III. antiquius ultrò fatentur. Nos hìc eos eorumque peregrinam etiam, si ita libet, eruditionem laudamus, eo præsertim titulo, quòd aliorum septem Theologorum, qui olim in simili causâ operam suam navarunt, quorumque ipsi cæterà sunt deliramentis addicti, cautè contagionem evaserint, Interdictum ut novam censuram carpendi. At longè etiam à veritate aberraverint, si non alium Ducem sequantur, quàm Natalem; qui, in Interdicti antiquitate vestigandâ, prædicto anno 994. cum Ademaro subsistit.

De Interdicti Antiquitate

(A) Tom. 5. lib. 2. cap. 4. art. 1.

Sed quàm supinè deceptus sit Ademarus, cujus authoritate alioquin non contemnendâ doctissimi plerique viri se abripi passi sunt, post hos Natalis, non pauca è superiorum temporum scriniis testimonia petita commostrant. Haud rarò per IX. seculum cùm Concilia, tum Scriptores Interdicti localis, etiam generalis, meminere. Triburiensi Synodo [B] anno 895. celebratæ, ut dissidentes Patroni ad concordiam revocarentur, Ecclesias Interdicto fore supponendas visum fuit: *Episcopus tollat inde reliquias, & sub magnâ curâ honorificè collocet eas; atque ejusdem Ecclesiæ claudat ostia, & sub sigillo consignet ea; antequam concordi unanimitate unum omnes eligant Presbyterum, qui idoneus sit, Sacrosanctum locum procurare, & Populo Dei utiliter præesse.* Quem Canonem etsi breviatum adducit tamen Gratianus [C]. Raymundus etiam, verbis paulisper immutatis, in suam retulit collectionem [D].

(B) Cap. 32.

(C) Can. Si plures 16. q. 7.

(D) Cap. 2. de Iurepatr.

Ali-

De Interdicti Antiquitate

Aliquot antè annis S. Methodius Moravus floruerat; quem, narrat Æneas Sylvius, ad ulciscendam injuriam Ecclesiæ pariter ac Sacerdotio illatam, in Moraviæ Regem anathemate, in ejus verò Regnum Interdicto animadvertisse [A]: *Regem extra Ecclesiam fecit, Regnoque Sacris interdixit.*

(A) *Histor. Boem. lib. 1. cap. 13.*

Latè grassante Rotgarii, viri uti potentioris, ita nefarii perversique, furore & immanitate, in Cenomanensem præsertim Ecclesiam, quam impiè deprædatus fuerat, Guntherius, qui ad eam regendam circa annum 884. assumptus fuit [B], dum tristi ac querula de ejusmodi angustiis & oppressionibus oratione, damnum ac dolorem suum lamentatur: IPSA, ait, ETIAM CIVITAS TOTA, ET OMNES ECCLESIÆ *ob ipsius irrevocabilem perfidiam tandiù* AB EPISCOPIS GENERALITER A MISSARUM SOLENNIIS, ET OFFICIO DIVINO EXCOMMUNICATÆ MANSERUNT, *quandiù ipse sacrilegus, & sui in eâdem pertinacitate, & feritate steterunt* [C]. Quàm communem, & pervulgatam hanc censuram tunc fuisse oportet, quæ AB EPISCOPIS GENERALITER infligebatur?

(B) *Vid. Fratres Samarth. loco cit.*

(C) *Analect. Mabill. cit. t. 3. pag. 286.*

Cùm non meliùs Romana Ecclesia, atque ipsa Apostolica Sedes à Lamberto Spoletano Comite, & Adelberto Tusciæ Marchione habita fuisset, ingentibus in eam malis per summam nequitiam, ac vi hostili irrogatis, memorant Annales Francorum ad ann. 878., Joannem PP. VIII. Divi Petri Basilicę Sacris interdixisse: *Altare Sancti Petri cilicio cooperuit, & cuncta ostia ejusdem Ecclesiæ clausit, nullumque ibi Officium ad Dei cultum pertinens per plu-*

res

res dies celebratum est. Hoc idem Joannes ipse testatur literis ad Ravennatensem Archiepiscopum datis [A]: *Nam ipsis diebus nec vestis fuit super altare Sancti Petri, nec aliud ibi nocturnum, vel diurnum Officium ex more celebratum*. Ex eo, quod Sigonius [B] habet, graviorem eam censuram, quàm his verbis appareat, fuisse colligo. Scribit enim, ut Joannes parùm se tutum in Urbe existimans, in Gallias fugere destinat; ac post renovatum in impios grassatores anathema, iter suum aggreditur, *cum preciosissimis Sanctorum Corporum reliquiis*. Quod Interdicti typus erat. Propè ergo à vero absfuerit, toto absentiæ Pontificis tempore, Romæ Sacris cessatum.

De Interdicti Antiquitate

(A) Epist. 84. tom. 3. par. 2. Concil. Bin.

(B) De Regno Ital. lib. 5. ann. 878.

Anno 870., regnante Carolo Calvo, Hincmarus Laudunensis Episcopus, jurium Romanæ Sedis assertor fortissimus, atque in Ecclesiasticis Annalibus sæpe memoratus, ob suorum Presbyterorum culpam, totam Parochiam Interdicto devinxit. Ex quâ aliisque causis gravis inter ipsum, alterumque Hincmarum, ejus patruum, Remensem Archiepiscopum, virum ut doctrinâ illustrem, ita proterviâ ac criminibus famosum, contentio coorta est. Cujus rei eumdem Hincmarum Remensem testem habemus, in opusculo LV. Capitulorum [C]: in quo plurima capita sunt, quæ si percurras singula, verum Interdictum, suis fulguribus instructum, ac vero nomine insignitum animadvertes; itaut & Divina Officia, & Missarum solennia cessaverint, & vivis Ecclesiastica Sacramenta, & mortuis sepulturæ fuerit commendatio denegata. Ad an-

(C) Cap. 28., 29., 30., 31., & 32. Oper. Hincm. tom. 2. pag. 377. & seqq. edit. Sirmondi. Vid. etiam ejusdem Hincm. vit. & epistol. nonnull. ad hanc rem spectantes tom. 8. Concil. Labb.



De Interdicti Antiquitate

annum 813. pertinet Concilii Cabilonensis II. statutum; quod Triburiensi exemplum præbuisse videtur[A]: *Præcipiatur ab Episcopo Civitatis, ut nullo modo ibi Missarum solennia celebrentur, donec illi ad concordiam redeant, & pari voto, atque consilio Ecclesia illa Sacerdotem canonicè habeat, qui liberè ibi suum ministerium peragere possit*. Haud omisit hoc decretum Raymundus[B]; perperam tamen Mediolanensi Concilio tribuit; nec feliciùs Burchardus[C], & Yvo[D] ex Synodo Mediomatricis laudant; ex quâ nullos extare Canones, Sirmondus notavit.

(A) Cap 26.

(B) In cap. 1. de Iurepatr.

(C) Lib.3. cap.43.

(D) Par.3. cap.46.

Luculentius verò est testimonium Concilii Niceni II., sive generalis VII. anno 787. sub Adriano PP. I. celebrati; in quo cùm tantum prohibuerint Patres[E], ne *propter auri exactionem, vel alterius cujuslibet speciei, aut propter proprium affectum* Interdictum infligeretur; profectò ejus praxim legitimâ causâ urgente approbasse, dicendum est; quod Rousselius ipse non diffitetur[F]; & multò antiquiorem eam fuisse, cùm jam abusus in eâ insurrexerant, quos oportuit aboleri.

(E) Can.4.

(F) Histor. Iurisdict. Pontific. lib. 8. cap.1.

Simile est argumentum, quod à Synodo Toletanâ XIII.[G] anno 683. habitâ, ducitur. Post *loci* enim, *& dignitatis privationem* in eos sancitam, qui ex privato dolore, inconsultè, aut nequiter & perperam aliàs Interdicta edicunt, seu *malitiâ*, ut ait, *intercedente, Divinæ servitutis cultum ab altaribus Christi subducunt; qui obstinatæ mentis dolositate confusi, cùm aliqua eos molestia fraternorum jurgiorum pupugerit, insanâ illicò temeritate abrepti*, AL-

(G) Cap.7.

ALTARIA NUDANTES SACRATIS VESTIBUS EXUUNT, LUMINARIA SUBTRAHUNT, AC DIVINORUM SACRIFICIORUM CULTUM, MALITIA INTERCEDENTE, SUBDUCUNT: ſtatim *illas procul dubio perſonas ab hâc ultionis ſententiâ ſeparandas* decernit, quas *aut contaminationem Sacrorum Ordinum, vel ſubverſionem Sanctæ Fidei metuentes, aut hoſtilitatem, vel obſidionem perferentes, ſeu etiam Divinorum judiciorum ſententiam metuentes, tale feciſſe contigerit.*

De Eligio Sanctiſſimo Noviomenſi Epiſcopo, Apoſtolo Flandrorom dicto; qui uſque ab anno 665. diem clauſit extremum, Sanctus Audoënus Rotomagenſis Epiſcopus, illius vitæ ſcriptor literis prodidit, eum *aliquando cùm Diœceſim ſuam viſitaret*, ut moris eſt, *quâdam ex causâ interdixiſſe, ne curſus, ideſt preces canonicæ, & Sacrificium celebraretur in Baſilicâ quâdam, donec ipſe juberet.* Subdit Audoënus, latam ſententiam, ad frangendum inobedientis Presbyteri temeritatem, miraculo à Deo probatam: eamque Sanctum Præſulem, *tametſi erat clemens & benignus*, nullis precibus adductum, ut ſolveret, *niſi præcederet ſatiſfactio* [A].

(A) *In vita S. Eligii lib. 2. cap. 20. quod* de ſingulari efficaciâ Indicti, &c. *inſcriptum eſt.*

§. 3.

§. 3.

De Interdicto per sex priora Ecclesiæ Secula.

QUOD si quis hoc VII. seculo pedem fixerit, & in eo Interdicti natales constituat; nos ad utrumque cumprimis Gregorium, qui VI. seculo floruere, Magnum nempe, & Turonensem provocamus. Ex Primi siquidem decretis, in legibus Longobardorum [A], apud Burchardum [B], apud Yvonem [C], & Gratianum ipsum [D] capitulum allegatur; in quo statuitur, ut excitatâ discordiâ inter Ecclesiarum Compatronos, seu Conditoris cohæredes, *in Episcopi potestate maneat, utrum eas consistere permittat, aut reliquias inde auferri velit*. Quod ad Interdictum pertinere, ex superiùs adductis liquet. Hanc autem allegationem nullo asterisco notarunt, neque Gregorii XIII. emendatores, neque Antonius Augustinus. Est sanè, qui ex Concilio Cabilonensi restituendam putaverit: sed huic minimè assentimur, cùm, licèt utriusque Canonis sententia conveniat, verborum tamen contextus longè diversissimus sit.

(A) *Lib. 3. tit. de Episc. & Cleric. leg. 44.*

(B) *Lib. 3. cap. 41.*

(C) *Par. 3. cap. 45.*

(D) *Can.* Considerandum *16. q. 7.*

Quidquid autem de hoc sit, alia certè apud Gregorium loca sunt, quæ de Interdicto eâ ætate usitato dubitare non sinunt. Exorto, nescio quo ob *Jurisdictionem Ecclesiæ* dissidio inter Joannem Episcopum Syracusanũ, & Venantium Patricium *Exmonachum*, Joannes Venantii personæ, atque

ejus

ejus Sacello Divinis interdixit. Re ad Pontificem perlatâ, pacem inter eos reformari curavit, huic rescribendo, ut suo Præsuli *Sacerdotalem reverentiam exhiberet*[A]: illi verò, *quatenus & oblationes antedicti Viri omninò in dulcedine, & Deo placitâ deberet sinceritate suscipere, & in domo ipsius Missarum peragi mysteria permitteret.*[B]

(A) *Epist.* 43. *lib.* 6. *alias* 42. *lib.* 5.

(B) *Epist.* 44. *lib.* 6. *alias* 43. *lib.* 5.

Cùm alter Joannes, *Episcopus de Urbe Veteri* in Hetruriâ, nullâ justâ exigente causâ, Sancti Georgii Cœnobium severo Interdicto afflixisset (quæ vexationes, cùm frequentes tum essent, Regularium exemptioni causam præbuere) graviter illum increpuit Pontifex, & iniquam censuram rescindi jussit: *Agapitus Abbas Monasterii Sancti Georgii insinuavit nobis, plurima se à Vestrâ Sanctitate gravamina sustinere: & non solum in his, quæ necessitatis tempore aliquod Monasterio possint inferre subsidium; verùm etiam quòd in eodem Monasterio* MISSAS PROHIBEATIS CELEBRARI; SEPELIRI ETIAM IBIDEM MORTUOS INTERDICATIS. *Quod, si ita est, hortamur à tali vos inhumanitate suspendi,* & SEPELIRI IBIDEM MORTUOS, VEL CELEBRARI MISSAS, *nullâ ulteriùs habitâ contradictione,* PERMITTATIS[C]. Ferè integrum capitulum hoc in Decretum relatum est[D]. Vides, quot locis falsum arguit Gratianus altum illud de Interdicto locali silentium, quod nonnullis perperam ei tribuere libuit.

(C) *Epist.* 12. *lib.* 1.

(D) *Can.* Agapitus 16. *q.* 1.

De muliere quâdam adulterii insimulatâ verba faciens Turonensis, propter quam anno 579. in ipsâ S. Dionysii Basilicâ in vico Catholacensi rixæ

De Interdicti Antiquitate

primùm, deinde cædes factæ fuerant, Divinum propterea Officium inibi cessasse testatur: *Sauciantur multi, respergitur Sancta humano cruore Basilica, ostia jaculis fodiuntur, & ensibus; atque usque ad ipsum sepulcrum tela iniqua desæviunt; quod dum vix mitigatur, locus officium perdidit*. Hęc in Historiâ Francorum [A]. In libro verò de Gloriâ Confessorum [B] aliud Interdictum tradit, cui Aquensem Ecclesiam, à Childerico, *qui tunc primus apud Sigebertum Regem habebatur*, villâ quâdam violenter spoliatam, Franco Episcopus anno 566. subjecerat, luminibus ad altare extinctis, Divinis Officiis intermissis, Templi januis obseratis, omnibusque ad tristitiam compositis, donec Sanctus Confessor Metrias, Ecclesiæ Patronus illatam injuriam propulsasset: *Ad Urbem*, inquit, *rediit* (Franco); *atque prostratus in orationem coram sepulcro Sancti, dicto psalmi Capitello ait*, NON HIC ACCENDETUR LUMEN, NEQUE PSALMORUM MODULATIO CANETUR, *Gloriosissime Sancte, nisi priùs ulciscaris servos tuos de inimicis tuis; resque tibi violenter ablatas Ecclesiæ Sanctæ restituas. Hæc cum lacrymis effatus, sentes cum acutis aculeis super tumulum projecit; egressusque*, CLAUSIS OSTIIS, *similiter in ingressu alias collocavit*. Patrati sceleris pœnas dedit Childericus, ægritudine correptus, quâ integrum duxit annum; licèt verò in extremis agens, pœnitentiam præsetulisset, & ablata Ecclesiæ restitui curasset; haud tamen convaluit; sed morte ejus piaculum luendum fuit, Antiochi exemplo renovato [C].

Levio-

(A) *Lib. 5. cap. 33.*

(B) *Cap. 71. Memorat. etiam Baron. ann. 579. n. 16. & Carolus le Cointe Annal. Eccles. Franc. ann. 566. n. 3.*

(C) *Turon. Baron., & le Cointe loc. cit.*

De Interdicti Antiquitate

Levioris forsan momenti id genus testimonia illis videbuntur (sunt enim ejusmodi tum ex heterodoxis, tum ex nostris nonnulli, iique doctissimi etiam viri), qui de Interdicto generali tantùm, an semper in Ecclesię praxi fuerit, dubitavere: ea verò *Interdicta, quæ locum spectant*, aut particularem aliquam Ecclesiam, *ab omni antiquitate christiana usitata fuisse, rei ipsius naturâ evidenter demonstrari*, non diffitentur: Sed ea potiùs quàm Interdicti, Cessationis à Divinis nomen mereri; atqueadeò memoratæ Synodi Triburiensis, Cabilonensisque, ac Sancti Eligii, & cætera post hæc superaddita exempla, parùm ad præsens argumentum facere, existimarunt.

Verùm id primò nos his considerandum obvertimus, num objecta distinctio iis temporibus, de quibus agimus, congruat. Præterquamquòd enim promiscuè ac communiter veteres Scriptores Interdicti, ac Cessationis à Divinis vocabula passim usurpant; cùm præterea hujus secundæ natura sit, ut in particularem tantùm Ecclesiam, & locum feratur, nullo personis impedimento affectis, quò minùs in aliis Ecclesiis ad Sacra convenire liceat; haud facilè tunc eam locum habere potuisse crediderim, cùm vix una Ecclesia nedum in vicis pagisque, sed in parvis etiam plerisque urbibus reperiretur.

Primis tribus seculis nullas ruri Ecclesias fuisse, nec in Urbibus alias præter Cathedralem, ex Actis ipsis Apostolorum, Divi Pauli Epistolis, & Apocalypsi coniicere licet; ubi de clariorum

De Interdicti Antiquitate

urbium Ecclesiis, Episcopis, & Presbyteris frequens mentio; de Parochialibus verò ruri Ecclesiis, Presbyterisve nulla omninò. Scripsit epistolas suas Ignatius ad maximarum urbium Ecclesias; in iisque ita de Episcopis, & Presbyteris loquitur, ut eos nunquam invicem separet, nusquam dispergat per agros; nec alteram Ecclesiam in urbe memorat præter Cathedralem. Hinc autem fiebat, quod à Justino [A] edocemur, die nempè Dominico Fideles omnes tam in Civitate, quàm ruri sedem habentes, non in plures Ecclesias, sed in eumdem locum ad sacra mysteria ab Episcopo percipienda congregari consuevisse: *Solis die omnium, qui in urbibus, vel in agris degunt, in eumdem locum conventus fit . . . Præpositus preces, & Eucharistias facit*. Uno itaque die, una Missa, in Ecclesiâ unâ, & ab uno Episcopo in singulis urbibus celebrabatur. Quinimo tanta fuit illa primorum temporum penuria, ut pluribus etiam urbibus, neque iis parvis, ab uno nonnunquam Episcopo Sacra essent ministranda. Narrat de Sancto Materno Harigerus Lobiensis [B], tribus Civitatibus, quibus Pontificali jure præerat, eodem Paschatis die, Divina peregisse.

(A) *Apolog. 2.*

(B) *De Gest. Pontif. Tungrensiū &c. cap. 14. in collect. Jo: Chapeavilli Can. Leod. tom. 1.*

Neque verò id grassantium persecutionum impedimento tribuendum, cùm idem obtinuisse comperiamus, postquam jamdudum Fides per totum imperium convaluisset: sed potiùs Ecclesiæ unitatis conservandæ studio, & ejus asserendæ observantiæ, quam Presbyterorum erga Episcopum summam esse oportebat. Propterea non tantum

una

una Ecclesia in singulis Civitatibus, at unum quoque in ea erat altare; ubi Episcopo Sacris operanti Presbyteri omnes adessent, & Eucharistiam acciperent: Eos verò Presbyteros, Clericosve, qui alios conventus indixissent, aut altare aliud contra altare, quod ille frequentabat, excitassent, exauthorandos; laicos verò, qui adiissent, à communione submovendos, quasi detestandum schisma conflassent, Canon Apostolicus [A] jubet: *Si quis Presbyter contemnens Episcopum, seorsim congregationem fecerit, & altare aliud erexerit..., deponatur, quasi Principatûs amator; est enim tyrannus: & cæteri Clerici quicumque consentiant, deponantur: Laici verò segregentur.*

De Interdicti Antiquitate

(A) *Can. Apost. 32. Vid. concordantes apud Coriol. in not. ibid.*

Innocentius I. Pontifex [B] palam testatur, suâ ipsius ætate, hoc est ineunte seculo V., nullas adhuc sibi fuisse in agris Ecclesias: *Cùm omnes Ecclesiæ nostræ sint intra Civitatem constitutæ*. Quas intra Urbis ambitum extructas meminit Pontifex, Parochiales Ecclesiæ erant, à IV. seculo initium ducentes. Verùm Presbyteri, penes quos earum cura erat, tametsi, *propter plebem sibi creditam*, sacrificanti Episcopo ministerium suum impendere non possent; non ideo iis seorsim offerre permittebatur; sed communionem per Acolythum accipiebant [C].

(B) *Epist. 1. ad Decentium Episcopũ Eugubinum.*

(C) *Idem Innoc. cit. epist.*

Erant quoque Alexandriæ aliæ præter Majorem Ecclesiæ, *paucæ* licet & *parvæ*: attamen pro universo populo in unâ Majori, ac semel tantùm in solemnioribus etiam diebus celebrabatur. Ex Athanasii ad Constantium Imperatorem Apolo-

De Interdicti Antiquitate

giâ conficitur, cùm aliarum, tum maximè illius Ecclesiæ hanc fuisse consuetudinem; quam Sanctus Episcopus & summoperè commendat, & acriter propugnat: *Quid ergo rectiùs putas, particulatim, & divisè cum periculo elisionis Populum Synaxes facere, an potiùs, ut in locum omnium benè capacem conveniat, & unam eamdemque sine dissonantiâ vocem reddat? Certè id rectius est, cùm id concordiam unanimis multitudinis ostendat, & Deum ad exaudiendum promptiorem habeat. Nam si pro ipsius Salvatoris pacto in consensu duorum quodcumque petierint, fiet: quid igitur futurum, ubi ex tot, tantisque Populis, in unum congregatis, una vox respondeatur acclamantium, Amen?* Sub Leone ipso Magno eum morem in Alexandrino Patriarchatu viguisse, ejusdem Pontificis ad Discorum epistola [A] luculenter ostendit: *Unius tantum Missæ more servato*.

(A) *Epist.* 11. *aliàs* 81. *apud Gratianum Can.* Necesse est 51. *de Consecr. dist.* 1.

Nequaquam verò ambigendum, disciplinam tum cęptam jam antè aliis in locis variari: sed rem nostram quod attinet, duo notata velimus. I. Pagis quibusque, urbeculisque unam tantum Ecclesiam unumque Presbyterum indultum. Sardicense Concilium statuit [B]: *Non est danda licentia ordinandi Episcopum in vico aliquo, vel modicâ civitate; cui sufficit* UNUS PRESBYTER. Antiquius decretum id fuerat; sed renovationi occasionem Ariani dedere, quòd Ischyram ad extruendas Athanasio calumnias Episcopatûs pollicitatione inductum, post Athanasii in Tyrio conciliabulo condemnationem, contra regulas hactenus servatas

(B) *Can.* 6.

tas

tas, sui ipsius vici Episcopum creaverant [A]. II. Longo etiam pòst tempore quamplurima loca eo beneficio proprium Presbyterum habendi caruisse. Ad VI. seculum pertinet Severi, seu Severini sedulæ pietatis opus, à Gregorio Turonensi[B] literis commendatum. Vt Fidelibus in Sacrorum necessitate constitutis consuleret sanctus Presbyter, in duabus villis, viginti milliarium spatio inter se distantibus, duo Templa proprio ære extrui curavit, & *utrumque Sanctorum reliquiis communivit. Cùm autem dies Dominicus advenisset, celebratis Missis in uno loco, ad alium* equo nempe vectus *pergebat.*

Hanc Sacrorum, Presbyterorumque inopiam, & egestatem plures Gregorii Magni probant epistolæ [C]; præcipuè verò quæ ad Rufinum Vibonensem Episcopum data est [D]. Cùm Massæ-Nichoteræ in Calabriâ Antistes *pro quibusdam culpis in pœnitentiam deputatus esset*, ex acceptâ relatione intellexit Pontifex, Fideles ibi Sacris omninò destitutos remansisse: *Cognovimus nullum illic esse Presbyterum, qui Sacra possit Missarum solennia celebrare, intantum ut etiam filios suos sine Baptismate asserant remansisse.* Rufino ergo illius Ecclesiæ Visitatori constituto injunxit Gregorius, *ut de Clero ejusdem Ecclesiæ &c. illic Presbyterum consecrare festinaret. Nam valdè durum est, ut, quousque causa Episcopi eorum subtiliter requiratur, non habeat Ecclesia illa Presbyterum, qui sacrum illic opus valeat celebrare.* In unâ ergo Cathedrali, & ab uno Episcopo, & hoc suspenso ab Episcopali munere, ab uno

De Interdicti Antiquitate

(A) *Notat ex Baron. Coriolan. ad cit. Can. 6. Sardicensem.*

(B) *De Glor. Confessor. cap. 50.*

(C) *Epist. 15. lib. 1., epist. 53. aliàs 11 ibid., epist. 28 lib. 6. aliàs 27 lib. 5.*

(D) *Epist. 41. lib. 6. aliàs 40. lib. 5.*

De Interdicti Antiquitate

uno Presbytero Sacra Maſſa-Nichoteranis celebrabantur, Gregorii ipſius ætate.

Non adeò raræ poſterioribus temporibus, præſertim ſub Carolo Magno, fuerunt Parochiales Eccleſiæ: ſed tam arctâ copulâ ſive in pagis, ſive in Urbibus, ſub eis conſtitutus populus ſuo ſe conglutinare debebat Presbytero, ut cuiquam apud aliam Eccleſiam Sacris intereſſe ſeverè prohiberetur; ideoque ſancitum, ut antequam Miſſam auſpicaretur Presbyter, interrogaturus eſſet, aliquiſne præſentium ex alienâ Parochiâ irrepſiſſet? Et ſi quis ejuſmodi convinceretur, ab Eccleſiâ ejectus ad proprium incunctanter remitteretur Paſtorem. Quæ ex Theoduli Aurelianenſis Epiſcopi [A], & Herardi Turonenſis Archiepiſcopi [B] capitularibus, ſeu Synodalibus eorum Conſtitutionibus, & Cabilonenſis anni 813. [C], ac Nannetenſis anni 896. [D] Conciliorum Canonibus patent.

(A) *Capitul.* 14.
(B) *Capitul.* 19.
(C) *Can.* 19.
(D) *Can.* 1.

Cùm autem hæc ita ſe habeant, valdè veremur, ne in graviſſimo errore verſentur, qui per antiquiora etiam ſecula ſtatim ac particulari alicui Eccleſiæ Sacris interdictum intelligunt, ſimplicem Ceſſationem à Divinis ſtatuunt: cùm potiùs contrarium rectiùs coniicere liceat, dum Eccleſia cenſurâ affecta, aut Cathedralis fuerit, ut in adducto Turonenſis loco [B]: aut Parochialis, de quâ Cabilonenſis, ac Triburienſis Canones intelligendi; Presbyterum enim memorant; eumque, *qui idoneus ſit ſacroſanctum locum procurare, & Populo Dei utiliter præeſſe*: Maximè verò ſi fuerit Parochia-

(E) *De Glor. Confeſſ. cit. cap.* 71.

chialis ruralis, ſicut in Sancti Eligii Noviomenſis exemplo: Siquidem poſito, quòd una tantùm ejuſmodi Eccleſia in ſingulis locis perſæpe extiterit, nec Parochianis ſub eâ comprehenſis alibi Divinis intereſſe permitteretur; quoties in hâc Sacris ceſſatum eſt, toties fortè factum, ut Sacris Populus cunctus caruerit; verumque propterea Interdictum generale locale expertus ſit.

Deinde ut omnem dubitationi anſam præripiamus, eumdem Gregorium Turonenſem teſtem producimus locupletiſſimum; è cujus ſcriptis Interdicti, nedum ad particularem Eccleſiam, ut vidimus; ſed ad integram etiam Urbem, quinimò integrum Diœceſeos ambitum ſpectantis, uſum ac praxim, robur firmitatemque ſuâ ætate habuiſſe, in comperto quidem eſt. Graviſſimum ſanè hujuſce rei, & ineluctabile omninò argumentum ſuggerit, dum Prætextati Rotomagenſis Epiſcopi cædem deſcribit. Qui Fredegundem, Francicam Jezebelem, fortiter reprehendens, impotentis mulieris juſſu, dum in Eccleſiâ ſuâ orat, per ſicarium trucidatus, martyr eſſe meruit: *Poſt hæc*, inquit Gregorius[A], *Leudovaldus* (Leudovaldis ſubſcriptus legitur in Concilio Turonenſi II., & Pariſienſi IV., Epiſcopus Sagenſis, Rotomagenſis Suffraganeus: de quo perperam Novator hunc locum credidit intelligendum; cùm tamen Gregorius ipſe inferiùs[B] ediſſerat, Leudovaldum illum Bajocaſſinum Epiſcopum fuiſſe; cujus Sedes eſt prima in Lugdunenſi II. poſt Metropolim; Unde viduatæ Eccleſiæ Rotomagenſis, is curam tunc

(A) *Lib. 8. cap. 31.*

(B) *Lib. 9. cap. 13.*

De Interdicti Antiquitate

tunc suscepit) *epistolas* PER OMNES SACERDOTES *direxit*, & ACCEPTO CONSILIO, ECCLESIAS ROTOMAGENSES CLAUSIT, UT HIS POPULUS SOLENNIA DIVINA NON SPECTARET, *donec indagatione communi reperiretur hujus sceleris author*. Quæ certior? Quæ luculentior Interdicti generalis probatio desideretur? Nec solius Leudovaldi id consilii fuit, sed Cleri & Coepiscoporũ: ACCEPTO CONSILIO: adeò omnes ad injurias Ecclesiæ illatas animadvertendas, Interdictum infligendum esse, persuasissimum habuerant. Cædem autem Prætextati, tametsi post Baronium Brietius anno 589. enarret; ad annum tamen 586. referendam esse, adducta per Theodoricum Ruinart [A], & Carolum le Cointe [B] prorsus evincunt.

(A) *In not. ad cit. Greg. loc.*

(B) *Annal. Eccl. Franc. ann.* 586. *n.* 1.

Ad eamdem classem revocari debet Interdictum, quod idem Gregorius à Pictaviensi Episcopo annum circitèr 590. Chrodieldi intentatum scribit, nisi Abbatissa quædam, in vinculis detenta, dimitteretur [C]: *Alioquin non celebrabo Pascha Domini, neque Baptismum* IN HAC URBE *ullus cathecumenus obtinebit, nisi Abbatissa à vinculo, quo tenetur, jubeatur absolvi*.

(C) *Lib.* 10. *cap.* 15.

Neque hìc finem calculo nostro imponimus. Supra duo secula antiquius Interdicti localis generalis exemplum est, quod apud Basilium [D] habemus. Ab Episcopo quodam Sanctissimus ac verè Magnus vir consultus, quid agendum foret, cùm puellæ cujusdam raptus incidisset, respondet; I. Raptá parentibus restitutâ, raptorem Excõmunicatione feriendum: *Illum exulatum abigas ab oratio-*

(D) *Epist.* 244.

tio-

De Interdicti Antiquitate

tionibus tuis, & tanquam praeconis voce proclama rejectum. II. Criminis socios cum eorum quoque familiis, per triennium à communione suspendendos: *Et qui participes eidem sociique fuerant . . . unâ cum familiis suis per triennium à precibus eiicias, & excludas*. III. Sacris interdicendum loco, ad quem fortè raptor confugerit, nisi incolæ eum ejecerint, aut puella reddita fuerit: VILLAM *verò, quæ hominem illum susceperit cum raptâ puellâ, nec reddiderit, aut etiam tuita fuerit contra reposcentes, illam* PRORSUS A PRECIBUS SUSPENSAM HABEAS, ET ORATIONIS COMMUNIONE, UT DISCANT OMNES, *non secus quàm serpentem, quàm bestiam quamvis aliam venenatam, communem illum omnium hostem odisse & persequi, necnon injuriâ affectis opitulari*. Nugari voluit recentior Canonista [A], dum ita evidens Basilii testimonium elevare conatus est: *Non loquitur de villâ prout locum, aut domum quandam significat; sed de familiâ, quæ raptorem cum raptâ susceperat*. Ridicula interpretatio! Ubi Montacutius, qui epistolam latinitate donavit, *villam* reddidit; Basilius habet κώμην, idest pagum, qui villâ aliquid amplius est. Quid ergo quæris? Si in re ita clarâ alius interpres desideretur, Dupinum [B] damus, qui hisce verbis Basilii sensum complectitur: *Il lui enjoint . . . en cas qu'il se refugie dans quelque* VILLAGE *avec la fille enlevee, & que les Habitans ne veuillent pas les rendre, ou que mêmes ils les defendent, de les* INTERDIRE DEL'OFFICE DIVIN. Hæc Dupinus in Bibliothecâ, quæ nisi eum latuissent, dum de Disciplinâ scripsit, non ita inconsultò pronunciaſ-

(A) *Zegerus Bern. Van Espen Iuris Ecclesiast. univ. tom. 2. tit. de pæn. & censur. cap. 9. n. 16.*

(B) *Bibliot. tom. 2. in Basil. pag. mihi 177.*

De Interdicti Antiquitate

ciasset, *Per sex aut septem, & amplius Ecclesiæ secula non legi aliquam Societatem ob peccatum alicujus excommunicatam, aut Interdicto subjectam*. Cetera, quæ ipse perperam de hâc censurâ habet, ex dictis aliisque dicendis sponte corruent suâ.

Interdicti quoque generalis formam præseferre videri potest, quod per hæc prima Ecclesiæ secula factitatum legimus, cùm Populus vel motu animi proprio à Præsule secessionem fecit, vel à Potestate Superiori adactus, ei non communicavit; & consequẽter plebem universam Sacra desiderasse, necesse est: Ita anno 429. Nestorio, jam honoris sui gradûsque certo, ex Pastore in Lupum mutato, suamque hæresim prædicanti, Populus Constantinopolitanus anathema dixit; nec amplius ad Synaxes convenit [A]. Sic quoque anno 370. pulso Eusebio Samosateno Episcopo, ab Eunomio intruso ita plebem abstinuisse, ut ne unus quidem ex omnibus esset, qui cum eo ad consuetos Ecclesiæ cœtus celebrandos cõgregari non respueret, Theodoretus [B] author est: *Nemo ex Urbis incolis, vel pressus egestate vel divitiis affluens, famulus vel artifex, agricola vel consitor, vir vel mulier, juvenis vel senex, ad conventũ Ecclesiasticum, ut moris erat, accedere voluit, sed Episcopus solus agebat*. In Concilio Arelatensi II. anno 452. habito ipsi Episcopo Populi sui colloquium, & cõmunicatio interdicta est [C]: *Secundum instituta Seniorum, si à cõmunione, sacerdotali fuerit authoritate suspensus Episcopus, hunc non solum à Clericorum, sed etiam à totius Populi colloquio, atq; convivio placuit excludi*. Cùm itaque Episcopus Sacrorum Do-

(A) *Cyrill. epist. 18. ad Cœlest.*

(B) *Histor. Eccles. lib. 4. cap. 15.*

(C) *Cap. 49.*

Dominus sit,nec nisi in Cathedrali, & apud ipsum, saltem primis quatuor tribusve Ecclesiæ seculis, conventus Ecclesiastici fieri consueverint,ut suprà ostensum, hinc sequitur,ut,eo excommunicato vel ab officio & ordine suspenso, aut quia Synodi decretis repugnaret, aut quia schisma fecisset, aut aliam quamcumque ob causam, procul à Sacris universus Populus fuerit:atqueadeò conjuncta hęc plerumque tum essent, Episcopum excommunicare aut suspendere,& Populo Divinis interdicere.

De Interdicti Antiquitate

Sed ut, quod propositum hìc nobis est, interdicendi nempe morem jam inde antiquitùs à primitivâ Ecclesiâ usurpatum,magis expeditè evincamus, nihil Apostolico Canone [A] opportunius rear. Vinculum is Episcopo iniicit, si ordinatus *officium & curam Populi sibi commissam non susceperit*. At *si perrexerit, nec receptus fuerit, non pro suâ sententiâ, sed pro malitiâ Populi*,quid jubet Canon? Quas, & à quibus pœnas exposcit? *Ipse quidem*, statuit, *maneat Episcopus*: CLERICI VERO CIVITATIS COMMUNIONE PRIVENTUR. Episcopus ab Ecclesiâ suâ longè agit. Clerus omnis altari, ac quocumque commercio abstentus est. Quis ergo Populo Sacra ministraverit? An non ipsissimum Interdictum generale locale hoc fuerit, cunctam afficiens CIVITATEM? Num,quia Interdicti vocabulum non audis, Interdictum astruere dubites, tametsi universum Populum, quòd Episcopus receptus non sit,Sacris privatum intelligas? Remne quærimus, an verbis ludimus? Si ergo verum amamus, cum ipsâ Suspensione, & Excommunicatione, quæ semper

(A) *Can.* 37. *iuxta Dionys. Exig. interpr.*

D in

De Interdicti Antiquitate

in Ecclesiâ fuit, Interdictum natum fateri oportet. Latrent modò sycophantæ, Paparum inventum Interdictum esse; balbutiant scioli, nullum in veteri Ecclesiâ Interdicti vestigium inveniri: nobis profectò ita argumento erunt, nullam posse temeritatem, nisi ignorantiâ comite, iis, quæ Ecclesia in moribus habet, aut obloqui quidquam, aut mussitare. Quod si plura hujusce rei documenta quærantur, id est animadvertendum, nec omnia, quæ per antiquissima secula in usu fuerunt, literis consignata esse; nec omnia, quæ literis consignata sunt, ad nostram notitiam devenisse.

Nec monumenta Patrum seri videre nepotes.

Confidimus nihilominùs, si fontes ipsos, quos indigitavimus, diligentiùs quàm nobis per temporis angustiam, atque aliò festinantibus licuit, obire quis velit, & in iis rimandis immorari, multò plura eum testimonia, ad hoc argumentum locupletiùs exornandum, conquisiturum.

§. 4.

Interdicti praxis à Judaicæ Ecclesiæ disciplinâ fortasè desumpta, ac imitata. Ejus imago quædam apud Ethnicos.

(A) Ioann. cap. 9.

PORRO in Judaicâ Ecclesiâ, non item ut Excommunicatio [A], Interdictum quoque nostrum esse potuit: cùm enim in solo Templo Hierosolymitano illis sacrificare liceret, si ibi à sacrificando cessatum fuisset, omnis cultus Divi-

Divinus authoritate Ecclesiasticâ esset abrogatus; sed ejus imaginem quandam apud Judęos fuisse, cùm scilicet in publicâ calamitate Sacerdotes, & altaria ciliciis tegebantur, Caput IV. libri Judith testatur: *Et induerunt se Sacerdotes ciliciis, & infantes prostraverunt* CONTRA FACIEM TEMPLI DOMINI, ET ALTARE DOMINI OPERUERUNT CILICIO: *Et clamaverunt ad Dominum Deum Israel unanimiter*, NE DARENTUR . . . . SANCTA EORUM IN POLLUTIONEM, ET FIERENT OPPROBRIUM GENTIBUS; Siquidem in eamdem similitudinem redire videtur, quod Ecclesia Christiana, Regum ac Principum grassante oppressione, quæ calamitas quædam publica est, ornamentis Ecclesiasticis, omnibusque Sacrificiorum & Officiorum publicis solennitatibus sibi interdicere consuevit, ut atratas ac squalidas Matris vestes & miserabilem habitum fideles filii cernentes, ejus lacrymas & ægritudinem abstergere procurarent. Quò Fulberti ad Robertum Regem facit epistola[A], ubi de Carnotensis Ecclesiæ Interdicto, ob graves molestias, quas ei Gaufridus Vicecomes inferebat, agitur: *Ac tunc quidem scripsimus vobis, de malis, quæ irrogat Ecclesiæ nostræ Gaufridus Vicecomes &c., pro quibus tacti dolore cordis intrinsecùs jam intantum mœrorem nostrum prodidimus, ut signa nostra jucunditatem & lætitiam significare solita, ab intonando desinere, & tristitiam nostram attestari quodammodo jusserimus, Officiumque Divinum hactenus in Ecclesiâ nostra, per Dei gratiam, magna cordis & oris jubilatione celebrari solitum, depressis modò miserabiliter vocibus, & penè silentio proximis fieri.*

De Interdicti Antiquitate

(A) Epist. 3.

De Interdicti Antiquitate

Consonat Orderici Vitalis [A] testimonium ad annum 1090., qui generale recensens Interdictum, quod Cenomanensis Ecclesia, Pontificis sui injuriæ impatiens, subierat; Hoellus enim Episcopus, dum Diœcesim lustraret, ab Helia de Flechia, uno ex fautoribus Hugonis, qui Principatum Cenomanensem jure materno vindicabat, vinculis fuerat mancipatus; hæc habet: *Porrò Ecclesia dicti Pontificis suæ afflictioni condoluit, Dominique sanctas imagines, cum crucibus, & sanctarum scrinia reliquiarum ad terram deposuit, & portas Basilicarum spinis obturavit, & à clangore signorum, celebrique cantu, solitisque solenniis, ut vidua mœrens cessavit, lacrymisque vacavit*. Hinc est, quòd Gulielmus Tyrius [B] hâc ratione perstringit Hospitalarios, qui *pulsatione campanarum interdictos Populos ad Divina vocabant*, quòd *aliis lugentibus soli ipsi lætarentur*. Eorumdem *præsumptioni* Innocentius III. [C] frænum adhibet: *Ne ipsi videantur*, ut ait, *de aliorum fletu ridere*.

Plura superiùs attulimus, quæ luctum tristitiamque, atque eam Interdicti tempore servatam probant consuetudinem, sacra lipsana iconesque è suo loco submovendi, atque eas & altaria ipsa, nedum Ecclesiæ fores, *spinis* [D], *cilicio* [E], *vel aliâ lugubri veste* [F] contegendi. Eundem morem XIII. seculo plurimùm viguisse Mauricius Parisiensis [G], ac Richerius Senonensis [H] testantur; longè verò distinctiùs, post Auctorem vitæ S. Odeliæ [I], & Renerum Monachum [K], Ægidius Aureæ-Vallis [L], ubi Interdictum narrans à Synodo Hoii con-

(A) Histor. Ecclesiast. lib. 8. ann. 1090. inter histor. Normán. à Duchesnio edit. pag. 683., & 684.

(B) Lib. 18. cap. 3.

(C) Cap. Petiistis de privileg.

(D) Greg. Turonens. de Glor. Confess. cit. cap. 71.

(E) Annal. Franc. ad ann. 878.

(F) Conc. Tol. XIII. cap. 7.

(G) Epist. 3., 4., & 5. in Spicil. tom. 3. pag. 521., & seqq.

(H) In Chron. lib. 5. cap. 7. eod. tom. 3. Spicil.

(I) Lib. 3. cap. 2.

(K) In collect. Ioannis Chapeauilli Scriptorum de gestis Pontif. Leod. &c. tom. 1.

(L) De gestis Pontif. Leodien. &c. cap. 103. cit. collect. tom. 2.

convocatâ, in Leodienſem Diœceſim, imo Brabantiam omnem [A], ob illius Ducis deprædationes & crudelitates libratum, *Decretumque eſt*, ait, *in ipſo Concilio, ut imago crucis, & Sanctorum reliquiæ ſpinis circumdatæ in omni proſternantur Eccleſiâ, totiuſque Diœceſis organa ſuſpendantur, feſtiviſque diebus fiat proclamatio pro prædicto ſcelere*; In annum cum dimidio ea animadverſio protracta eſt; ſingulis autem diebus, *indutus ad hæc ſacris, comploſiſque manibus*, Eccleſiam *ingrediebatur Presbyter*; *Clerique conventu circumdatus, ibat ſic ad medium Templi*; *& omnes coram prædictis procumbentes reliquiis, cum multis lacrymoſis ſuſpiriis ante faciem Dei cum precibus querimoniam deponebant*. Pergit Ægidius recenſere, quas mœſtas preces, quæ cantica, & lamentationes inter fletum, & gemitus occinerent, Divinam adverſus Eccleſiæ hoſtes opem implorando.

De Interdicti Antiquitate

(A) Vid. Annot. ad cit. cap. 103. Ægidii Aureæ-Vallis.

Quòd ſi horum nudâ, ac ſimplici narratione, cuique notum ac perſpicuum ſit, Catholicæ Eccleſiæ vetuſtiſſimum, quique diu adeò multùm obtinuit, in indicendo ſervandoque Interdicto ritum, quàm maximè cum lugubri illo Judaicæ Eccleſiæ in communi afflictione apparatu convenire; quid probabilius, quàm quòd, ſicut Excommunicatio noſtra Judęorum Excommunicationi reſpondet, ac pleraſque ſacras cęremonias ab iis Patres derivarunt; ita quoque exerendi Interdicti ab eorum diſciplinâ occaſionem acceperint, Sacerdotum Templique mœſtitiam in canonicæ pœnæ genus, ab Excommunicatione parùm diſcrepans, convertendo?

De Interdicti Antiquitate

At quoniam duplex in modò expositam Interdicti Ecclesiastici praxim quandoque malum irrepsit: alterum quòd ad proprii doloris, & privatæ injuriæ vindictam, aut eam à superis imperandam, tristes illæ ceremoniæ & ejulatus, *malitiâ intercedente*, compararentur: alterum verò, quòd *irreverenti ausu* memoratæ sacræ icones *tractarentur, in terram prostratæ, & urticis suppositæ*; propterea Gregorius X. Pontifex in Lugdunensi II. Concilio generali, Toletanum ac Nicænum Canones instaurans, *detestabilem eum abusum reprobavit, aliquid tale fieri de cæterò districtiùs prohibendo*. Ejus Constitutionem in Bonifacii VIII. collectione intextam habemus [A].

Videtur etiam convenire quodammodo Interdictum cum tristi feralique justitio, quo clausis foris, omnia acta publica suspendebantur, & in calamitatibus luctuque Reipublicæ apud Romanos esse consuevit; cujus Cicero, Gellius, Plutarchus, Lucanus, passimque alii meminere. Quo factum est, ut Interdictum inter alia, quibus designari solet nomina, videlicet *Bannus* [B], aut *Interdictum Christianitatis* [C], aut *publica Excommunicatio* [D]; *Sacrorum* etiam *Justitium* ab Ecclesiasticis Scriptoribus nonnunquam appellaretur. Sed nihil hæc ad Interdicti nostri originem. Tenebricosa quidem ea esset, si aliunde, quàm à Sacrarum Literarum purissimis fontibus, duceretur. Itaque concludimus, cum ipsâ potestate Clavium interdicendi quoque potestatem Ecclesiæ collatam [E]; ad praxim verò cum aliis censuris adductam, exemplo à Judaicâ Ecclesiâ desumpto.

CA-

(A) *Cap.* Si Canonici 2. *de Offic. Ordinar. in* 6.

(B) *Cap.* Si quis Presbyter 2. *de purgat. Canon.*

(C) *Matth. Paris ad ann.* 1163., *Constit. Henr. II. Angl. Reg. cap.* 1. *in vit. D. Thom. Cantuar pag.* 167 *edit. Lup.*

(D) *Synod. Lemovicens. II. loc. citat.*

(E) *Cap.* Tanta est clavis Petri 18. *de Excess. Prælat.*, *& Gregor. IX. epist. Brachar. Archiepisc.*; *unde hoc cap. desumptum.*

CAPUT II.

De Interdicti, ejusque frequentioris usûs necessitate.

§. 1.

Recensentur causæ, cur post annum Christi millesimum frequentiùs quàm antè Interdictum usurpatum fuerit.

VERISSIMUM quidem est, vetustioribus Ecclesiæ seculis minùs frequentem Interdicti usum fuisse: sed hujus rei triplex potest causa assignari: quæ utinam & nostris vigeret temporibus; quàm libentissimè enim Pontifices ab hâc censurâ ferendâ abstinerent; ad quam excutiendam non nisi inviti, & pro Ecclesiæ necessitate adducuntur.

I. Etenim obstitit tum temporum sanctitas, ne universus Populus peccaret, aut privatorum criminum emendationem procurandam negligeret; ex quo duplici interdum capite, Interdictum infligitur in Universitatem [A], ut Excommunicatio in singulos. Quapropter priscum morem in Hispaniis viguisse perhibent [B], quod Interdicto excusso, intra triduum, qui causam illi præbuerant, urbe pellerentur, ut Populus eâ animadversione liberaretur. Ademarus verò, dum Interdictum recenset, frequenter in Lemovicenses ab Alduino Episcopo intortum, SÆPE, ait, PRO NEQUITIA POPU-

(A) *Concilium Basileense sess. 20. cap. de Interdict.; cujus historicum testimonium allegamus. Bulla concordat. inter Leonem X., & Franciscum I. tit. 33.*

(B) *Sot. in 4. dist. 22. q. 3. art. 1., Alter. de Censur. tom. 2. disp. 8. cap. 6.*

De Interdicti, ejusque frequentioris usûs necessitate.

POPULI *constituit*, *Ecclesias & Monasteria à Divino cultu & Sancto Sacrificio cessare* [A].

II. Quia solius Excommunicationis telo satis tum crimina compesci potuere, cùm ob pietatis fervorem efficacius id remedii experiretur Ecclesia. Excommunicationem à Christo Domino institutam & præceptam [B], ab Apostolis in usu habitam [C], quâ Paulus incestuosum Corinthium [D], atque Himeneum, & Alexandrum blasphemare consuetos *Satanæ tradidit* [E], quoties infligi contingeret, ut *Divinam censuram* Christiani verebantur, *summumque futuri judicii præjudicium*, teste Tertulliano [F]; itaut si cervicoso, aut improbo alicui communione aliorum interdictum esset, id quasi præjudicium venturi judicii haberetur, in quo Deus malos à se procul excludit, & à suis. Quò alludens Hieronymus [G], de Clericis ait, *Claves Regni cælestis habentes*, *quodammodo ante Judicii diem judicant*. Eunomius excommunicatus, Eusebio in Episcopatu suffectus, tantâ abominatione fuit apud Samosatenos, ut aquam balnei, in quâ lotus erat, in cloacam effunderent. Neque meliùs habitus, hoc ejecto, Lucius, cujus cùm jumenti pedem attigisset pila, qui eâ ludebant pueri, accenso igni eam flammis purgarunt [H]. Hoc spirituali gladio ab Ambrosio transfixus Theodosius, *ob culpam quæ aliis Sacerdotibus non adeò gravis videbatur* [I], verè humiliatus, & in pulvere sedens ac cilicio, ex intimis præcordiis suspiria ac singultus emittens, consolari respuebat; nec nisi post octo mensium pœnitentiam ad mysteria admissus est [K]. De Theodosio

(A) *Ad ann. 994. loc. suprà cit.*

(B) *Matth. cap. 5. v. 29., cap. 16. v. 19; cap. 18. v. 8. & 18., Marc. 9. v. 42., Ioann. 20. v. 23.*

(C) *2. Thessal. 3. v. 6. et 14. Tit. 3. v. 10.*

(D) *1. Corinth. 5. v. 3. & seqq.*

(E) *1. Tim. 1. v. 20.*

(F) *Apolog. cap. 39.*

(G) *Cit. epist. 5. aliàs 1.*

(H) *Theodoret. cit. lib. 4. cap. 14., Niceph. lib. 11. cap. 21.*

(I) *Can.* Duo sunt *98. dist.*

(K) *Paulin. in vita Sancti Ambrosii, Theodoret. lib. 5. cap. 17., Ruf. lib. 2. cap. 18., Sozom. lib. 3. cap. 24.*

dosio verò juniore narrat historicus [A], fortè à quodam Monacho excommunicatum, etsi ab Episcopo ei responsum esset, nullam & irritam illius fuisse censuram, *cùm non debeat cujusque vinculum admitti*; se tamen abstinuisse, donec à quo seclusus fuerat, communioni redditus esset. Posterioribus etiam seculis hujus summæ erga Excommunicationem religionis vestigia comperimus. Petrus Damiani author est [B], quòd cùm Robertus Rex anathemate perculsus esset à Galliarum Episcopis, quod affinem & commatrem suam Bertam nomine uxorem duxisset, omnes ab eo discessere, nec plures quàm duo servuli in obsequium remanserunt. Svevi & Saxones Henricum Germaniæ Regem diris Excommunicationibus à Gregorio VII. proscriptum, per Legatos monuere, quòd si ante diem anniversarium suâ culpâ censuræ vinculo non absolveretur, sine spe restitutionis Regno caderet [C]. Willelmus Malmesburiensis [D] literis prodidit, Principes ipsos ad coercendos rebelles Ecclesiasticæ Potestatis gladium auxiliarem expetiisse; ac propterea Carolum Magnum tot Feuda in Ecclesiam contulisse, ut, *si laici rebellarent, illos posset Excommunicationis authoritate, & potentiæ severitate compescere*. Ex Synodo Toletanâ IV. [E], & V. [F] probatur, Episcoporum officium Reges implorasse, ut anathemate adversus hostes ac perduelles agerent. Tanta erat in Excommunicationis censuram Populorum observantia & religiosus, ut par erat, timor.

III. Demum ratio reddi potest, cur minùs In-

De Interdicti, ejusque frequentioris usûs necessitate.

(A) *Idem Theodoret. cit. lib. 5. cap. 36.*

(B) *Opusc. 34. cap. 6.*

(C) *Lambert. Schafnaburgens. Annal. pag. 533. edit. Argentorati ann. 1609., Abb. Urspergens. in Chron. ann. 1075. in Henric. IV., qui & III. dictus, Imperatorum serie spectatâ.*

(D) *Lib. 5. de reb. gest. Anglor.*

(E) *Can. ultim.*

(F) *Can. 11.*

De Interdicti, ejusque frequentioris usûs necessitate.

Interdicto opus fuerit Ecclesiæ, quòd tuta à laicorum oppressione, Principum patrocinio, ac tutelâ esset. Hæc de Constantino dignissima quidem tanti Principis pietate tradit Eusebius [A]: *Jam quæ ab Episcopis in publicis Conventibus editæ erant regulæ, suâ consignabat & confirmabat authoritate*, NE RELIQUARUM GENTIUM PRINCIPIBUS LICERET, QUÆ AB EIS DECRETA ESSENT, ABROGARE: CUJUSVIS ENIM JUDICIS SENTENTIÆ SACERDOTUM DEI JUDICIUM ANTEPONENDUM ESSE. Ambrosio ex laico electo Mediolanensi Episcopo, ac de electione hujusmodi contristanti, *Noli timere*, inquit Valentinianus Imperator [B]; *Quia Deus, qui te elegit, semper te adjuvabit*; ET EGO ADJUTOR, ET DEFENSOR TUUS, UT MEUM ORDINEM DECET, SEMPER EXISTAM. Ad vindicanda Ecclesiarum jura, bellum Aquitanicum adversus Waipharium Ducem à Pipino susceptum fuit [C]. Hâc laude certant Carolus Magnus, & Ludovicus Pius, Pater & filius; quorum alter Sancti Petri Advocatus dictus est [D]. Qui istorum Principum capitularia percurrat, non tam ea civilia jura, quàm Canones & decreta Patrum existimet (quin Canones passim & decreta Patrum sunt, principali authoritate cõmunita) tantum Ecclesiæ, ejusque jurium tuendorum studium ac sedulitatem præseferunt. Siquæ à viris Principibus Ecclesiastico ordini injuria irrogata esset, Imperator vindex ab Episcopis interpellabatur: Imperator vindicem se gerebat Ecclesiæ [E].

Dum ita se res habuere, parcissimè quidem Interdicti telo usa est Ecclesia. Sed temporum lapsu, præsertim cùm ex potentissimæ Carolovingiæ

(A) *De vit. Constantini lib. 4. cap. 27.*

(B) *Can.* Valentinianus 63. *dist.*

(C) *Annal. Fuldens. ad ann. 759. in hist. Franc. tom. 2. pag. 535.*

(D) *Ademar. in vit. Carol. M.*

(E) *Vid. epist. Synodal., quam ex Altinensi Concilio Paulinus Aquileensis Episcopus scribit Carolo M., Concil. Labb. tom. 7. col. 1187.*

De Interdicti, ejusque frequentioris usûs necessitate.

giæ stirpis ruinis & ruderibus Principum numerus propè infinitus in Galliâ, Italiâ, & Germaniâ consurrexisset, singulis Comitibus, Ducibus, & Præfectis, Provincias, quas precariò rexerant, sibi vendicantibus, easque filiis & nepotibus velut patrimonium dividentibus, horum Regulorum cupiditati & protervia exposita remansit Ecclesia. Etenim, sive quod invidiosi iis essent Episcopi, Duces, Comites, Regionumque Domini Regum munificentiâ effecti; sive quòd Ecclesiastica jurisdictio & potestas impedimento erat, ne impotentiùs tyrannide suâ subditos exercerent, & fœdis se criminibus inquinarent, infestissimos se Clericis, ac toti præstabant Ecclesiæ, cùm res & possessiones invadendo, tum etiam majorem in modum affligendo, Episcopis persæpe ipsis aut sedibus exturbatis, aut aliis longè etiam gravioribus injuriis affectis, immunitate ac libertate Ecclesiasticâ penitus labefactata. Ad quorum faciendam fidem, præter ea quæ ex Fulberto, Orderico, & Bituricensi, ac Lemovicensi II. Conciliis, cęterisque sparsim protulimus; alia ejusdem Fulberti [A], Yvonis [B], ejus vitæ Scriptoris [C], Soucheti [D], ac Hildeberti Cenomanensis [E] testimonia addimus; nec non quamplurima item Concilia, ut ejusmodi malis consulerent, diversis temporibus habita: Qualia sunt, Rhemense anno 900. ad Balduini Comitis animadvertendam nequitiam, & Falconis Episcopi necem ab eo patratam [F]: Narbonense anno 990. adversus nobiles in bona, & personas Ecclesiasticas debacchantes [G]: Heduense anno 1055. ut Burgun-

(A) *Epist.* 19., 70., & 105.
(B) *Epist.* 20., & 94.
(C) *Vit. Yvon. ejus operibus præfixa.*
(D) *In nov. observat. ad epist.* 20. *Yvon.*
(E) *Epist.* 100. *quam Baron. ann.* 1095. *assignat.*
(F) *Duchesn. in tom.* 2. *Histor. Franc. Script.*
(G) *Gulielm. le Catel. in monument. linguæ Occitanæ lib.* 5.

gundiæ Ducis in Ecclesiam infestationes reprimerentur [A]: Rhemense alterum, anno 1092. adversus Barbati Flandriæ Comitis sacrilega statuta & prætensas consuetudines [B]: Beluacense anno 1115. adversus vexationes, quas Thomas *de Marna*, seu *Marla*, homo potentior ac perditissimus laicis pariter ac Clericis inferebat [C]: Nannetense anno 1126. adversus Britannorum Comitis rapinas [D]. Nemo autem vel mediocriter in horum temporum Scriptoribus versatus, hæc perspecta non habeat. Eò autem talium Regulorum insolentior audacia processerat, ut per Excommunicationem impietate notari flocci prorsus haberent [E]. Quod execrandũ facinus summos etiam perditorum temporum Principes infecit, qui non tantùm ex Ecclesiæ Protectoribus in ejus hostes conversi sunt; unde fidelem eam reprehensionem à sanctissimis viris nil timentibus annunciare Magnatibus scelera eorum, Ludovicus Crassus Galliæ Rex audire commeruit [F]: *Gravem siquidem adversus vos apud Sponsum, & Dominum suum querimoniam deponit Ecclesia, dum quem acceperat defensorem, sustinet oppugnatorem*: Sed præterea Excommunicationis censuram contemptui habere cœperunt. Exemplo esse poterit Henricus III., qui excommunicatus, quoties nemo alius tantum abest, ut hâc sibi notâ inustâ ad frugem redierit, ut ex schismatico hæreticus factus, nihili omninò faciendam esse Excommunicationem, & factis profiteretur & dictis [G]. Quæ deinceps mala à subsequenti Henrico, à Friderico Ænobarbo, aliisque Imperatoribus passa

De Interdicti, ejusque frequentioris usûs necessitate.

(A) *Apud Baron. ad ann.* 1055.

(B) *Duchesn. in Urbano II.*

(C) *Suger. Abb. in vita Ludovic. Grossi Gaguinus in codẽ, Duchesn. in Taschali II.*

(D) *Vid. epist. Hildeberti Archiepiscopi Turonen. apud Ball in addit. ad Coriol. pag.* 27.

(E) *Fulbert. cit. epist.* 70. *Concil. Beluacens., quod extat apud cit. Hist., Scriptor Actorũ Episcopor. Cenoman. in Gumberio Episcopo. Analect. Mabill. tom.* 3. *pag.* 285.

(F) *Epist.* 45. *inter eas Bernard.*

(G) *Brict. ann.* 1102.

passa fuerit Ecclesia, & quàm nefariè anathematis vincula ipsi contempserint, notius est quàm hìc commemoremus oporteat. Ad veterum exempla ejusmodi religionis dispendia considerans Albertus Pighius [A]: *Hic*, inquit, *eo* (prisco nimirum) *tempore de gladio spirituali sensus erat, qui datus est Ecclesiæ Principibus*,, ad faciendam vindictam in ,, nationibus, & increpationes in Populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles ,, eorum in manicis ferreis,;*Cujus mucro, quòd nunc hebescit; quod nostris Principibus nunc minùs sit, quàm illo seculo fuerit, formidabilis, non est quia hi plùs illis sapiunt; sed quòd plùs desipiunt; quòd fidei, religionique minor apud hos locus sit: nam quantùm ubicumque viget Christi fides & religio, tantùm viget illius gladii efficacia & authoritas*: ,, In promptu, *inquit ille*, habentes ulcisci omnem inobe- ,, dientiam, cùm impleta fuerit vestra obedientia ,, *Tantùm ille cuique terrori est, quantùm quisque credit Christo; qui contumaciter inobedientes Ecclesiæ atque ejus Rectori, fieri extra Ecclesiam & ab ejus unitate proscindi, affirmat; extra quam nulli salus, sed omnibus clausum Cælum est*. Cùm nihilominus adeò pietas, & in excommunicationem observantia declinasset, ne Ecclesia tot injuriis ac invasionibus perpetuò oppressa squaleret, utque ei debita à filiis obedientia assereretur, gladio, qui Principum sensui penetrabilior esset, utendum fuit; atque Interdicti censura frequentiùs adhibenda. *Nec indebitum est*, ut sæpe laudatus Yvo [B] ait, *si adversùs nova morborum genera inveniuntur, & ap-*

De Interdicti, ejusque frequentioris usûs necessitate.

(A) *Controv.* 16. *pag.* 113. *edit. Venet. ann.* 1540.

(B) *Epist.* 94.

De Interdicti, ejusque frequentioris usûs necessitate.

ponuntur insolita medicamenta. Medicamentum *insolitum*, quòd scilicet antea non ita frequenter in usu fuerat; nequaquam tamen *novum*, Interdictum appellat; cùm nullum unquam tempus ab eo omninò abhorruerit, ut satis superque ostendimus. Ejus autem praxis ea fuerat ratio, ut qui nec à propriâ pietate, nec à spiritualibus pœnis in ipsos inflictis, ab Ecclesiâ infestandâ, & criminibus perpetrandis compescerentur; ad meliorem animum à subditis longi hujus justitii pertœsis adigerentur, aut ipsi sponte vocibus Populi, vel Populi & Ecclesiæ dolentis mœstitie suam pœnitentiam darent. Quod Juretus [A] ex Goffridi Vindocinensis notavit epistolâ.

(A) *In not. ad epist. 266. Yvonis.*

§. 2.

Adversùs quæ mala, & quanto præsidio Ecclesiæ & Sacris Legibus Interdictum sit. Opposita cavillationes dissolvuntur.

SÆPE quidem læsa Ecclesiæ jura Interdicto librando causam præbent. Universum Regnum Boemiæ ab Andreâ Pragensi Episcopo Sacrorum usu privatum fuit, ob conculcatam à Rege Regnique Optimatibus Ecclesiasticam libertatem [B]. Lusitania olim à Bracharensi Archiepiscopo è suâ Ecclesiâ expulso, Interdicto innodata est [C]. Ut etiam Sanct-Andreana Diœcesis in Scotiâ ob Joannem Episcopum suam Sedem adire prohibitum: quâ ex causâ toti quoque Regno eadem

(B) *Raynald. ann. 1217. n. 43.*

(C) *Idem ann. 1222. n. 8.*

dem pœna denuntiata [A]. Experta est hoc vinculum Wraslavia, propter Wenceslaum alterius urbis Episcopum, sed, dum ibi moraretur, à laicâ potestate captum [B]. Expertum est Leodium ob violatam Clericorum immunitatem, & tributa ab iis eorumque familiis exacta [C]. Iterumque aliàs quod à *Scabinis* Canonici læsi essent in privilegiis suis, & eorum Ecclesia in jure asyli [D].

De Interdicti, ejusque frequentioris usûs necessitate.

Nequaquam tamen intra hos limites Interdicti animadversio se continet: sed multò latiùs ejus usus & utilitas per id pœnæ genus procuranda sese diffundit. Anno 1433. Cracoviæ ex Shignei Episcopi mandato Sacris cessatum est, in hæreticorum detestationem; Boemorum enim Legati eò diverterant [E]. Lusitania idem flagellum sustinuit ob Alphonsi Regis in spernendo conjugii fœdere contumaciam [F]. Regibus quandoque ipsis Interdicti gladius fuit auxiliaris; ita bis Anglia huic animadversioni subjacuit & sub Innocentio III., & sub Clemente V., ut Magnates à perduellione in Principem suum recederent, & in officio continerentur [G].

Qui tantùm ad prædicti Innocentii III. tempora respiciat; & quæ mala, quæ fœdissima scandala hujus censuræ efficaciâ sublata ab Ecclesiâ fuerint, facilè summam ejus necessitatem, nedum utilitatem, compertam habebit. In Galliæ Regiâ, pellex superbo diffluens luxu, expulsæ Reginæ locum occupabat. In Angliâ ancillata lugebat Ecclesia. Legionensis Aula Consobrinæ, uxoris nomen præsumentis, concubitu fœdabatur. Rex

(A) *Roger. de Hoveden Annal. Anglic. part. poster. ann.* 1180. *pag.* 597.

(B) *Matthias de Michonia Chron. Polon. lib.* 4. *cap.* 51.

(C) *Ægid. Aureævallis loc. cit. cap.* 96.

(D) *Ioann. Hocsemius cap.* 3. *in cit. Collect. Script. de Gest. Pontif. Leod. &c. tom.* 2.

(E) *Cromer. de orig. & gest. Polon. lib.* 20.

(F) *Marian. lib.* 13. *cap.* 12.

(G) *Polyd. hist. Angl. lib.* 15., *Raynald. ann.* 1215. *n.* 33., *et ann.* 1313. *n.* 8.

De Interdicti, ejusque frequentioris usûs necessitate.

Navarræ, violatis induciis, Castellani Regis arces occupaverat, in eum cum Saracenis fœdere inito. Bello Saracenorum imminente, Hispaniæ Reges invicem se armis lacessere non desistebant, Religionis causâ neglectâ; communemque hostem aut nil oppugnare curando, aut favore etiam prosequendo. Sancti Petri patrimonium divulsum, atque ab improbissimorum hominum potentiâ occupatum erat: Caput extulerat ingens hæreticorum collujes, Waldenses, Cathari, Patareni, cæterique, ad quos coercendos segnes nonnulli Principes se præstabant: Comes Tolosanus, Mediolanensis Senatus, nonnullique alii favorem impertiebantur. Othonis Imperatoris, se Ecclesiæ hostem gerentis, quamplurimæ urbes partibus se implicuerant, contempto anathemate in illius fautores lato.

Quid ad hæc mala evellenda, arrepto Ecclesię clavo, ageret Innocentius? Sæpius ejus Præcessor, qui & nonnulla ex iis viderat, in id Apostolicâ sedulitate insudaverat. Sed cùm minæ tum monita in cassum ceciderant. Hæc eadem vana expertus novus Pontifex, ad efficaciora remedia mentem applicuit, ac canonicâ severitate usus, Interdicti fulmine in alios quidem excusso, aliis verò dumtaxat intentato, suum matrimonio decus asseruit, jacentem Ecclesiæ libertatem erexit, ad pacis studia & fœdera inter se invicem servanda Principes adegit, inque Christi & Ecclesiæ hostes commovit, Sedem Apostolicam in jura sua restituit, impii Imperatoris proterviæ restitit; itaque adversùs hor-

horrendam tot malorum perniciem præsentissimum remedium Interdictum fuit [A].

In medio autem hìc positum est dignoscere, cur in Jure nostro censura hęc nuncupetur *Nervus Ecclesiasticæ disciplinæ*. In cap. *Cùm inter* 5. de consuetud., quæcumque consuetudo Interdictum non servandi irritatur, *cognito quòd ex tali consuetudine, si qua foret, disrumperetur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ*. In Clement. *Ex frequentibus* de Sentent. Excomm. idipsum observare est; de violantibus enim Interdictum dicitur *disrumpi* per eos *nervum Ecclesiasticæ disciplinę*. Consonant Innocentii III. epistolæ aliquot [B], ubi similiter Interdictum appellatur *nervus Canonicæ disciplinæ*: Eâ nimirum verissimâ ratione, quod hujusmodi censura Ecclesiastici vigoris, legum, & disciplinæ *genius* [C] quidam, & conservator sit. Quam in rem Antonii Dadini Alteserræ, Tolosani Antecessoris, & de Canonicis studiis benemerentissimi interpretationem adducemus [D]: *Nervum Ecclesiasticæ disciplinæ vocat rationem, seu institutum Ecclesiasticæ disciplinæ, quòd ejus observatione sustinetur Ecclesia, ut compages membrorum nervis solidatur*. Jure optimo, *Interdicti observatione Ecclesiam sustineri*, clarissimus ait vir; etenim si sacræ leges violentur, malum quidem grave est, sed quod Excommunicationis animadversione coercere potest Ecclesia; ad hoc enim Excommunicationis gladius usui est, ut contemptarum legum vindex exurgat. Si minimè Excommunicatio profecerit, ad Interdictum deveniendum. Quatuor enim in casibus id infligi consue-

De Interdicti, ejusque frequentioris usûs necessitate.

(A) *Vid. Gest. Innoc. III. ejusdé epist., & præcipuè* 74. & 79. *lib.*2. *reg.* 14., *epist.* 187. *lib.* 3. *reg.* 15., *epist.* 48. *lib.* 4. *reg.* 15., *Spondan. & Raynald. ad ann.* 1198., *& seqq., Polyd. cit. lib.* 15., *Paul. Æmil. Veron. in Philipp. II. Augusti., & quæ dicemus par.*2.*cap.* 4. §. 2. *& seqq.*, *& cap.*7. §. 1.

(B) *Epist.* 259. & 260. *lib.* 11.. *Ad idem faciút epist.* 141. *cit. lib.* 11., *& epist.* 9. *lib.* 12. *Adde Gloss. in cap.* Si sententia 16. *de Sentent. Excomm. in* 6. *in verbo* Careat.

(C) Vigoris Ecclesiastici genium Excommunicationem *vocat Gregorius epist.* 79. *lib.* 8. *aliàs lib.*7.

(D) *In cit. cap.* Cùm inter 5. *de consuetud.*

De Interdicti, ejusque frequentioris usûs necessitate.

vit. I. Cùm Civitas sive Universitas homines impietate notatos infra certum tempus non ejecerit, & ad satisfaciendum compulerit [A]. II. Cùm eadem Civitas, aut Civitatis Primores Excommunicationem in ipsos latam contempserint [B]. III. Cùm Princeps ipse anathemate ligatus non resipit. Sic Dux & Senatus Venetus Pauli V. dicto non audientes primùm Excommunicatione, deinde elapso termino ad parendum præfixo, Interdicti in eorum terras animadversione pulsati sunt [C]. IV. Demum cùm Excommunicatio minùs proficua, aut in opportunius tempus differenda, videbitur; ubi enim cum summis Regibus, & Imperatoribus agitur, quandoque expediens erit, Excommunicatione omissâ vel dilatâ, ab Interdicti censurâ exordiri; id enim dedecoris in eos quàm tardissimè imprimendum; quò eis spatium detur sui ipsius peccati agnoscendi corrigendique [D]. Quem morem à sapientissimo Innocentio III. servatum, Polydorus testatur [E]. Itaquè Excommunicationis fructu, atque utilitate cessante, ejus vicem Interdictum pensat: si verò & hujus observatio deficiat, quæ strages, quæ clades futura erit? Quibus armis ab oppressoribus se tuebitur? Quibus violatas leges ulciscetur Ecclesia?

(A) *Concil. Basil. ac Bull. Concordat. inter Leonem X., & Franciscum I. locis cit.*

(B) *Cit. epist. Innocent. III. 74. lib. 2. regest. 14.*

(C) *Vid. Pauli V. monitoriú apud Valenzuol. in ejus defension. in princ.*

(D) *Vid. Gloss. in cap.* Non est vobis *11. de sponsal. in princ.*

(E) *Cit. lib. 15.*

Ex his nemo non videt, consueto tantùm livore ac malignitate Novatores certare, qui sanctissimo huic & quàm maximè necessario instituto rabidissimè oblatrant. Antiquiores etiam fuerunt hæretici usque ab anno 1248., qui Conradi Friderici Imperatoris filii, immani in Ecclesiam odio veli-

velificantes, Interdicto obloquuti sunt, divina, contra quælibet imperia Pontificia, frequentanda affirmare ausi. Sed eorum insulsissima commenta, & errores omnis tunc semperque detestata est Ecclesia. Quos dum refert historicus [A], illud Hieronymi & meritò quidem usurpat, *Hæc sunt, quæ coargutione non indigent: perfidiam eorum exposuisse superasse est.*

De Interdicti, ejusque frequentioris usûs necessitate.

(A) *Raynald. ann.* 1248. *n.* 15.

Michael Roussselius Pontificię Jurisdictionis historicus [B], veriùs dicam, hostis, etsi hujus censuræ praxim à Conciliis œcumenicis approbatam confiteatur, malè tamen se ab obtrectando continuit, Augustino displicituram contendens, quòd is epistola 75. ad Auxilium [C] reprobat, censurâ Ecclesiasticâ multos puniri ob unius culpam. Roussselio libentissimè astipulatur Dupinus. At quàm inaniter docti utcumque viri garriant oportet, dum malè animati judicium ferunt! Agit in eâ epistolâ Augustinus de Excommunicatione, quam nunquam alicui nisi ex propriâ culpâ infert Ecclesia: cur ergo ad Interdictum ejus sententia detorquetur? cùm non adeò leve hâc in parte inter utramque censuram discrimen sit, ut ab unâ ad alteram argui possit. Planè de hoc, & perspicuè Glossa [D], dum varias pœnarum species distinguit. *Pœnâ æternâ* nunquam alius pro alio punitur: *Corporali* tamen benè aliquando [E]. Ita in filium paterna servitus & infamia derivatur. *Spiritualis quadruplex* est: *Excommunicationis*, quæ ob alienum crimen minimè incurri potest; incurritur verò pœna *Ordinis* (rectè enim ob delictum uxoris vir

(B) *Lib.* 8. *cap.* 1. *n.* 31.

(C) *Can.* Non imputátur 1. *q.* 4., *Can.* Si habes 24. *q.* 3.

(D) *In cap.* Si sententia *de Sentent. Excomm. in* 6. *v.* Interdicti, *& in* 1. *q.* 4. *in summ.*; *Vid. etiá Franc. Ramos in Supplicat. ad Alexandrum VII. proposit. ult. n.* 211.

(E) *Vid. text. in leg.* Quisquis 5. §. 1. *Cod. Ad leg. Iul. Majest.*

De Interdicti, ejusque frequentioris usûs necessitate.

vir à promotione arcetur), ut etiam *Remotionis ab oblatione*, & *Interdicti*.

(A) *De corrept. & grat. cap.* 15. *relat. in Can.* Corripiatur 24. q. 3.
(B) *Epist.* 62.
(C) *Cit. Epist.* 5. *aliàs* 1.

Quâ in re non obscuram diversitatis rationem habemus; quòd Excommunicatio *pœna est, quâ in Ecclesiâ nulla major*, ut idem Augustinus [A]: *Spiritualis gladius, quo superbi & contumaces necantur*, ut Cyprianus [B]: Quo *inobediens truncatur, aut ab Ecclesiâ ejectus rabido Dæmonum ore discerpitur*, ut Hieronymus [C]. Quid autem hæc ad alias recensitas pœnas? Quid ad Interdictum, quo obligati & verbi Dei, & aliquot Sacramentorum Ecclesiæ participes sunt, nullo prorsus salutis dispendio affecti? Augustinus ipse, ob solius Comitis Bonifacii crimen, totam ejus familiam censurâ innexuit: *Oblatio verò Domûs tuæ à Clericis ne suscipiatur interdixi* [D]. Nos non latet, hanc Augustini ad Bonifacium epistolam supposititiam à nonnullis habitam; quibus Baronii judicium & authoritas adversatur. Sed esto: quid inde? Nonne ante Augustinum Basilius probaverat, ob unius culpam, conscios omnes, omnes ex eorum familiis, imò integrum pagum Interdicto percelli? Nonne morem hunc semper in Ecclesiâ obtinuisse, ostensum est?

(D) *Can.* Miror 17. q. 4. *ex epist. Augustini* 6. *in append. aliàs* 187. *ad Bonifacium.*

Quibusdam sanè spiritualibus bonis, propter Principis aut Civitatis Primorum scelus, Populum privat Interdictum; verùm in hoc ipso EXEMPLO DIVINO niti, Innocentii III. decretali edocemur, *quòd, cùm David in Populi numeratione peccasset, Dominus in Populum vasa sui furoris effudit. Unde idem David dixisse legitur, peccatum suum Domino*

con-

De Interdicti, ejusque frequentioris usûs necessitate.

confitendo ,, Ego sum, qui peccavi; ego, qui iniquè ,, egi: isti, qui oves sunt, quid fecerunt? Avertatur ,, obsecro furor tuus à Populo tuo ,, [A]. Achan solus *tulit aliquid de anathemate Jericho*; & tamen *iratus est Dominus contra filios Israel* [B]. Ex quo Sanctissimus Episcopus Neocęsariensis Gregorius Thaumaturgus [C], *Nonne ecce Achan*, ait, *Zaræ filius in eo, quod Deo dedicatum erat peccavit; & in omnem Israel Synagogam ira pervenit?* Quot alia è sacris literis loca & exempla in idem facientia adduci possent? Porrò ejusmodi ratione Pontifex Optimus de Interdicti rigore quidquam remittere aversabatur.

Cùm bellum justum Principes agitant, cui sceleri obnoxii sunt hostis, aut sui ipsorum subditi ac milites, quos tot adire pericula, morti etiam occurrere oportet? Respondes, non aliter Principes jus suum persequi posse; non Populorum aut militum, sed injuriosi hostis culpam, causamque justam in bello justo spectandam. Bene habet. Sed cur Ecclesię, dum alius injurias propulsandi, & graviorum criminũ emendationem obtinendi modus non suppetit, ne id quidem liberum sit, cum filiis suis dolorem suum partiri, *celebrique cantu, solitisque solenniis ut viduam mœrentem cessare, lacrimisque vacare?* Num & hoc durum videatur, filios Matris *afflictioni condolere* [D]?

Denique non adeò generaliter, & absolutè verum est, Interdicto multos lugere ob unius culpam. Ob communem culpam aliquando infligi, ex Bonifacii VIII. Constitutione [E] colligitur.

Exem-

(A) *Epist. 72. lib. 2.; Vid. Gestor. Innoc. III. Scriptor num. 58. pag. 53. edit. Baluz.*

(B) *Jos. cap. 7.*

(C) *Epist. Canon. can. 3. Concil. Labb. tom. 1. col. 838.*

(D) *Ita Interdictum describit Ordericus Vitalis loc. superiùs adducto. Vid. Engel. in 5. lib. Decretal. tit. 39. n. 86. & 87.; ubi à bello justo ad Interdictum argumentatur.*

(E) *Cit. cap.* Si sententia de *Sentent. Excomm. in 6.*

De Interdicti, ejusque frequentioris usûs necessitate.

Exempla nos superiùs adduximus, Interdicti *ob nequitiam Populi* sæpius iterati. Tunc quoque, cùm propter Magistratûs crimen Sacra Civitati auferuntur; nequaquam cives vel omissionis nævo vacaverint: debuerant enim partes suas interponere, ut ille ab Ecclesiæ infestatione desisteret. Ecclesiam divexante Scotiæ Rege, hanc Populo obligationem memorat & injungit Alexander III., *Ut ad placandum motum regium adhiberent operam diligentem*[A]. In simili occasione Bernardus[B], *Si quis Dei fidelis*, inquit, *si quis Ecclesiæ filius, profectò stabit, & opponet se, quoad poterit, murum pro domo Domini*. Quam aliam rationem interdicendæ villæ, ad quam puellæ raptor confugerat, reddit Basilius? nisi ut *discerent omnes* illum *odisse*, *nec non injuriâ affectis opitulari*. Siquidem *error, cui non resistitur, approbatur: & veritas, cùm minimè defensatur, opprimitur. Nec caret occultæ societatis scrupulo qui desinit obviare manifesto facinori*[C].

(A) *Epist. Clero & Populo Sanct-Andreæ apud Rogerum Annal. Anglic. part. poster. ann.* 1180. *cit. pag.* 597.

(B) *Epist.* 222.

(C) *Ex Felic. III. epist.* 1., *D. Thom. Cantuar. epist.* 65. *lib.* 1.

CAPUT III.

De gravissimâ Interdicti servandi obligatione.

SED quò magis ad Ecclesiæ præsidium, ad disciplinæ vigorem servandum, debitamque Sacris Legibus reverentiã asserendam, Interdicti sententiam inviolatam custodiri interest: eò magis persæpe Laici Magistratus, ut hujusmodi canonicam animadversionem effugerent,

illi

illi resistere, ejusque observationem, minis ac sævitiâ intentatis, impedire conati sunt. Etenim id pronum omninò est, ut tunc maximè terrenæ Potestates adversùs Dei Ecclesiam fremant, & meditentur inania, cùm ejus vincula ferenda sunt. Sed nunquid propterea cedendum, nec ulla contrà arma distringat Ecclesia? Equidem eos, qui, Interdicti sententiam impugnantes, Ecclesiasticos ad Sacra peragenda cogere audeant, anathemate percellunt Sacri Canones [A]. Quod cum summis etiam Regibus factum, testantur historiæ.

De gravissimâ Interdicti servandi obligatione.

(A) Clement. Gravis 2. de Sentent. Excomm.

At verò, ut irriti eorum cadant conatus, ad Ecclesiasticorum constantiam pertinet, periculum quodcumque aspernari, nec timori per summam ignaviam succumbere. Quòd si ulla unquam causa infractos Ecclesiasticorum animos postulat, hæc profectò tanta est, ut quancunque potiùs procellam excipere parati esse debeant, quam è gradu, & proposito Interdictum servandi dimoveantur. Quippe hujusmodi fortitudini commissum est summum Ecclesiæ negotium, de ejus dignitate ac libertate tuendâ, de graviorum criminum grassatione compescendâ, de Ecclesiasticæ disciplinæ nervo in suâ firmitate servando; adeoque tanquam pro communi bono ac libertate, tanquam pro sacris aris, omni prorsus timore abjecto, imperterritè decertandum. *Neque enim*, ut Cyprianus ait [B], *nos divinæ traditionis immemores esse debemus, ut majora esse furentium scelera, quàm Sacerdotum judicia censeamus; aut existimemus plùs ad impugnandum posse humana conamina, quàm quoad protegendum*

(B) Epist. 55. circa finem.

De gravissimâ Interdicti servandi obligatione.

dum prævalet divina tutela. An ad hoc deponenda est Catholicæ Ecclesiæ dignitas, & plebis intus positę fidelis, atque incorrupta majestas, & Sacerdotalis quoque Authoritas, ac Potestas, ut judicare velle se dicant de Ecclesiæ Præposito extra Ecclesiam constituti? . . . Si pacem postulant, arma deponant: si satisfaciunt, quid minantur? aut si comminantur, sciant quia à Dei Sacerdotibus non timentur.

Qui autem hisce stimulis minimè excitentur, vel pœnis in eos, qui secus fecerint, statutis, ab ignaviæ labe contrahendâ deterreantur oportet. Quandoquidem Clerici Interdictum violantes, I. Ab Ecclesiæ ingressu prohibentur, donec satisfactum ab eis fuerit [A]. II. Carent privilegio, quod alioquin haberent, obtinendi in loco interdicto Ecclesiasticam sepulturam [B]. III. ab officio & beneficiis suspenduntur [C]. IV. Irregularitatem incurrunt, & ad beneficia aut dignitates nec eligi possunt, nec postulari [D]. V. Si Monachi aut Moniales fuerint, in arctiora Monasteria ad pœnitentiam agendam detrudi debent [E]. VI. Nisi desistant deponi ab officio & beneficiis in perpetuum possunt [F]. VII. Regulares Excommunicationem ipso jure contrahunt, nisi servent Interdictum, quod Ecclesia Cathedralis, aut quæ in eo loco Matrix est, servat [G]. VIII. Minores admittentes ad divina Fratres & Sorores tertii Ordinis; nec non Clerici, qui interdictorum Cadavera Ecclesiasticâ donant sepulturâ, eadem Excommunicationis pœnâ plectuntur [H]. Pontificum decretis adversus prædictos transgressores, Conciliorum

(A) *Cap.* Episcoporum *de privileg. in 6.*

(B) *Cap.* Quod in te *de pænit. & remiss.*, *cap.* Is cui *de Sentent. Excomm. in 6.*

(C) *Cap.* Tanta est *de excess. Prælat.*

(D) *Cap.* Is qui §. Is verò *de Sentent. Excomm. in 6.*, *cap.* Ad hæc *de postulat. Prælat.*

(E) *Cap.* Postulastis §. Quæsivistis *de Cleric. Excomm. &c.*

(F) *Cap.* Clerici *de Cler. Excomm.*

(G) *Clement.* 1. *de Sẽtent. Excomm.*

(H) *Clement.* 1. *de sepult.*, & 3. *de Sẽtent. Excomm.*

rum

De gravissima Interdicti servandi obligatione.

rum Canones consonant, qui Interdicti violationem, utpotè *gravissimum authoritatis & potestatis Ecclesiasticæ censuræque contemptum*, multiplici pœnarum genere ulciscendam voluere [A]. Neque verò tantâ severitate opus erat, nisi ad hoc, ut Ecclesiastici nullo metu in id criminis se adduci paterentur. Etenim noverant cùm Concilia, tum Pontifices, quid memorati Magistratus agere consuevissent, ut Interdicti à suis Terris animadversionem averterent. Imò nonnullæ ex Decretalibus, in quibus prædictæ pœnæ statutæ sunt, eâ occasione prodierunt, quòd Clerici nonnulli metu concussi ab Interdicti sententiâ servandâ defecerant, prout inferiùs ostendemus: HÆC EST ENIM CULPA, inquit Gregorius IX., IN QUA CULPA EST RELAXARE VINDICTAM [B]. Quod per eadem verba Innocentius III. priùs expresserat [C]. Tantum abest, ut periculum quodcumque hujusmodi transgressionem valeat excusare.

(A) *Concil. Budens. ann.* 1279. *cá.* 67. *Capriniacés.* 1262 *can.* 5. *Herbipolés.* 1287. *can.* 13. *&* 38. *Coloniens.* 1280. *can.* 18. *Nugaroliés.* 1315 *can.* 1. *Posoniens.* 1346. *apud Raynald, n.* 76. *Augustens.* 1548. *can.* 30. *Trident. sess.* 25. *de Regul. cap.* 12.

(B) *Epist, Archiepiscopo Bracharen., ex qua desumptú cap.* Tanta est *de Excess. Prælat.*

(C) *Cap.* 1. *de Postulat. Prælat.*



DISSERTATIONIS

PARS SECUNDA

De Interdicti ſententiâ nullum ob metum violandâ.

CAPUT I.

Contraria hypotheſis exponitur, & confutatur.

HIS præcognitis, videamus, quâ ratione ſeptem Theologi & Canoniſtæ, aliique, ſiqui ab eorum parte ſunt, à metu idoneam violati Interdicti excuſationem ſe eruere poſſe putaverint. Ut multa, quæ inquiunt, paucis perſtringamus, hùc omnis eorum hypotheſis recidit „: Ubi de re intrinſecè malâ non agitur, „ ſed tantùm malâ, quia prohibitâ: ubi præterea „ contemptus abeſt, & ſcandalum, impune quis „ poteſt, ob metum gravem incuſſum, legem aut „ cenſuram Eccleſiaſticam egredi „. Id autem adeò verum exiſtimant, ùt apud Scriptores omnes in proverbium antiquitate contritum ceſſiſſe aſſerant.

Nos è contrà, eorum pace, pro comperto omnino habemus, purum hunc putumque erro-

rem

rem esse, à summis Theologis ac Jurisperitis severis admodum notis transfixum, utpotè qui Sacrarum Literarum documentis, Patrum testimoniis, Conciliorum statutis, Pontificum decretis adversatur; & solida Politiæ Ecclesiasticæ fundamenta evertit. Quod cùm ex dictis, tum maximè ex fusissimè dicendis patebit.

Contraria hypothesis exponitur, & confutatur.

Nemo quidem inficias iverit, necessitatem à legis humanæ, aut censuræ observatione excusare. Hinc *uxores, filii, servi, ancillæ*, cęterique *ab anathematis vinculo subtracti sunt*, si excommunicatis communicent: Ita quoque si *orator, sive peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum deveniat*, nec habeat unde victui necessaria emat, *ab Excommunicatis accipiendi licentiam habet. Et si quis Excommunicatis in sustentationem, non superbiæ, sed humanitatis causâ dare aliquid voluerit, non probibetur*: Hoc est Can. *Quoniam multos* 11. quæst. 3. statutum, à Concilio Romano depromptum; in quo Gregorius VII. antiquum Excommunicationis rigorem temperavit. Cujus rei Bertholdus Constantiensis Presbyter [A] meminit. Metum quoque gravem, ab aliquo periculo aut ægritudine provenientem, quem intrinsecum Doctores dicunt, idipsum efficere posse, ultrò assentimur: sic æger, ut saluti consulat, cibis prohibitis impune vescitur. Quin etiam idem juris esse, non repugnamus, si metus ab extrinseco incussus sit, sed non directè ad legis violationem extorquendam: ut cùm quis ab hoste appetitus, excommunicati, qui fortè adsit, opem implorat, modò aliunde opis implorandę copia non suppetat.

(A) *In Chron. ad annum.* 1078.

 At

Contraria hypothesis exponitur, & confutatur.

At si fortè violentus aggressor ad id minas mortis directè intentet, ut ad censuræ aut legis violationem cogat, numquid hoc etiam casu licebit metui succumbere? Atqui hic ab aliis præmissis longè diversissimus est. Qui hujusmodi metum facit, legi summè injuriosus est, & qui pro vitâ servandâ, legis violationem eligit, ejus veritatem & justitiam deserit, neglecto dilectionis Dei, quod supervenit, præcepto; efficitque, ut vita justitiæ tutandæ postponenda sit. Quorsum enim in Ecclesiastico[A] legimus? *Pro justitiâ agonizare pro animâ tuâ, & usque ad mortem certa pro justitiâ:* Quorsum Christus Dominus mandat[B]? *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Exempla ex Divinis Literis petamus; quæ & firment, quod scribimus, ac dilucident. Dum Antiochi jussu, *Eleazarus unus de primoribus Scribarum, vir ætate provectus, & vultu decorus, aperto ore hians compellebatur* CARNEM PORCINAM MANDUCARE ...*,gloriosissimã mortem magis, quàm* ODIBILEM VITAM *complectens, voluntariè prçibat ad supplicium*: Etenim ipse destinaverat NON ADMITTERE ILLICITA PROPTER VITÆ AMOREM[C]. Septem fratres Machabæi ætate pueri, sed constantiâ viri, teterrimis suppliciis excarnificati, adhortante Salomonâ Matre, eundem gloriosum agonem consummarunt, dicendo: NON OBEDIO PRÆCEPTO REGIS, SED PRÆCEPTO LEGIS, QUÆ DATA EST NOBIS PER MOYSEN[D]. Hos Mater octies martyr secuta est, & ipsa parata mortem pro lege occumbe-

re,

(A) *Cap.4.*

(B) *Matth. 10.*

(C) *Machab. 2. cap. 6.*

(D) *Ibidem cap. 7.*

re, Tyranno ad ejus violationem urgente. Metus igitur mortis porcinam edere licitum non faciebat: nec tamen id intrinſecè malum erat; ſed malum, quia Lege Moſaicâ prohibitum, ideo tunc ſub eo diſcrimine obſervandâ, quia mors directè ad ejus violationem, per ſummam injuriam, extorquendam intentabatur. Cęterùm, ſeclusâ hâc circumſtantiâ, ex neceſſitate impune lex prætermitti potuiſſet. Ita David, & qui cum eo erant, fame compulſi, *propoſitionis panes* comederunt [A]: quod laicis lege prohibebatur; & tamen id facti Chriſtus defendit [B], eodem pacto excuſans Diſcipulos, die Sabbati ſpicas vellentes, ut excuſſa grana comederent; ex quo eos Phariſęi criminabantur.

Contraria hypotheſis exponitur, & confutatur.

(A) Regum 1. cap. 21.

(B) Matth. 12.

Ad ſcandalum verò, quod attinet, quo pacto ejus reatu Interdictum violantes abſolvemus? cùm ſcandali vitandi ergo præcipiat Apoſtolus [C], non tantùm à malis, ſed *ab omni* etiam *ſpecie malâ abſtinendum* eſſe. Eò nimirum, quòd Interdicti violatio metu gravi poſito nec mala ſit, nec mali ſpeciem habeat; ſed hoc eſt pro argumento ſumere idipſum, quod in diſquiſitionem vocatur; quodque falſiſſimum omninò contendimus. Præterea, ſi Interdicti generalis tranſgreſſio, quæ adeò publica eſt, metûs beneficio ſcandalo vacare poteſt; quæ alia erit cenſuræ tranſgreſſio, metu extorta, quæ ſcandali labe inficiatur? Ridiculum ergo eſſet, quod citra controverſiam admittitur, propter ſcandalum metûs efficaciam ceſſare, ſi numquam in cenſuræ tranſgreſſione metus patitur ſcandalum intervenire.

(C) 1. Theſſalon. 5. verſ. 22.

Contraria hypothesis exponitur, & confutatur.

Saltem scandalum passivum excludi non potest: siquidem, dum januis templorum patentibus, Divina peraguntur, laicis occasio præbetur, ut ad ea accedant; quod ipsis sub peccato gravi prohibetur: Ecclesiastici igitur his *ruinæ spiritualis præbent occasionem*, quæ scandali definitio est [A]; ad quod vitandum sub quocumque periculo adstringimur, dicente Domino: *Væ autem homini illi per quem scandalum venit* [B]. Quò etiam spectat illud Apostoli [C]: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum*.

(A) Hieronym. in Matth. cap. 15. D. Thom. 2. 2. q. 43. art. 1.

(B) Matth. cap. 18.

(C) 1. ad Corinth. cap. 8.

Quomodo huic argumento occurri possit, nunquam ego divinarem. Negabis laicos, tunc etiam cùm non personæ, sed locus interdictus est, grave peccatum incurrere, nisi Sacris abstinuerint? At quo fundamento? Suarius [D], dum ejusmodi culpam ponderat, lethalem pronunciat; pronunciatum autem suum, & Doctorum placitis probat, & eo præsertim argumento; *quia etiam per Interdictum locale directè prohibentur laici, ne in loco interdicto Divinis intersint*: nec nisi *infirmis fundamentis*, & *frivolis rationibus* contrariam sententiam innixam putat; cujus authores cum eo vim faciunt, quòd Interdicti localis prohibitio non ad laicos, sed tantùm ad Clericos dirigatur; quod ipse nonnullarum Decretalium decisionibus, præcipuè verò cap. *Si sententia* de Sentent. Excomm. in 6., ut falsum dispellit.

(D) De Censur. disput. 34. sect. 5.

At gravis, inquies, utcumque sit laicorum ad Interdictum servandum obligatio, cesset in iis oportet, posito quòd eadem propter metum cessarit

rit in Clericis, juxta generalem regulam, quam ex cap. *Petiistis* de privil. ipse Suarius eodem, qui indicatus est, loco deducit: quòd nimirum in omnibus casibus, in quibus suspenditur Interdicti obligatio, vel ab homine, vel à jure, cessant omnes obligationes, non solùm quoad Clericos, sed etiam quoad laicos.

Contraria hypothesis exponitur, & confutatur.

Ut solutionis appareat imbecillitas, quid sibi velit decretalis illa, quid ex eâ Suarius, expendendum. Ea fuerat Hospitalariorum ac Templariorum insolentia, ut privilegiorum obtentu Interdicta generalia non servarent; idque tunc etiam, cùm Interdictum in eorum gratiam latum erat. Quapropter Pontifex [A] *in pœnam præsumptionis eorum*, Episcopo & Capitulo Tripolitano Divinorum celebrationem permittit, *si præfati Hospitalarii vel Templarii privilegiorum suorum fines excesserint, violando temerè Interdictum, quod pro illis fuerat promulgatum*. Verùm id explicare non omittit, quòd si Interdictum in aliorum favorem fuisset excussum, quamvis ii non servassent, ab aliis tamen servandum foret, eâ scilicet ratione, *quòd illorum excessus* aliis *non præbet licentiam excedendi*.

(A) *Innoc. III. in cit. cap.* Petiistis, *ex epist.* 160. *lib.* 3, *regest.* 15.

Ex hoc infert Suarius, inter servandi Interdicti conditiones, hanc recensendam esse, ut ab iis servetur, in quorum gratiam inflictum est. Tum subdit: *Estque hæc exceptio ad omnes alias prohibitiones hujus Interdicti localis applicanda.* NAM POTIUS EST QUÆDAM REUOCATIO, VEL SUSPENSIO INTERDICTI *illâ occasione facta à jure, & ideo cessant omnes probi-*

Contraria hypothesis exponitur, & confutatur.

probibitiones non solùm ad laicos, sed etiam ad Clericos pertinentes: Quapropter idem dicendum erit in omnibus casibus, IN QUIBUS INTERDICTUM A JURE VEL AB HOMINE SUSPENDITUR, PRO RATIONE SUSPENSIONIS.

Hinc autem non videmus, quomodo argumenti solutio eruatur. Si Suarius dixisset, *In omnibus casibus, in quibus suspenditur* INTERDICTI OBLIGATIO *vel ab homine, vel à jure, cessant omnes obligationes non solùm quoad Clericos, sed etiam quoad laicos*, fortasse non abs re in evictionem vocari posset, & sub ejus fide ad laicos etiam extendi obligationis servandi Interdictum suspensio, admisso quòd Clerici eâ gauderent ob metum gravem, tametsi hic ipsis tantùm incussus esset: sed longè aliter ille loquitur pro eo casu, quò EST QUÆDAM REVOCATIO VEL SUSPENSIO INTERDICTI. Maxima autem est differentia inter unum, alterumque dicendi modum. Hic secundus importat juridicam ipsius Interdicti SUSPENSIONEM ET REVOCATIONEM QUANDAM; ex quâ certò certiùs Clerici pariter, ac laici ab illius servandi obligatione eximuntur: sed hoc ad causam accomodari nequaquam potest; quis enim ita demens erit, ut asserat, Siculum Interdictum ob metum Clericis incussum suspensum jam esse, aut juridicè revocatum? Primus verò importat tantùm remissionem OBLIGATIONIS, quam Interdictum inducit, respectu alicujus particularis casûs aut personæ, firmo remanente Interdicto ipso. In hâc autem specie nemo somniaverit, illam obligationis remissionem ab uno ad alium casum, aut ab unâ ad aliam personam extendi posse (ita enim ces-

cessante Interdicti rigore quoad infirmos, e. g., cessaret etiam quoad sanos); tantumque abest, ut Decretalis, vel Suarii doctrina quidquam Adversariis prosit, ut potiùs quàm maximè adversetur. Etenim si cap. *Petiistis* axioma est, aliorum *excessum* aliis *non præbere licentiam excedendi*; licet Magistratus excedat, Ecclesiasticos ad Sacra peragenda cogens; non propterea laicis quoque nullam vim passis licebit excedere, se ab illis non abstinendo. Pariter si docet Suarius, disjunctam omninò esse laicorum à Clericorum in servando Interdicto obligationem; itaut neutra ab alterâ dependeat, cùm directè illi prohibeantur Sacris adesse, ut hi Sacra peragere: Esto, quod ea per metum cesset in Clericis, cur cessare etiam dicamus in laicis? Sanè neque Spalatensis ipse, quo vix alius Ecclesiasticis censuris iniquior, id omninò affirmare ausus est. Postquàm enim Ecclesiasticos ex metu Interdictum transgressos crimine absolvit, *Quantò magis*, ait, *laici omnes*, *quibus in Interdicto nullum datur præceptum, poterunt Ecclesias & Divina*, SALTEM OB EUMDEM METUM, *frequentare*[A]? Quam falsè is astruat, nullum in Interdicto laicis dari præceptum, ex modò dictis patet. Ad rem præsentem quod attinet, metum in laicis quoque expetit, ut culpâ vacare possint, Ecclesias & Divina Interdicti tempore frequentando.

Contraria hypothesis exponitur, & confutatur.

Hæc, ut morem Adversariis gereremus, & ex hypothesi, quòd metus Clericis excusationi sit. Verùm laicis juxtà, ac Clericis ejusmodi patrocinium deesse, expressa Alexandri III. decretalis est; quam

(A) De Repub. lib. 5. cap. 9. n. 46.

Contraria hypothesis exponitur, & confutatur.

quam Rogerus de Hoveden suis Anglicanis Annalibus [A] interseruit. Impugnabat Wilhelmus Scotorum Rex, Joannis cujusdam in Sanct-Andreanum Episcopum electionem, ut Hugoni Cappellano suo ejus æmulo faveret. Excommunicatus propterea est Hugo, & Sanct-Andreana Diœcesis Interdicto subjecta: Sed *nullus propter metum regium in manifesto obedire audebat*. Pontifex huic malo consulturus, non tantum ad Joannem ipsum, aliosque Prælatos per Scotiam constitutos literas dedit [B], ut *omni timore postposito* Ecclesiæ causam agerent, & inflictas censuras observandas curarent, sed Clero etiam, et Populo Sanct-Andreæ, utrosque jubens latum Interdictum, Regis minis contemptis, custodire, & Pastorem suum suscipere: *Præcipimus, quatenus spiritum fortitudinis induentes, ipsum Episcopum infra octo dies post harum susceptionem literarum, honorificè, appellatione postpositâ, ad Sedem suam reducatis; & pro* servanda Ecclesiastica justitia *prudenter & utiliter laboretis*. Pœnarum etiam sanctionem addit, nisi obtemperassent: *Quod si Rex aliud voluerit, aut etiam consilio pravorum inclinatus fuerit, Deo & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ magis oportet obedire, quàm hominibus; alioquin sententiam, quam Venerabilis frater noster Hugo Dunelmensis Episcopus in contumaces & rebelles tulerit, nos authore Deo ratam habebimus*. Similis est Innocentii III. epistola ad Clericos & laicos Angliæ data [C], quam alibi afferre erit. Hìc interea sexcentorum vice Theologorum ac Jurisperitorum vetula erit, mulieris

(A) *Cit. part. poster. ann.* 1180. *pag. mihi* 597.

(B) *Adducit idem Roger. loc. cit.*

(C) *Epist.* 113. *lib.* 10.

lieris fortis titulo condecoranda, quæ maluit parvâ domo,& binis prædiolis spoliari,quę totum ejus patrimonium, census, & fortunæ erant, quàm postremum Venetum Interdictum violare [A]. Ex Clementinâ insuper *Gravis*,ibique glossa [B], nec non ex historiis tam memorati Interdicti, quàm aliorum, testatum fit, laicis etiam sævitiam intentari oportuisse, ne Divinis abstinerent: imò religiosiores spretis etiam periculis abstinuisse [C]. Utinam in Siciliâ vel his vexationibus secularis parceret Magistratus; neque acerbè adeò Ecclesię obtemperantes affligeret. Quidquid autem hoc loco dixi, ad hanc summam referri velim: sive Clericis tantùm, sive Clericis pariter ac laicis metus factus sit, nequaquam ex hoc laicis licere Sacris contra Interdicti prohibitionem interesse; idque ipsosmet persuasum habuisse. Clerici ergo, qui,apertis Ecclesiarum januis celebrando, hanc illis præstant occasionem, nullo queant pacto scandali reatum evadere.

Contraria hypothesis exponitur,& confutatur.

Paulus Comitolus confutat. lib. septé Theolog. posit. 6. pag.34.

(B) *In princip., & in v.* Voce præconiâ.

(C) *Idem Comit. ibidem proposit. 4. pag.21.*

Ad reliqua modò pergamus. Qua securi hæc duo, Ecclesiasticæ nimirum censuræ violatio, & contemptus, quæ conjunctissima omninò sunt, abscindi invicem poterunt, & separari? Quandoquidem contemptus, ut obedientiæ opponitur, teste Innocentio III. [D], dum ait: *Nihil obedientia prodesse videretur humilibus, si contemptus contumacibus non obesset*. Et rursus: *Cùm vos Interdicti sententiam servaretis,& ipse eam contemneret observare*: cum inobedientiâ arctissimo fœdere copulatur; unde idem Innocentius, quem Interdicto inobedien-

(D) *Cap.* Ad hæc 1. *de Postulat. Prælator.*

Contraria hypotheſis exponitur, & confutatur.

quam Rogerus de Hoveden ſuis Anglicanis Annalibus [A] interſeruit. Impugnabat Wilhelmus Scotorum Rex, Joannis cujuſdam in Sanct-Andreanum Epiſcopum electionem, ut Hugoni Cappellano ſuo ejus æmulo faveret. Excommunicatus propterea eſt Hugo, & Sanct-Andreana Diœceſis Interdicto ſubjecta: Sed *nullus propter metum regium in manifeſto obedire audebat*. Pontifex huic malo conſulturus, non tantum ad Joannem ipſum, alioſque Prælatos per Scotiam conſtitutos literas dedit [B], ut *omni timore poſtpoſito* Eccleſiæ cauſam agerent, & inflictas cenſuras obſervandas curarent, ſed Clero etiam, et Populo Sanct-Andreæ, utroſque jubens latum Interdictum, Regis minis contemptis, cuſtodire, & Paſtorem ſuum ſuſcipere: *Præcipimus, quatenus ſpiritum fortitudinis induentes, ipſum Epiſcopum infra octo dies poſt harum ſuſceptionem literarum, honorificè, appellatione poſtpoſitâ, ad Sedem ſuam reducatis; & pro* servanda Ecclesiastica justitia *prudenter & utiliter laboretis*. Pœnarum etiam ſanctionem addit, niſi obtemperaſſent: *Quod ſi Rex aliud voluerit, aut etiam conſilio pravorum inclinatus fuerit, Deo & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ magis oportet obedire, quàm hominibus; alioquin ſententiam, quam Venerabilis frater noſter Hugo Dunelmenſis Epiſcopus in contumaces & rebelles tulerit, nos authore Deo ratam habebimus*. Similis eſt Innocentii III. epiſtola ad Clericos & laicos Angliæ data [C], quam alibi afferre erit. Hic interea ſexcentorum vice Theologorum ac Juriſperitorum vetula erit, mulieris

(A) Cit. part. poſter. ann. 1180. pag. mihi 597.

(B) Adducit idem Roger. loc. cit.

(C) Epiſt. 113. lib. 10.

lieris fortis titulo condecoranda, quæ maluit parvâ domo,& binis prædiolis spoliari,quę totum ejus patrimonium, census, & fortunæ erant, quàm postremum Venetum Interdictum violare [A]. Ex Clementinâ insuper *Gravis*,ibique glossa[B], nec non ex historiis tam memorati Interdicti, quàm aliorum, testatum sit, laicis etiam sævitiam intentari oportuisse, ne Divinis abstinerent: imò religiosiores spretis etiam periculis abstinuisse [C]. Utinam in Siciliâ vel his vexationibus secularis parceret Magistratus; neque acerbè adeò Ecclesię obtemperantes affligeret. Quidquid autem hoc loco dixi, ad hanc summam referri velim: sive Clericis tantùm, sive Clericis pariter ac laicis metus factus sit, nequaquam ex hoc laicis licere Sacris contra Interdicti prohibitionem interesse; idque ipsosmet persuasum habuisse. Clerici ergo, qui,apertis Ecclesiarum januis celebrando, hanc illis præstant occasionem, nullo queant pacto scandali reatum evadere.

Contraria hypothesis exponitur,& confutatur.

(A) *Paulus Comitolus confutat. lib. septé Theolog. proposit. 6. pag.34.*

(B) *In princip., & in v.* Voce pręconiâ.

(C) *Idem Comit. ibidem proposit. 4. pag.21.*

Ad reliqua modò pergamus. Qua securi hæc duo, Ecclesiasticæ nimirum censuræ violatio, & contemptus, quæ conjunctissima omninò sunt, abscindi invicem poterunt, & separari? Quandoquidem contemptus, ut obedientiæ opponitur, teste Innocentio III.[D], dum ait: *Nihil obedientia prodesse videretur humilibus, si contemptus contumacibus non obesset*. Et rursus: *Cùm vos Interdicti sententiam servaretis,& ipse eam contemneret observare*: cum inobedientiâ arctissimo fœdere copulatur; unde idem Innocentius, quem Interdicto inobedien-

(D) *Cap.* Ad hæc 1. *de Postulat. Prælator.*

Contraria hypothesis exponitur, & confutatur.

dientem deprehenderat, damnat ut contemptorem. Bonifacius VIII.[A] *Interdicti sententiam contempsisse*, inquit, eos etiam, qui privilegiorum prętextu *scienter celebrent, vel faciant celebrari Divina* in locis Interdicto suppositis. Viennenses Patres queruntur[B], *Censuram vilescere Ecclesiasticam, & minoris authoritatis Interdicti sententiam reputari*, adeoque contemptui haberi, quocumque violetur colore. *Inobedientiæ crimen & contemptum Apostolicæ authoritatis incurrere non erubuisti*, scribit Gregorius VII.[C] ad Isembertum Pictaviensem Episcopum, qui *interdictus à Legatis Apostolicæ Sedis, officium Episcopale usurpare præsumpserat*. Aptissimè ad rem nostram Gregorius IX.[D] contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ cum inobedientiâ in censuris observandis confundit: *In contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ, videlicet contra probitionem Superioris*: Quid plura? Quicumque leges aut præcepta Superioris violanda putaverit, Superiorem suum, præcepta, Deum ipsum contemnit. Hinc est, quod alter Gregorius[E] *contemnentes* vocat, qui suis Episcopis non obedierint. Apud Augustinum autem legimus, *Omne peccatum esse contemptum Dei*[F]. Idemque ex aliis Patribus docent Theologi[G]. Quantò magis Ecclesiam contemnere ii dicendi sunt, qui non tantùm ipsi parere recusant; sed alios etiam ad inobedientiæ crimen adducere, minisque compellere non reformidant? In quos, propter *sic graves excessus*, anathemate animadversum Sacri Canones voluerunt[H].

(A) *Cap.* Episcoporum 8. *de privil. in* 6.

(B) *Clement.* Cùm ex eo 3. *de Sent. Excomm.*

(C) *Epist.* 2. *lib.* 2.

(D) *Cap.* Si celebrat 10. *de Cleric. Excomm.*

(E) *Can.* Honoratus §. Adhibenda est 74. *dist.*

(F) *Lib. de Nat. & Grat. cap.* 29.

(G) *Vid. Adrian. quæstion. quodlib.* 6. *art.* 2. *circa med.*

(H) *Clement.* Gravis 2. *de Sentent. Excomm.*

CA-

CAPUT II.

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmiùs confutatur.

HÆC tanquam levis armaturæ prima disceptationis excursio est: verùm cominus omninò agendum, ut ratione aliquid evinçamus. Tales enim Adversarios nacti sumus, iique veniunt Scriptores impugnandi, qui quantò causâ inferiores sunt, tantò cavillandi præstant subtilitate; cumque omnes trahendæ disputationis anfractus, fugitandi vias omnes apprimè edocti sint, per eas salebras circuitusque nos ducent, ut nisi præstò simus ad nexus quoscumque dissolvendos, & majori cum instantiâ urgeamus, omnem argumentorum vim ludificentur; aut saltem ita rem implicitam reddent & intricatam, ut à quâ parte ratio stet, difficilè discernatur. In perennem excurram prolixitatem, lectoresque futili obscuritate contorqueam, si distinctionum tricas omnes, quas ipsi in medium mittunt; pergam recensere. Principalissima machina est contemptûs in formalem & materialem divisio. Quodcumque obiicias argumentum, hanc recinunt cantilenam; hoc cuneo quemvis nodum se dissoluturos pollicentur.

Contemptum formalem appellant, cùm quis eo fine legis, aut censuræ violationem per minas metumque incussum nititur extorquere, ut osten-

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmiùs confutatur

dat, se Potestatem Ecclesiasticam nihili facere; cùm ex odio Religionis aut Fidei, aut in vilipendium Ecclesiasticæ Potestatis, & in negationem Clavium, ad eam violationem impellit, ut si hæreticus sit, vel Christianæ Religionis hostis. Materialem verò dicunt, cùm absque ullâ schismatis aut hæreseos labe, non Fidei aut Religionis detrimentum intendens, sed alio quocumque fine motus, legem aut censuram Ecclesiasticam prohibet observari. Si hoc ipsum in contemptum, & vilipendium Religionis cedat, non formalis, sed materialis contemptus erit. Siquidem ad formalem ipsi requirunt, ut contemptus & vilipendium Ecclesiasticæ Potestatis causa sit, & quòd ex ipso metum inferens moveatur: si verò effectus sit, & sequela violationis, materialem tantum esse contendunt.

Hujusmodi formali contemptu posito, admittunt quidem, nullum metum utcumque gravem à præcepti, aut censuræ observatione excusare; hoc enim casu cedere esset saltem tacitè Catholicam negare Fidem, aut ejus articulum circa Ecclesiæ in ferendis censuris authoritatem; atque à Divino præcepto deficere, religionem magis, quàm vitam tuendi.

Dum verò qui minas intentat, Ecclesiæ Claves aut censuras materialiter tantùm contemnit, tantùm abesse putant, ut quis illas cum gravi periculo servare teneatur; ut potiùs juxtà Soti doctrinam [A] consultiùs agat, si metui potiùs, quàm legi aut censuræ servandæ cedat.

(A) *In 4. distinct. 22. q. 1. art. 4. circa fin.*

Cùm

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmiùs confutatur

Cùm nos quancumque transgressionem Ecclesiasticæ censuræ aut legis contemptum involvere inculcamus, derident planè, & ne attigisse quidem quęstionis cardinem criminantur. Id verum de contemptu formali, minimè de materiali respondent. Cùm Eleazarum & Machabęos in exemplum adducimus, formalem eo casu contemptum intervenisse obiiciunt: ex odio enim Judaicæ Legis ad porcinam edendam illos urgebat Antiochus. Addunt demum rarò admodum contingere peccatum formalis contemptûs; & proinde rarum quoque casum esse, in quo quis à legis aut cęnsuræ observandæ obligatione per metum illatum non eximatur. Itaque mirabili hujus unius distinctionis vi rem totam omninò conficiunt.

Quippe & nos ultrò in eamdem sententiam ibimus, rarò quemquam formalis contemptûs reatu infici. Quid ergo erit? Nunquam laicæ Potestati minæ deerunt; expedit Ecclesiasticos metui succumbere; desperet igitur, censuras suas unquam non despici, Ecclesia; nisi Nerones & Diocletiani in Religionis Christianę odium desęviant; nisi iterum Henricus III. Imperator exurgat, qui Ecclesiastica vincula contemnenda velit: aut nisi alterius Henrici à fide turpissima apostasia, & in Ecclesiam rebellio renovetur.

Quis non indoluerit, geminum septem Theologorum ac Canonistarum Collegium in hanc opinionis labem inconsideratè incidisse, quæ vitilitigatoribus magis quàm Theologis ac Canonistis, Ecclesiæ hostibus quàm Ecclesiæ filiis, digna sit?

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmiùs confutatur

Væ nobis, ad quos tam malesuadæ opinionis contagia pervenerunt? Quid Ecclesiasticæ disciplinę perniciosius! Quid fovendis sceleribus aptius, & veritati sanæque doctrinæ contrarium magis? Densissimas hasce falsæ persuasionis nebulas eloquentiæ suæ radiis dissipet Cyprianus[A]: *Quòd si ita res est, ut nequissimorum timeatur audacia, & quod mali jure atque æquitate non possunt, temeritate ac desperatione perficiant: actum est de Episcopatûs vigore, & de Ecclesiæ gubernandæ sublimi ac divinâ potestate; nec Christiani ultrâ aut durare, aut esse jam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas, atque insidias pertimescamus.* Propiùs ad rem nostram clarissimi Præsulis, ac Christi Martyris accedit oratio, quasi de materialis ac formalis contemptûs nugis ablegandis commentaretur: NEC ENIM SOLAS GENTILIUM VEL JUDÆORUM MINAS COGITARE, ET SPECTARE DEBEMUS, *cùm videamus ipsum Dominum à fratribus esse detentum; & ab eo, quem inter Apostolos ipse delegerat, proditum: inter initia quoque mundi Abel justum nonnisi frater occiderit; & Jacob fugientem persecutus sit frater infestus; & Joseph puer venierit vendentibus fratribus; in Evangelio etiam legamus esse prædictum, magis domesticos inimicos futuros, & qui priùs copulati Sacramento unanimitatis fuerint, ipsos invicem tradituros.* NIHIL INTEREST, QUIS TRADAT AUT SÆVIAT, CUM DEUS TRADI PERMITTAT, QUOS DISPONIT CORONARI.

(A) *Epist. 55. aliàs 3. lib. 1. in princip.*

Doctores Doctoribus ex adverso consarcinantur, sed quâ fide non videmus. Suarius in aliorum opinionibus recensendis diligentissimus, qui tra-

ctatum

ctatum de Censuris circa initium XVII. seculi concinnabat, nullum quidem habuit, à quo hanc quæstionem in materia Interdicti agitatam indicaret: *Omnes in specie loquuntur de communicantibus cum excommunicato* [A]. Immane autem est, quantum Interdicti & Excommunicationis transgressio discrepant [B]. Primos, qui in hoc argumento ineptiverint, eos putamus, qui in Pauli V. Interdictum debacchati sunt.

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur,& firmiùs confutatur

(A) *Disput. 6. sect. 3. num. 7.*

(B) *Vid. dicta part. 1. cap. 2. §. 2., & dicenda hac 2. part. cap. 3.*

Famosiores tunc fuerunt septem Theologi minùs commodè apud Catholicos audientes; proptereaque ab hæresis Quæsitore in judicium vocati. Qui inter hos audaciâ eminuit, Sarpium Calvinismi, ne quid aliud dicam, Pallavicinus redarguit. De Dominis quoque, tametsi nondum ex Archiepiscopo archiapostata factus, virus tamen, quod jam venis ac toto pectore serpebat, enutriens, clanculùm scriptillabat, & scripta *alieno nomine* in lucem emittebat, ut ipsemet testatur in suâ Republicâ [C]; ubi eamdem causam refricavit. Jacobum Leschasserium, acrem juriû Apostolicę Sedis hostem, alieno pariter nomine eâ de re scripsisse, hæretico [D] revelante, scimus. Aliis ex heterodoxorum castris, in eâdem arenam descendendi tentigo fuit. Obvium est coniicere, Isaacum Casaubonum Genevensem authorem esse *libri singularis de Libertate Ecclesiasticâ*, I. C. G. inscripti? Quibus in pretio eorum lucubrationes futuræ essent, Melchior Goldastus rabidissimus Calvinista edocuit, cùm de iis colligendis fategit. Hac controversiâ memoratâ, quasi ipsis favorabili, in insolentiam evadunt Siculorum

(C) *Loc. cit. n. 42.*

(D) *Gerb. Ven Mastricht. Histor. Iuris Ecclesiast. n. 42.*

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmiùs confutatur

rum Patroni. Videant quæso, quos duces sequantur; quibuscum opinione communicent.

Ex omni cœtu, ex omni ferè natione, Catholici viri, doctrinâ, pietate, dignitatibus præstantissimi, ad prædictorum errores retundendos stylum verterunt. Quorum scripta typis prodierunt, sunt, Ex S. R. E. Cardinalibus, *Columna*, *Bellarminus*, *Baronius*: Ex Episcoporum ordine *Gregorius Servantius* Trevicensis, *Rutilius Benzonus* Lauretanus & Recanatensis, *Joannes Beltranus* Guevara J. C. Hispanus, in Regno Neapolitano supra Magistratus quoscumque generalis Censoris munere à Rege Catholico Philippo III. insignitus, ac Salernitanus Archiepiscopus designatus; *Anastasius Germonius*, tunc Archidiaconus Taurinensis, & deinde Tarantasiensis Archiepiscopus: Ex secularis Cleri Theologis, *Ascanius Torrius* Romanus, *Joannes Bertolottus* Bononiensis, *Julius Roffus* à Valle Tari, *Joannes Philotheus* Astensis, *Lepidus Maccabrunus* Senensis, *Gregorius Buonajuti*: Ex Societate Jesu *Paulus Comitolus*, *Antonius Possevinus*, *Adamus Tanneri*, *Hernandus de Bastida*, *Justinianus Benedictus*, qui multa diversis sub nominibus edidit, ac *Iacobus Gretserus*; cujus Considerationes ad Venetos Theologos passim hæreticorũ turbidos fontes retegunt, unde illi doctrinæ suæ pravitatem hauserant: E Divi Francisci familiâ, *Joannes Antonius Brandi* Siculus, *Franciscus à Susa*, *Bartholomæus Cambi*, *Lælius Mediceus* Placentinus: E Divi Dominici, *Ambrosius Cordova*, & memoratus *Antonius Servantius*: Ex Carmelitis,

Joan-

Joannes Antonius Bovius, & *Christophorus Silvestranus Branzon*: Ex D. Augustini Ordine *Paulus Venetianus*: Ex Olivetanis Monachis *Ventura Venturius* Senensis: Ex Servitis, *Lælius Balionius*, & *Augustinus Vigiani* Florentini, *Angelus Maria Sermarinus* Ariminensis, ac aliquot alii *Theologi Anonymi*, ut palam fieret, quantâ detestatione eorum ordo Sarpii protherviam reprobasset: Ex Jurisconsultis, *Joannes Franciscus de Ponte* Neapolitanus, in supremo illius Regni Consistorio antiquior à latere Principis Consiliarius, ac Morconi Regulus, *Bernardus Justus*, *Nicomachus Philalitheus*, & *Ioannes Franciscus Fagnanus* Romani, *Baldassar Nardi* Aretinus, *Philippus Maynardi* Britonoriensis, *Jo: Baptista Valenzuola* Hispanus, *Joannes Pedrezanus* Cremonensis, *Bartholomæus Ugolinus* à Monte Scutolo, *Fœdericus Surdus* Bononiensis; ac denique universum *J.U. Collegium Bononiense*, cujus nomine luculentissimum *Responsum* editum est. Adde his *Gerardum Lopersium*, *Matthæum Fortium*, *Paulum Anafestum*, *Hieronymum de Bene*, *Agesilaum Marescottum*, *Nicodemum Macrum*, *Theodorum Eugenium*. Apud diversos ejusmodi catalogum conscriptum observavimus, sed apud neminem, cui multi non deessent: neque verò omninò omnes nostro comprehendi affirmare ausim. Verumtamen ita in præsens nos scripturos profitemur, ut qui tunc scripsere, si adversentur, quà opus est, refellere non omittamus; si faveant, nec authoritati innitamur, nec adductis rationum momentis insistamus.

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmius confutatur

Si

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmiùs confutatur

Si authores quæras, qui eâ controversiâ allegabantur, quorumque suffragio meticulosi Clerici se culpâ immunes, tutosque asserebant; vix unum Sotum deprehendes, eodem Spalatensi teste [A]: *Optimè Sotus* (laus est, an probrum à nebulone probari?) . . . *ab illâ, quam in nos torserant criminatione, prorsus liberabat, jam multò antè scribens &c.*: Sed quomodo Sotus Interdictum violantibus periculum præstet, eorumque inobedientiam fide jubeat suâ; ubi de Interdicto loqui ne cogitavit quidem. Si de Excommunicatione tantùm agatur, fatemur quidem contrariam hypothesim, eum principalissimum authorem habere; & quem exposuimus apparatum, è Soti penu imprimis desumi. Quippe illi sua in Theologicis rebus laus non est deneganda: nihilo tamen secius nonnulla ex ejus operibus magni nominis Theologis displicuerunt; in quorum examen & calamum inciderunt. Præteream, quæ adversùs eum scripsit Ambrosius Catharinus, ejusdem cum eo familiæ sodalis, primùm Minorensis, deinde Compsensis Episcopus. Causâ certè longè superior cum eo certavit Michael Medina, summæ eruditionis vir, pariter ut Sotus ex Hispaniâ à Philippo II. ad Tridentinum Concilium allegatus. Sexaginta septem loca, quæ in Joannis Feri Moguntini Theologi commentariis Sotus transfixerat, tam validè edito Apologetico restituit Medina, ut Soti censuræ *calumniosæ* apud doctos audiverint [B]. Hæc ideò notata voluimus, ne quis viri authoritate seduci se

(A) *Loc. cit. n. 45.*

(B) *Vid. Suassag. Continuat. Bellarm. de Script. Ecclesiast. pag. 76., Schot. in Biblioth. Hispan. pag. 255. Vvaddig. S. O. M. pag. 260., Koning. in Biblioth. in* Medinâ.

se patiatur. Cæterùm exceptiones aliunde quærendæ non erant, cùm in eo ipso loco, in quo refragatur, fœdissimè lapsus sit, ut mox & in dissertationis progressu videbimus. Ita summi quandoque viri scriptis suis labem incurrunt.

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmiùs confutatur

Qui juxtà modò expositam doctrinam, si ita eam appellare libet, disputant, plures gravissimas quæstiones confundunt, omnesque pravè nimis & erroneè resolvunt.

I. est; *An Ecclesiastica censura, aut lex ex se ipsâ, & seclusis extrinsecis circumstantiis, tantæ sit potestatis, ut ad sui observationem, etiam cum gravi periculo obliget?* Una hìc est opinio negans, quam dum refert Suarius [A], Almainum [B] dumtaxat pro eâ allegat. Is verò huic præcipuè innititur fundamento, quòd humana potestas sive civilis, sive Ecclesiastica careat tantâ vi, ut eam obligationem inducat. Quo nil falsius dici potest; etenim neque Ecclesiæ, neque Reipublicæ satis consultum esset, si legum quas condunt, unde utriusque bonum & felicitatis prosecutio pendet, per hujusmodi metum & pericula, nexus dissolverentur.

(A) *De Legib. lib. 3, cap. 3. n. 2.*

(B) *In Moral. tract. 1, cap. 30.*

Ex diametro opposita altera sententia est, universas leges humanas, cum vitæ etiam dispendio obligare. Hæc plures habet patronos [C], & imprimis Cajetanum [D], qui argumentis quampluribus eam confirmat, quorum nonnulla tantum hìc exscribemus: 1. est, quia *quilibet homo, non solum secundùm id, quod habet, sed hoc ipsum quod est, multitudinis est: sicut quælibet pars id, quod est, totius est. Ex hoc namque sequitur, quòd lex humana, quæ sicut*

(C) *Vid. Suar. ibid. num. 3.*

(D) *1. 2. q. 96. art. 4., & 2. 2. q. 125, art. 3.*

quæ-

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur,& firmiùs confutatur

quælibet alia lex ad commune bonum respicit, potestatem habet supra id, quod est quilibet homo, ac per hoc super vitam ipsius: 2. Lex humana est præceptiva & obligativa ad peccatum mortale, ut manifestè patet, cùm præcipitur aliquid sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, vel sub pœnâ capitis; ergo est constitutiva alicujus actûs in hoc, quòd sit peccatum mortale; ergo est obligativa ad evitandum magis actum illum, quàm mortem. 3. Homo tenetur potiùs mori, quàm contrahere matrimonium sine dispensatione cum sorore consobrinâ, & tamen hoc solo positivo jure est prohibitum. 4. Sacerdos tenetur mori potiùs, quàm Missam celebrare absque calice, corporali, altari & lumine, vestibus sacerdotalibus, & aliis requisitis ex jure humano.

(A) *Lib. 1. de justit., & jur. q. 6. art. 4. circa fin.*

(B) *Per text. in cap.* Per venerabilem *13. qui fil. sint legitim.*

(C) *Lib. 5. quæst. in Deuteron. cap. 39.*

Utrique opinioni aliæ interjectæ modum ponunt. Sotus ipse olim [A] voluit, eas leges humanas cum tanto discrimine obligare, quæ capite aliquid sanciant, jubeant, vetentve. Si constanter huic loqui libuisset; idem fuerat dicendum de legibus, in quibus pœna est Excommunicatio, quàm morti parem Doctores [B] faciunt. Ideoque Augustinus [C] capitali pœnæ, quam Lex infligebat, Ecclesiæ Excommunicationem æquivalere docet. Hæc enim in illud Deuteronomii: *Et auferetis malignum ex vobis ipsis*, commentans habet: *Assiduè hoc dicit Scriptura, cùm jubet occidi malos; quâ locutione usus est etiam Apostolus cùm diceret*, „ Auferte malum ex „ vobis ipsis „ ; *Ex quo apparet eum voluisse intelligi, qui aliquid tale commisit; ut Excommunicatione sit dignus*: HOC ENIM NUNC AGIT IN ECCLESIA EXCOMMUNICATIO, QUOD AGEBAT TUNC INTERFECTIO. Me-

Medina[A] latiorem constituit regulam, putans leges & præcepta humana sub quocumque periculo fore servanda, quotiescumque id periculum à Legislatore potuit prævideri; cùm enim id præter Legislatoris scientiam non est, neque præter ejus intentionem est, ut pro legis observatione sit subeundum. Cùm ergo satis perspectum habuerint Pontifices & Concilia, consuevisse laicum Magistratum, metum incutiendo, ad Interdicti violationem cogere; dum nihilominus severè id violari prohibuere; hinc sequitur, præter eorum intentionem minimè fuisse, ut periculum quodcumque potiùs sit contemnendum, quàm Interdictum violandum.

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmiùs confutatur

(A) 2.2. q.96. art.4. propos.2.

Itaque ex tot diversis opinionibus, Almaini dumtaxat opinio causæ adversatur; quam ut *certæ & communi sententiæ* contrariam criminatur Suarius[B]: *Erroneam*, & *falsam* doctrinam appellat Cajetanus[C]. Hæc tamen est, cui succinunt ex Adversariis plerique omnes; etenim in idem omninò recidit, formalem contemptum requiri, ut quis sub metu gravi legem aut censuram Ecclesiasticam servare teneatur, ac nullam legem nullamque Ecclesiasticam censuram tantam habere potestatem, ut ex se ipsà eam obligationem inducat.

(B) Ibidem n.4.

(C) Cit. q.96. art.4.

II. Quæstio est, *An lex aut censura Ecclesiastica sub lethalis peccati reatu ad sui observationem astringat?* Hæc superiori anteambulat; si enim grave peccatum sit, legem humanam transgredi, ex hoc plerique deducunt, metum excusationi non esse. Propterea Theologi ac Jurisperiti propè

omnes

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmiùs confutatur

omnes ad superioris quæstionis solutionem per hujus solutionem gradum facere consuevere. Hic autem pariter duæ opiniones sunt longo intervallo invicem dissitæ. Est, qui generaliter omninò negat, legem aut præceptum humanum sub gravi peccato obligare. Est etiam, qui generaliter omninò affirmat. Adrianus [A] hujusmodi placitis enarratis, medius ipse incedit, hâc positâ conclusione: *Legis humanæ transgressio mortalis est, si fiat ex contemptu: sine contemptu verò, interdum venialis est, aliquandò mortalis; interdum, concurrentium circumstantiarum varietate, nullâ culpâ.* Priorem verò negativam opinionem pro errore extremo habet, atque hæresi quàm maximè proximo: *Nihil hæresi vicinius.* Quem tamen in hâc causâ palàm profiteri Spalatensis [B] non dubitavit.

(A) *Quæst. quodl. 6. art. 2.*

(B) *Loc. cit. n. 42.*

III. Est, *An necessitas subeundi potiùs mortem, quàm legem violare, ab extrinsecâ aliquâ circumstantiâ promanare possit? ut si contemptus Potestatis interveniat, si de bono communi conservando, aut scandalo vitando agatur.* Ad bonum commune, & scandalum quod attinet, dubium facti tantùm, non juris est; cùm certo certius sit, nullam transgressionem, etsi levissimam metu defendi posse, si bonum commune impediat [C], si scandalum sequatur. Adversarii, quod in dubium revocari, ac sibi obesse potest, inficiantur, nimirum aut ex Interdicti violatione scandalum sequi, aut ejusdem observationẽ ad commune Ecclesiæ bonum pertinere. Utrumque nos satis superque probavimus [D]; nec nisi supervacaneum hìc fuerit quidquam subjungere.

(C) *Sylvestr. verb. Excomm. 5. quæst. 14., Azor. lib. 5. cap. 6., Becan. tom. 2. tract. 3. cap. 6. q. 4. n. 4., aliique passim.*

(D) *Vid. quæ diximus part. 1. cap. 2. §. 2., & cap. 3., & hac 2. part. cap. 1. & dicenda cap. 3.*

De

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmiùs confutatur

De contemptu igitur hìc disserendum superest, ejusque ante omnia notio præstituenda; in quod unum dissidium cadit; citra enim controversiam est, metu transgressionem non excusari, dum contemptus in medio erit. Ut autem id congruâ perspicuitate præstemus, tres contemptûs species à Doctoribus advertimus considerari, generalem, specialem, & interpretativum.

Generalis, qui & materialis dicitur, ex hoc id nomen sortitur, quòd quamcumque transgressionem concomitatur, imò ipsissima transgressio est; quò faciebant authoritates per nos superiùs adductæ. Quærere, an hìc generalis contemptus efficere possit, ne metus à legis aut censuræ violatione excuset, idem omninò est, ac quærere, an lex aut censura Ecclesiastica ex se ipsâ tantæ potestatis sit, ut ad sui observationem cum vitæ etiam dispendio obliget; quod in primâ quæstione ad examen vocavimus.

Specialis verò, qui cum formali coincidit, peculiarem malitiam involvit, specie distinctam à malitiâ, quam ipsa ex se importat transgressio; quo sensu intelligenda est Glossa [A], dum ait, *Aliud est contemnere, aliud est non parere*. Hujusmodi contemptus cujusvis præcepti sit, imò etiam regulæ, aliàs sub culpâ non obligantis; de quâcumque materiâ vel levissimâ agatur, ut si vel risus interdictus, vel silentium indictum à Superiore sit, crimen gravissimum est. Unde ait Bernardus [B], *Elatio quippe contemnentis . . ., in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, & convertit in*

(A) *In Can.* Quis autem *dist.* 10.

(B) *Tract. de Præcept. et Dispensat. cap.* 11. *n.* 26.

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmiùs confutatur

crimen gravis rebellionis nœvum satis levem simplicis transgressionis. Causam autem ipsemet reddit: *Tunc non peccati species, sed peccantis intentio pensatur*. In quo autem actu contemptus hic consistat, non unum omnium placitum est. Alexander Alensis [A], aliique, quos infrà recensebimus, peccatum ex contemptu appellant, quod *ex certâ scientiâ & habitâ deliberatione committitur*. Divus Thomas superbiæ videtur tribuere dicendo [B], *Quòd tunc committit aliquis, vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subiici ordinationi legis vel regulæ; & ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam*. Neutrum à Bernardo dissentire dicas; qui nunc contemptum hoc secundo modo accipit [C]: *Nulla* inobedientia *est lethaliter criminalis, nisi quæ* CONTEMPTUM SUPERBIÆ *non evitat*. Et rursum [D]: *Si possumus, & nolumus*, SUPERBI SUMUS... *ad cavendam* SUPERBIAM ILLAM *verè annuerim, necessariam esse cautelam, quam dicitis, ne fortè incurratur inobedientiæ crimen*. Nunc verò primo [E]: *Si jubente seniore, ut sileam, verbum mihi fortè per oblivionem elabitur, reum me fateor inobedientiæ, sed venialiter*: *Si* EX CONTEMPTU, SCIENS, ET DELIBERANS, SPONTE *in verba prorupero, & rupero silentii legem, prævaricatorem me constituo, & criminaliter*. Divus Bonaventura [F] contemptum in censuræ violatione agnoscit, & consequenter criminis gravitatem, cùm ex tali transgressione timor subsit, ne ex hoc minor reverentia censuræ habeatur: *Aut non communicat in contemptum* (loquitur de communione in humanis cum excommunicato) *sed tantum ratio-*

(A) 4. part. quæst. 81. membr. 6. art. 2. aliàs quæst. 23. membr. 1. art. 6. §. 2.

(B) 22. quæst. 186. art. 9. ad 3.

(C) Loc. cit. cap. 12. num. 30.

(D) Ibidem cap. 13. num. 31.

(E) Cit. cap. 12. n. 30.

(F) In 4. distinct. 18. q. 5. ad 4.

tionabiliter videri potest, quòd sententia veniat in contemptum, adhuc credendum est, eum mortaliter peccare. Hic autem, quem non tam contemptum, quàm contemptûs timorem dixeris, sufficiens Sancto Doctori videtur, ut quis mortem potiùs subire debeat, quàm eo posito in sententiam committere: *Unde si quis quærat, utrum homo debeat magis admittere se interficere, quàm aliquod verbum dicere* (excommunicato) *dico, quòd si ex hoc in contemptum veniret sententia, deberet utique.*

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmiùs confutatur

Per contemptum interpretativum, seu præsumptivum intelligunt Doctores [A] frequentiam ipsam peccandi; frequentiùs enim legem transgredi illam contemnere est. Huc facere videtur illud Augustini [B]: *Nullum peccatum est adeò veniale, quod non fiat criminale, dum placet.* Ubi Glossa: *Id est cujus assiduitas & contemptus vitandi veniale non fiat mortale.* De *vaniloquiis* & *otiosè dictis* Bernardus [C] differit, & tamen contemptûs labe non vacare monet, dum frequentiùs repetuntur: *Peccata quippe sunt, & Deus probibet omne peccatum, & tamen venialia, non criminalia reputantur*, EXCEPTO CUM PER CONTEMPTUM VERTANTUR IN USUM ET CONSUETUDINEM. Hoc verò ita generaliter dictum ex eo nonnullis displicet, quòd hâc ratione consuetudo leviter mentiendi, e. g. in mortalem culpam evaderet; quod nimis durum eis videtur. Quidquid de hâc difficultate sit, ea certè non militat, cùm de frequenti censuræ violatione loquimur, quæ gravis ex se est. Saltem id nemo inficias iverit, quod Thomas docet [D]: *Frequentia peccati dispositivè inducit*

(A) *Angel. in verb.* Inobedientia. *Riccard. quodlib. 1. quæst. 19., Panormitan. in cap.* Nam concupiscentiam *de Constit.*

(B) *Can.* Unum orarium *dist. 25.*

(C) *Cit. cap. 11. n. 26.*

(D) *Loc. citat.*

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmiùs confutatur

(A) Quæst.6. art.2.
(B) Vid. Suar. de Legib.lib.3.cap.28. n.8.

ad contemptum; cui Adrianus[A] subscribit, aliique communiter[B]. Hinc autem hoc argumentum conficimus: Aut Magistratus, qui metum ab initio incussit ad Interdicti violationem extorquendam, ab hujusmodi excessu destitit; & sic Ecclesiastici, qui violationem continuant, quâcumque excusatione destituuntur: aut minæ & metus continuatur, & cùm ex hoc juxta prædicta contemptûs præsumptio oriatur; consequens est, ut Ecclesiastici metum nequeant allegare.

Cùm tot contemptûs specialis, sive dicere mavis formalis, notiones essent; Adversarii, qui in unaquaque materiâ, saniori parte relictâ, cariem quærunt, eique adhęrescunt, & ibi suas delicias faciunt, posthabitis Bernardo Doctore *Mellifluo*, Alensi *Irrefragabili*, Thomâ *Angelico*, Bonaventurâ *Seraphico*, ex quorum doctrinâ propriæ inquisitioni satisfacere potuissent, per contemptum accipiendo, vel deliberatam, vel superbam transgressionem, vel talem, ex quâ ne censura vilescat, rationabiliter vereri queas; diversissimam omninò intelligentiam amplectuntur; nec pro contemptu formali in violatione agnoscendo contenti sunt, nisi schisma, hæresis, impietas summa, odiumque Religionis intersit.

IV. Quæstio est, *An necessitas obtemperandi, metu non obstante, censuræ vel legi ab hâc aliâ circumstantiâ profluere possit; quòd ille, qui in metum coniicit, eâ directâ intentione coniicit, ut legis aut censuræ violationem extorqueat?* Quæ species est usque ab initio hujus disceptationis per nos proposita.

Hanc

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmiùs confutatur

Hanc majoris gravitatis circumſtantiam, ex quâ legis aut cenſuræ dignitas & reverentia quàm maximè læditur, jure optimo formalem quoque contemptum poteris appellare, & re verâ ita nonnulli appellant. Sed de nomine animus non eſt diſputare. Quotquot Doctores quæſtionem his terminis comprehenſam diſcuſſam habuere, in eam conceſſerunt ſententiam, nequaquam metum extremi cujuſvis mali excuſationem præbere, ut alibi videre erit. Sed Sotus hoc quoque caſu metum ex odio Religionis incuſſum requirit. At quàm longè à veritate aberraverit, iterum expendendo factum Machabęorum palam fiet. Inquit ipſe, *ad hoc recurrendum, an in odium legis metus mortis obiiciatur. Illâ enim de causâ Antiochus premebat Judæos; illâ verò ceſſante idem eſt, quòd mortis periculum intrinſecùs oriatur, vel extrinſecùs offeratur.*

Hìc ego quæram, cur Machabæis licuit ſabbato arma ſuſcipere, cùm tali die bellum eis inferretur: minimè verò licuit porcinâ veſci, cùm ad id compellerentur? Certè utrumque lege ipſis prohibebatur; utroque caſu de mortis periculo propulſando negotium erat: inter unum alterumque diverſitatis eſt ratio aſſignanda. Perperam omninò ad odium religionis recurritur; idem enim Antiochus, legis Judaicæ contemptor, bellum die ſabbati intulerat, & ad porcinam edendam cogebat. Dum ſacer textus [A] prædictum bellum enarrat, primùm quidem memorat, ut Antiochus Judaicam legem antiquare ſtatuiſſet, & Judæos ad Jovis Olympii cultum Græcamque ſuperſtitionem con-

(A) 1. Machab. 1. & 2.

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmius confutatur

vertere: *Ædificavit Rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei, & per universas civitates Juda in circuitu ædificaverunt aras &c., & libros legis Dei combusserunt igni*. Multi ex Judæis se idololatriâ polluere constantissimè aversati sunt; qui cùm in regias manus incidissent, gloriosam mortem oppetierunt: *Et noluerunt infringere legem Dei sanctam, & trucidati sunt*. Hâc tempestate ingruente, nonnulli effugium quærentes, post Mathathiam abierunt; qui *exclamaverat voce magnâ dicens; Omnis, qui zelum habet legis, statuens testamentum, exeat post me*. Ut & hos impio Antiochi mandato parere recusantes, ferro extinguerent regii satellites, *Constituerunt adversùs eos prælium in die sabbatorum*. Quidam hâc fraude appetiti, probitate suâ mori potiùs elegerunt, quàm sabbati legem, se defendendo, perrumpere; *Dicentes, moriamur omnes in simplicitate nostrâ &c., & mortui sunt ipsi & uxores eorum & filii & pecora eorum usque ad mille animas hominum*. Hoc cognito Machabæi aliud consilium inierunt, Mathathiâ quasi Pontifice legem interpretante: *Et cogitaverunt in die illâ dicentes, Omnis homo quicunque venerit ad nos in bello die sabbatorum, pugnemus adversùs eum*.

Ex hâc sacri textus enarratione duo luce meridianâ clariùs elucescunt. I. Antiochum ex odio legis ad inferendum bellum Judæis motum fuisse. II. Dum dies sabbati ad id fuit electus, nequaquam Sabbati violationem directè intentam: sed potiùs, ut Judæi pro sabbati lege custodiendâ ab

armis

armis abſtinentes, faciliùs perderentur. Ratio ergo diverſitatis inter unum alterumque caſum non poteſt à legis contemptu deſumi; qui in utroque intervenit: ſed pótiùs à directâ violationis intentione, quæ defuit cum mortis periculum, bello illato, iniiceretur: minimè verò defuit, cùm aut mors obeunda, aut porcina edenda offerretur. Itaque falſa omninò eſt Soti regula, tunc metum non excuſare, cùm ex odio legis incutitur. Hoc enim pacto Judæis ſabbato arma capere non licuiſſet. Vera autem eſt, tunc metum non excuſare, cùm directè eâ intentione incutitur, ut lex perfringatur. En ut Adrianus [A] diligenter utrumque factum expendit. Rationem redditurus, *Quare per metum gladii non licet communicare excommunicato, & benè per metum mortis; Probo hoc*, inquit, *ex jure divino de Machabæis, qui ubi* DIRECTE *agebatur ad tranſgreſſionem legis per eſum carnis porcinæ, potiùs mortem elegerunt, quàm patrias Dei leges tranſgredi, ut patet 2. Machabæorum 7.; ubi autem ſabbato ab inimicis oppugnati ſunt, tamquam inermes, quibus non liceret bellare ſabbato, laudabiliter ſabbati obſervationem omiſerunt*. Caveatis ſeptem Collegæ, ne Sotum ſequendo, ut Interdicti tranſgreſſores ex defectu contemptûs contutemini, Machabæos ob contemptûs interventum condemnetis.

Eadem hypotheſis dilucidiùs exponitur, & firmiùs confutatur

(A) *Quæſt. quodlib.* 1. *ad* 5.

Ea fuit Soti hac in re diffidendi laſcivia, ut antiquiores juriſperitos ac Theologos, præſertim Gulielmum Altiſſiodorenſem, celebrem Summiſtam, qui ante ſeculi XIII. medietatem floruerat, Divumque Antoninum impugnare preſumpſerit,

cùm

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmiùs confutatur

cùm ne salutasset quidem, sed tantùm ab Adriano citatos comperiisset: *Scio Divum Antoninum, quem* ADRIANUS ALLEGAT, *negare consequentiam; quia necessitas famis est ab intrinseco, & necessitas gladii ab extrinseco; & Altissiodorensis subdit exemplum de Judæis, quibus propter extremam famem licebat suillis carnibus vesci; non autem propter metum extrinsecum incussum*. Si hos ipse consuluisset, forsan eorum rationibus adductus, veris concedens, minimè repugnasset. Disertissimè Antoninus[A], dum pericula à forti aspernanda prosequitur, diversitatem inter metum intrinsecum & extrinsecum statuit: *Cùm autem virtuosus in actu virtutis intendat, quod bonum est*; CONSEQUENS EST, QUOD FORTIS PERICULA MORTIS SUBEAT, PROPTER ALIQUEM BONUM FINEM CONSEQUENDUM. PERICULA AUTEM MORTIS EX ÆGRITUDINE, VEL TEMPESTATE MARIS, AUT EX INSIDIIS LATRONUM, VEL SIQUÆ ALIA SUNT HUJUSMODI, NON VIDENTUR DIRECTE ALICUI IMMINERE *ex intentione prosequendi aliquod bonum*. Cur autem *pericula*, quæ *directè alicui imminent* ad impediendum *bonum*, *quod prosequatur*, subeunda sint, ipsemet Antoninus reddit rationem, dum juxta communem Theologorum doctrinam differit, fidei protestationem, ad quam, quicumque eam profitetur, adstringitur, non tantùm in oris confessione consistere, sed etiam in omnibus virtutum operibus; itaut, qui à virtutis opere, dum minæ mortis intentantur, deterretur, à fidei protestatione videatur deficere: sicut qui ob hujusmodi causam mortem amplectitur, martyrii lauream promeretur[B]; *Sciendum est*, inquit, *quòd ad fidei*

(A) *Summæ 4. part. tit. 3. cap. 2. §. 1.*

(B) *Eadem part. 4. tit. 3. cap. 3. §. 1.*

fidei veritatem pertinet non solum credulitas ipsa cordis, sed exterior protestatio, QUÆ FIT NON SOLUM PER VERBA, QUIBUS CONFITETUR QUIS FIDEM, SED ETIAM PER FACTA, QUIBUS FIDEM SE HABERE OSTENDIT *secundùm illud Jacobi* 2. „ Ego ostendam tibi ex operibus „ fidem meam „; Et IMO OMNIUM VIRTUTUM OPERA SECUNDUM QUOD REFERUNTUR IN DEUM, SUNT QUÆDAM PROTESTATIO FIDEI; *per quæ innotescit, quòd Deus hujusmodi opera à nobis requirit, & nos pro eis remunerat. Et secundùm hoc possunt esse causa martyrii opera etiam aliarum virtutum*, ET SIC QUICUMQUE PATITUR MORTEM VIOLENTAM PRO QUOCUMQUE OPERE BONO FACIENDO, VEL PRO QUOCUMQUE PECCATO VITANDO PROPTER CHRISTUM, QUIA TOTUM HOC PERTINET AD FIDEI PROTESTATIONEM, MARTYR EXISTIT. Cùm ergo, qui Ecclesiasticas censuras violare renuit, non tantùm *pro virtutis opere*, qualia sunt quæcumque per legem etiam humanam præcepta; sed insuper *pro peccato vitando* certet, si è constantiâ se deiici patiatur, *à Fidei quodammodo protestatione* descîscit, & consequenter, etsi contemptus Religionis in eo, qui metum incutit, non adsit; nihilominùs firmiter stare tenetur.

Eadem hypothesis dilucidius exponitur, & firmiùs confutatur

In idem redeunt, quę Altissiodorensis tradit [A], dum has præcipuas martyrii species enumerat. I. Pro veritatis prædicatione, ut Joannis Baptistæ. II. Pro defensione legis, ut Machabęorum. III. Pro defensione fidei, ut Stephani.

(A) *In 4. lib. 3. tract. 7. cap. de fortitud. quæst. 2. pag. mihi* 189.

Ad horum autem doctrinam illustrandam Patrum nonnullæ facere videntur sententiæ. Et primò quidem quod aliàs ex Gregorio [B] protulimus,

(B) *In cap. 30. Text. 8. Iob cap.* 18.

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmiùs confutatur

mus, Religionis nempè causam cum iis etiam esse posse, qui extrà Religionem constituti non sunt: *Quia hi, qui sub Christi nomine militant, Christi in ea nomen impugnant*. Hieronymus à Gratiano [A] relatus, EXISTIMANT, ait, QUIDAM IN EO TANTUM DEUM NEGARI, SI IN PERSECUTIONE QUIS A GENTIBUS COMPREHENSUS, SE CONFITERI RENUERIT ESSE CHRISTIANUM. *Ecce Apostolus in omnibus, quæ perversa sunt, factis, Deum asserit negari. Christus sapientia est, justitia, veritas, sanctitas, fortitudo*. NEGATUR *per insipientiam sapientia, per iniquitatem justitia, per mendacium veritas, per turpitudinem sanctitas*, PER IMBECILLITATEM ANIMI FORTITUDO. Eam agitans *de timore* quæstionem Augustinus [B], *Utrum peccatum sit*, in affirmativâ quiescit; cùmque id sibi objecisset, *si patimur timorem, non est peccatum*, ita pro solutione respondet: *Hoc enim contrà dicitur*, NON ESSE CONSEQUENS, UT SI PATIMUR TIMOREM, IDEO NON SIT PECCATUM; *cùm tamen constet, aliqua esse peccata, quæ patimur*.

(A) *Can.* Existimant 11. *q.* 3.

(B) *Lib. de diversf. qq. quæst.* 77.

Cùm in eamdem quæstionem Angelicus Doctor incidisset [C], & fusè versat, & consuetâ facilitate dilucidat, ac resolvit: *Timor*, inquit, *intantum habet rationem peccati, inquantum est contra ordinem rationis. Ratio autem judicat, quædam mala esse magis aliis fugienda . . .; si autem aliquis per timorem fugiens mala, quæ secundùm rationem sunt minùs fugienda, incurrat mala, quæ secuudùm rationem sunt magis fugienda, non posset totaliter à peccato excusari; quia timor talis inordinatus esset. Sunt autem magis timenda mala animæ, quàm mala corporis;*

(C) 22. *q.* 125. *art.* 3. & 4.

cor-

corporis autem magis quàm mala exteriorum rerum. Et ideo si quis incurrat mala animæ, idest peccata, fugiens mala corporis, putà flagella vel mortem, aut mala exteriorum rerum, putà damnum pecuniæ; aut si sustineat mala corporis, ut vitet damnum pecuniæ, non excusatur totaliter à peccato: diminuitur tamen secundùm aliquid ejus peccatum quia minùs voluntarium est[A].

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmiùs confutatur

(A) Cit. art. 4.

Volunt Adversarii, ne Divinam quidem legem tanti esse, ut violanti metus non suffragetur. Cùm de re intrinsecè malâ agitur, seu de præcepto naturali, tunc solummodò inefficacem metum admittunt. Hanc temerarii erroris insaniam idem Sanctus Doctor dispellit, dum inter mala quia legi Divinæ, & mala quia legi humanæ adversantia, distinguens, neutra per terrorem gravem excusari posse, perspicuè edisserit: TALIS INORDINATIO TIMORIS QUANDOQUE EST PECCATUM MORTALE, QUANDOQUE VENIALE; *si enim aliquis propter timorem, quo refugit periculum mortis, vel quodcumque aliud temporale malum, sic dispositus est, ut faciat aliquid prohibitum, vel prætermittat aliquod, quod est præceptum* IN LEGE DIVINA, TALIS TIMOR EST PECCATUM MORTALE: ALIOQUIN ERIT PECCATUM VENIALE[B].

(B) Cit. art. 3.

Quòd ita in genere doceat, peccatum veniale esse legem aliam à Divinâ transgredi, nihil impedit, quin hæc ipsa transgressio gravis aliquando censenda sit, ut si præceptum ad communis boni conservationem pertineat, aut ob aliquam aliam rationem. Certè in materiâ censurarum ex placito ejusdem Thomæ, aliud esse dicendum, alibi erit

exa-

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur, & firmiùs confutatur

examinare. At si peccatum veniale est, ita in genere loquendo, ad periculum grave vitandum humanæ legis observationem omittere, *contraria implicat* dicere, quòd unquam fas esse possit. *Si enim faciendum est, jam non est malum, neque peccatum; nam peccatum non potest esse eligibile* [A]. Eorum quoque omnium, quæ ex Antonino depromsimus, eundem Thomam idoneum Magistrum habemus [B]; à quo ille ne verbis quidem mutatis exscripserat.

(A) Idem Thomas ibidem q. 43. art. 7. ad 5.

(B) Ibidem q. 123. art. 5., & q. 124. art. 5.

Aliam regulam dum rursus de metu agit, constituit Angelicus, metum nempe quantumvis gravem, nulli excusationi esse, si ad justitiæ bonum impediendum tendat [C]. Quîcum concordi calamo Divus Bonaventura scripsit [D]: *Licèt respectu actuum humanorum possit cadere metus sufficiens in virum constantem: quantum ad ea, quæ justitiæ sunt, non potest cadere metus sufficiens in virum constantem; quantum ad illa dicit*, „ Nolite timere eos, „ qui occidunt corpus „; *Ideò apud Deum talis metus non reputatur causa sufficiens ad excusandum hominem à reatu peccati*. In re indifferenti tantùm timoris exceptionem admittit Seraphicus [E]: *Nullus timor respectu peccati perpetrandi potest, nec debet cadere rationabiliter in virum constantem; secùs quando agitur de re indifferenti; quia tunc non potest sinere, se interfici*. Id ipsum Scotus [F], Alensis [G], Durandus [H], aliique inter Scholasticos viri principes & Magistri.

(C) Supplem. 3. part. q. 47. art. 2. ad 4.

(D) In 3. sent. dist. 39. art. 3. q. 2. n. 53.

(E) In 4. sent. dist. 39. art. 1. q. 1. n. 9.

(F) In 4. quæst. unic. art. 1.

(G) Part. 3. quæst. 41. membr. 4. art. 3., & part. 4. q. 8. membr. 7. art. 2. §. 1.

(H) In 4. dist. 29. q. 2. n. 4.

Multò constitit Soto ab hac doctrinâ deviasse; ex hoc enim in eum gravissimum errorem incidit,

cidit, ut Sacerdotem damnaret, qui ne Missam coram excommunicato celebraret, Tyranno ad id urgente, morti se exponeret, nisi de fide defendendâ ageretur. Quid judicii ipse tulisset de illorum Hebręorum *simplicitate*; qui cùm jure die sabbati pugnare potuissent,& se defendere;tamen ex studio perfectæ Religionis maluerunt se morti offerre, quàm cultum & quietem sabbati per speciem, & umbram dumtaxat violare? Catholici omnes pro Martyribus censent, & in aciem nobilissimam descendisse. At Sotus consilii expertes arbitraretur. An è Martyrum albo Baptistam expungeret,dum, contemptu formali Religionis non exigente, agonem suum consummavit? Isthæc formalis contemptûs fabella non tam error est, quàm errorum myrias & scaturigo.

Eadem hypothesis dilucidiùs exponitur,& firmiùs confutatur

CAPUT III.

Verus controversiæ status firmatur.

HACTENUS memoratæ quæstiones, in quibus indistinctè de legibus aut censuris Ecclesiasticis sermonem habuimus, omnes quidem causam nostram attingunt;sed causa nostra non sunt:hęc ejus summa est;hoc versatur cardine, *An Ecclesiasticis liceat ob metum à laicâ Potestate incussum Interdicti generalis sententiam violare?* Multa in hac hypothesi sunt, quibus à præ-

Verus controversiæ status firmatur.

missis discriminetur, sive ad materiam transgressionis, sive ad transgressorum personas, aut concurrentes circumstantias respicias.

I. Etenim gravior ex se est Interdicti, quàm simplicis legis Ecclesiasticæ, aut Excommunicationis ipsius violatio. Reclamant Adversarii nostri; sed nisi confidentissimè loquentibus sponte fidem adhibeas, quid est, ex quo dictis facere fidem curaverint? Cur adversùs leges valet consuetudo: adversùs Interdictum jus statuit [A] non valere? Si Excommunicatio, quâ violatæ leges vindicantur, earumque munimentum quoddam & præsidium est, per transgressionem vilescat, nonne & leges vilescere oportet? Si Interdicti observantia corruat, quod & ad legum, & ad Excommunicationis custodiam arcis summæ vice est, quàm longè major erit ruina?

(A) *Cap. Cùm inter 5. de Consuetud.*

Semel & vicies advertit Suarius, Interdicti violatione aliarum censurarum, aut legum violationem præponderari. Dum laicorum Interdictum personale, sive speciale, sive generale violantium grave crimen prosequitur, id ab Excommunicationis exemplo, tanquam à minori ad majus ostendit [B]: *Confirmatur à simili de Excommunicatione, quæ laicos etiam obligat sub mortali ad non audienda Divina; quia includit, & directè imponit hanc prohibitionem; ergo idem faciet Interdictum personale: nam licèt Excommunicatio, quoad alia sit gravior censura*; TAMEN QUOAD HOC NON EXCEDIT; IMO INTERDICTUM IN HOC SUPERAT, QUÒD SPECIALIÙS, ET FORMALIÙS EST AD HUNC EFFECTUM INSTITUTUM. Mox vul-

(B) *De Censur. disput. 34. sect. 5. n. 2.*

vulgari illi difficultati occurrens, laxiùs scilicet languidiùsque Interdictum ligare, quod ob alienam culpam infligitur, quàm Excommunicatio, quæ ob propriam. ET POTEST, ait, HOC AMPLIÙS URGERE; *nam Excommunicatio, non solùm excommunicatum ipsum, sed etiam alios obligat sub mortali, ne in Divinis cum excommunicato communicent propter materiæ gravitatem*: ERGO MULTÒ MAGIS OBLIGABIT HÆC CENSURA *eum, qui directè illâ tenetur, circa eamdem materiam sub eâdem gravitate*. Et rursus paulò pòst [A]: *Quia probibitio, quæ imponitur cæteris fidelibus non communicandi in divinis cum excommunicato, satis generalis est, & sine culpâ ipsorum fidelium eis imposita; & nihilominùs obligat sub mortali; quia est probibitio justa, & communi bono necessaria, & in gravi materiâ*. SED HÆC OMNIA EFFICACIÙS LOCUM HABENT IN INTERDICTO *generali personali; ergo &c. Quare quoad hanc assertionem non invenio probabilitatem in contrariâ sententiâ*. Denique hæc ipsa de Interdicti localis violatione concludit [B]. Eademque fusè aliàs [C] scripserat, de Clericorum transgressione verba faciens: *Quòd probibitio illa posita sit propter culpam propriam vel alienam, non est differentia sufficiens, ut illius transgressio in uno sit peccatum mortale, & non in alio. Quia præceptum justum suam totam vim & efficaciam habet; etiamsi aliquid onerosum probibeat, vel mandet propter commune bonum, absque ullâ culpâ ejus, cui imponitur*. Adeò severum in Interdicti observatione asserendâ se gerit Suarius, ut *per contemptum intelligat voluntatem audiendi Divina, non obstante Interdicto, ex certâ*

Verus controversiæ status firmatur.

(A) Ibid. n. 3.

(B) Ibid. n. 4.

(C) Ibid. sect. 4. n. 5.

 scien-

Verus controversiæ status firmatur.

scientiâ, seu absque ignorantiâ probabili [A]: tametsi in aliis materiis eam ipse contemptûs notionem impugnet [B]. Nihil sanè est, quod toties, aut acriùs inculcet, quàm criminis ob violatum Interdictum gravitatem. Eam à communi bono, cui opponitur; ab Ecclesiæ intentione, quæ quantùm est ex se intendit graviter obligare; à pœnarum, quas infligit, gravitate; & à malis, quæ inde sequuntur, *disrupto nervo Ecclesiasticæ disciplinæ*, luculentissimè ostendit [C].

(A) *Eadem disput.* 34. *sect.* 5. *n.* 4.

(B) *Disput.* 6. *sect.* 3. *n.* 1.

(C) *Citatis loc. disput.* 34., *& præsertim sect.* 4. *à n.* 4. *ad* 8. *Junge dicta cap.* 2. *&* 3. *part.* 1. *Dissert.*

II. Quia arctius est in Ecclesiasticis obligationis vinculum ad Interdicta servanda, quàm cujusvis personæ in genere ad Ecclesiasticas censuras aut leges; illi enim cùm propter jusjurandum, quò in ordinum susceptione, beneficiorum adeptione, fideique professione se Episcopo suo ac Summo Pontifici fidelitatem & obedientiam præstaturos despondent; tum etiam ex proprii gradûs conditione & munere, quo ad Ecclesiam tuendam, criminumque emendationem procurandam tenentur, nullius metûs obtentu ab Interdicti observatione eximi possunt: cùm aliàs proprio officio deessent, ac firmatum læderent sacramentum [D].

(D) *Vid. adducta per Fœdericum Surd. in repetit. cap.* Sacris *num.* 45. *& seqq. de his, quæ vi &c.*

Ad quos magis quàm Ecclesiasticos pertinet Joannis Papæ VIII. sententia? *Facientis culpam procul dubio habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare . . . . Et libat Domino prospera, qui ab afflictis pellit adversa. Et negligere cùm possis perturbare perversos, nihil est aliud, quàm fovere . . . . Et nihil prodest alicui non puniri proprio, qui puniendus*

dus est alieno peccato [A]. *Inferiorum ordinum culpæ*, inquit S. Leo[B], *ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligenteſque rectores; qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam*. Clericis delicta Populi imputat Apostolicus Canon [C]; & ab iis pœnam luendam jubet, dum ob repulsum Episcopum, civitatis Clericos censurâ diverberat: *eò quòd eruditores inobedientis Populi non fuerunt*.

Verus controversiæ status firmatur.

(A) *Can.* Facientis *86. distinct. apud Yvonem epist.77. & 100.*

(B) *Epist.14. aliàs 3. apud Grat. can.* Inferiorum *ead. distinct.*

(C) *Can.37.*

Ad Episcopos aliosque Ecclesiasticos viros in Jotrense Concilium coactos, literas dantes Sanctus Hugo Gratianopolitanus Episcopus, & Guigo Primariæ Cartusiæ Præses, cum totâ Cartusiensium familiâ, ut eos ad injurias Ecclesiastico ordini irrogatas Ecclesiasticæ censuræ districtione fortiter ulciscendas accenderent, post hanc eis salutem dictam, *Agenda cognoscere*, *cognita* VIRILITER *adimplere*, ita proprii muneris obligationisque commonitos voluere [D]: *Quòd homines sumus ad naturam; quòd justi ad meritum; quòd Episcopi, vel Presbyteri, vel Archidiaconi, vel aliquid hujusmodi ad Ecclesiasticum pertinet officium. In primo existimus. In secundo salvamur. In tertio providendi aliis, quæ salubriora sunt, potestatem accipimus. Duo ergo priora ad nos; tertium refertur ad proximos. Quòd si manifestum fuerit, juxta illud ficulneæ Evangelicæ exemplar, quæ tandiu expectata fructum non attulit, officium nos inutiliter habere susceptum, nulla justa, cur in eo relinquamur, remanebit occasio. Quid si non solùm inutiles Ecclesiæ, sed etiam perniciosi vel verbis, vel exemplis extiterimus? Nonne non solùm deiici,*

(D) *In Act. Concil. Iotrensf. Concil. Labb. tom .10. pag. 976.*

Verus controversiæ status firmatur.

ſed etiam digni ſumus puniri? En autem quò eximiorum virorum evadit epiſtola: *Rogamus ſupplices, & obſecramus, quatenus armaturâ Fidei protecti, & rectitudinis zelo ſuccenſi, & Sanctornm . . . exemplis animati, Eccleſiaſtici rigoris* INTREPIDE *gladium producatis*.

Cùm de cenſuris fideliter cuſtodiendis agatur, illud Cypriani [A] Eccleſiaſticis rememoramus: *Viderint laici hoc quomodo curent. Sacerdotibus labor* MAJOR *incumbit in aſſerendâ, & procurandâ Dei majeſtate, ne quid videamur in hac parte negligere, cùm admoneat Dominus, & dicat*: „ Et nunc præ„ ceptum hoc ad vos eſt, o Sacerdotes: ſi non au„ dieritis, & ſi non poſueritis in corde veſtro, ut „ detis honorem Nomini meo, dicit Dominus, im„ mittam in vos maledictionem, & maledicam be„ nedictionem veſtram „. *Honor ergo datur Deo*, QUANDO SIC DEI MAJESTAS, ET CENSURA CONTEMNITUR, UT CUM INDIGNARI SE ILLE, ET IRASCI SACRIFICANTIBUS DICAT, *& cùm pœnas externas, & ſupplicia perpetua comminetur, proponatur à ſacrilegis, atque dicatur, ne ira cogitetur Dei, ne timeatur judicium Domini, ne pulſetur ad Eccleſiam Chriſti, ſed ſublatâ pœnitentiâ, nec ullâ exhomologeſi criminis factâ*, DESPECTIS EPISCOPIS ATQUE CALCATIS, *pax à non veris Presbyteris verbis fallacibus prædicetur, & ne lapſi ſurgant, aut foris ad Eccleſiam redeant, communicatio non communicantibus offeratur?* Nuſquam obliviſcitur magnanimus Præſul monere, quanti interſit militum Chriſti metûs perniciem à ſe procul longè depellere [B]: *Siqui ſunt, qui putant, ſe ad Eccle-*

ſiam

(A) *Cit. epiſt. 55, aliàs 3. lib. 1. poſt med.*

(B) *Ibidem aliquantò poſt.*

ſiam non precibus, ſed minis regredi poſſe; aut exiſtimant aditum ſibi non lamentationibus & ſatisfactionibus, ſed terroribus facere: pro certo habeant, contra tales ſtare Eccleſiam Domini, nec caſtra Chriſti invicta & fortia, & Domino tuente munita, minis cedere. Sacerdos Dei Evangelium tenens, & Chriſti præcepta cuſtodiens, occidi poteſt, vinci non poteſt.

Veris controverſiæ ſtatus firmatur.

Quàm pernicioſi exempli ſit ab Eccleſiaſticis Eccleſiaſticas cenſuras violari, Budenſis Concilii annò 1279. habiti capitulum 67. abundè teſtatur [A]. Excommunicationum, Suſpenſionum, atque Interdictorum ſententias à Clericis paſſim contemptas dolent Concilii Patres: *Sicut audivimus & in parte vidimus, in Regno Hungariæ & aliis terris noſtræ Legationis Eccleſiaſticæ perſonæ tam ſeculares, quàm regulares, & plerumque, quod gravius eſt, Prælati, Excommunicationum, Suſpenſionum, & Interdictorum ſententias ...., in grave animarum periculum; & illorum, ad quorum inſtantiam, vel pro quibus hujuſmodi ſententiæ latæ fuerunt, non modicum, imò plerumque maximum detrimentum; nec non in graviſſimum authoritatis, & poteſtatis, atque Eccleſiaſticæ cenſuræ contemptum, & denegationem Eccleſiaſticæ libertatis, prout tenentur & debent, hactenus minimè ſervarunt!* Pergunt conqueri, quàm latè hoc mali in Hungariâ pervaſiſſet, ex pravo Clericorum exemplo extinctâ fermè in laicis erga cenſuras obſervantiâ: SUIS PRAVIS ET PERNICIOSIS EXEMPLIS VIAM, IMO INVIUM, ET LAQUEOS DAMNABILES AD CONTEMPTUM LIBERTATIS ET CENSURÆ ECCLESIASTICÆ PARAVERUNT .... *Accidit, quòd pauci inveniuntur in Regno*

(A) *Apud Raynald. cit. ann. 1279., & Concil. Labb. tom. 11.*

gno

Verus controversiæ status firmatur.

gno & terris prædictis, qui Ecclesiasticam censuram revereantur, & timeant, CÙM VIDEANT DEFENSORES IPSIUS CENSURÆ PRÆLATOS, ET ALIAS INFERIORIS GRADÛS ECCLESIASTICAS PERSONAS, PASTORES, PATRES, ET MEDICOS ANIMARUM SUARUM, HUJUSMODI SENTENTIAS, PER IPSOS POTIÙS DIVINA QUAM HUMANA AUTHORITATE PROLATAS; QUARUM AD IPSOS SPECIALITER SPECTAT TUITIO, NOTABILITER ET DAMNABILITER NON SERVARE. Non his contenti sunt Budenses Patres, sed ulteriùs inculcant gravissima incommoda ac damna, quæ Ecclesiæ inferunt Ecclesiastici, à censurarum observatione deficiendo: *Jam indifferenter & impunè in Regno & terris prædictis captivantur, verberantur, mutilantur, ac etiam occiduntur Clerici; &, quod severius est, Prælati bonis ac juribus suis tam mundanis, quàm Ecclesiasticis spoliantur. Ecclesiæ, Monasteria, & bona ac jura ipsorum ab omnibus laicis occupantur, invaduntur, & damnabiliter detinentur, profanantur horribiliter; aliaque ruinis & incendiis dextruuntur: earum & cœmeteriorum immunitas infringitur, ac etiam violatur, ac libertate Ecclesiasticâ quasi totaliter conculcatâ*, IN OMNIBUS FERE DISSOLVITUR QUOTIDIE NERVUS ECCLESIASTICÆ DISCIPLINÆ.

III. Nam Interdicti violatio, quæ fortè ab Ecclesiasticis committatur, publicum crimen est, cujusque fama ad exteras etiam nationes discurrit; ideoque major est Ecclesiasticæ Potestatis despectus, & scandalum Populorum, quàm ex aliûs Ecclesiastici præcepti, aut censuræ prævaricatione sequatur. Hinc est, quòd Interdictorum generalium observantiæ quocunque quæsito colore fucus fiat,

non

non absque plurimorum scandalo id contingere Clemens V. conqueritur [A].

Verus controversiæ status firmatur.

IV. Quòd, cùm laicus Magistratus hujusmodi metum pro Interdicto generali violando incutit, habitâ deliberatione, promulgatis edictis, militari manu hanc infert violentiam. Quis autem non videt, quàm maximè his circumstantiis offensæ ac injuriæ, quæ Ecclesiæ irrogatur, gravitatem augeri? Qui hoc pacto Ecclesiasticis censuris resistit, à contemptæ Potestatis notâ minimè immunis est. Scilicet hoc est, quod Sacris Canonibus [B] statutum legimus: *Ut execrandum anathema sit, & veluti prævaricator Fidei Catholicæ semper apud Deum reus existat, quicumque* REGUM, *seu Episcoporum, vel* POTENTUM *deinceps, Romanorum Pontificum decretorum censuram in quoquam crediderit, vel permiserit violandam*.

(A) *Clement.* Ex frequentibus 1. *de Sētent. Excomm.*

(B) *Can.* Generali 25 *quæst.* 1.

CAPUT IV.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

§. 1.

Doctorum placita expenduntur.

De controversiâ igitur his terminis circumscriptâ, agendum est. At vix modò controversiam dicas. Ubi Scriptores in sectas discissi? Ubi sibi invicem adversantium æstus

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

æstus opinionum? Nulla hic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentit. Nec Almainus refragatur, nec Sotus ipse; qui, ut metûs excusationem in legibus humanis observandis admittat; disertè tamen eum excipit casum, quo aliud suadeat rei gravitas, legis tenor, aut Legislatoris intentio [A]. Quòd autem ex Soti sententiâ grave negotium Interdictum sit, ex eo patet, quòd hanc ipse rem dixerit *Ecclesiæ gubernaculo necessariam* [B].

(A) In 4. cit. dist. 22. q. 1. art. 4.

(B) Ibid. q. 3. art. 1.

Ex benè longo Casuistarum catalogo, quem septem Collegæ in suo tractatu, ejusque corollario contexuerunt, vix unus Bordonus est, qui in hanc Interdicti materiam descendat. Quis Bordoni unius judicio velit causam gravissimam terminandam? At audiamus, ut iste Interdicti transgressoribus suffragetur, ut expensè loquatur [C]: *Superior localis, qui tale mandatum* (nempe observandi Interdictum) *habet, debet investigare ab aliis Prælatis, & administratoribus tam Regularibus, quàm Clericis, an talem habeant in specie ordinationem, & quid velint agere. Si responderint se nolle Interdictum observare, cum tam gravi dispendio suarum Ecclesiarum, consulat eosdem ad obediendum Sedi Apostolicæ*. Benè hoc habet. Quid ultra? *Quo facto, sive eisdem fuerit transmissum tale præceptum, sive non* (Cur ergo fuerat investigandum?) *si videbit illos Ecclesiasticos prosequi celebrare divina officia, ut antea solebant, poterit & ipse illos imitari*. Quos *poterit imitari?* Quorum contumacia modò fuerat dissuadenda!

(C) Tom. 4. var. resol. 225. Quæres 21. n. 66.

Absolves hominem, & sceleris damnabis eundem.

Nun-

Nunquam ſanè minùs concocta ſcripſit Bordonus. *Non debemus attendere quid alius ante nos faciendum putaverit*, ait Cyprianus [A]: *ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus, prior fecerit*. Qui nimirum non timuit ipſe, & docuit ſuos non timere. Si exempla criminibus patrocinentur, nullum erit crimen, quod ſuâ defenſione deſtituatur. *Hoc ideo dixi*, inquam cum Hieronymo [B], *ut non terreant deſcendentes, ſed provocent aſcendentes. Nunquam exemplum à malis ſumitur*. Quod Joannes Apoſtolus [C] antea monuerat: *Noli imitari malum, ſed quod bonum eſt*. Quos Doctores, aut Canones? quas decretales appellat, dum hæc aſſeverat Bordonus? Provocat ad proverbium, ut lepidè vocant ſeptem Collegæ: *Leges, præcepta, & ordinationes obſervandæ non ſunt cum probabili, imò evidenti periculo tam in perſonis, quàm in rebus, ex communi Doctorum*. De quo periculo, intrinſeco an extrinſeco, quâ in materiâ, Legis, Excommunicationis, an Interdicti; in quibus aliis circumſtantiis, demum rectène an ſecus loquantur Doctores, quos citat, minimè inquirere curat Bordonus.

Metûs ab Interdicto ſervando excuſatio diſpellitur.

(A) Epiſt. 63. aliàs epiſt. 3. lib. 2.

(B) Epiſt. 92. aliàs 34. ad Iulianum.

(C) Epiſt. 3. v. 11.

Verùm id ego numquam ſatis intelligam, quid *Superior localis*, de quo loquitur Bordonus; *tam in perſonis quàm in rebus* Fratribus ſuis timeat? Annon ipſis quàm maximè illud Hieronymi convenit: *Solum habemus lucri, quòd Chriſti nobis amore ſociemur* [D]? Annon ejuſmodi eorum inſtitutum eſt, ut neque ubi pedem in ſuo ponant, ſe habere profiteantur? Audiamus ab eodem Hieronymo [E], quàm exilium, aut aliud quodcumque malum timere

(D) Epiſt. 35. aliàs 3. ad Heliod.

(E) Epiſt. 39. aliàs 62.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

mere consueverint Monachi: *Non novit*, inquit, *terrori natio ista succumbere, & impendenti gladio, magis cervices, quàm manus subiicit. Quis enim Monachorum exul patriæ, non exul est mundi? Quid opus authoritate publicâ, & rescripti impendiis, & toto orbe discursibus? Tangat saltem digitulo, & ultrò eximus. Domini est terra & plenitudo ejus. Christus loco non tenetur inclusus.*

At si & religiosis viris timere libeat, timeant quidem, sed ordinatè: quæ graviora mala sunt, illa discant prætimere, idque ab Oddone ex *claustralibus Monachis, Abbate & Priore carentibus* [A]. Impendebat jam Angliæ Interdicti sententia, Apostolici Legati authoritate evibrata. Rex, ut eam declinaret, ad sublestam confugit appellationem; cui Episcopi, cæterique Ecclesiastici subscribere jussi sunt, nihil mali non experturi, si recusarent. Intimatam comminationem à Monasterio suo amoliri conatus est Oddo, Richardi Pictaviensis Archidiaconi gratiâ apud Regem pollentis ope imploratâ: *Nec si pro avertendo Ecclesiæ meæ periculo tibi per literas supplico, nimis præsumptuosum existimo. Videns igitur in appellatione Episcoporum, cui per Justitias Regis consentire compellimur,* ÆTERNUM ECCLESIÆ NOSTRÆ IMMINERE PERICULUM, *& sempiternum opprobrium, in magno pro hoc cum universo Conventu nostro mœrore constitutus, ad pedes pietatis tuæ me corpore & mente prosterno.* Dolet quidem & timet Oddo damna, quæ Ecclesiæ suæ, regiâ irâ gliscente, inferenda prævidet: sed longè acerbiùs dolet, & divinam prætimet ultionem; prætimet Ecclesiasticas

(A) *Inter epist. D. Thom. Cantuar. epist. 90. lib. 3.*

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

sticas pœnas, & apud universos homines, nec ullis unquam futuris seculis delendam infamiam, si laicæ Potestatis metu, & quæsito appellationis colore, à censurâ observandâ deflexissent: *Ad rem nobis* TAM ILLICITAM, *tam periculosam, &* IN OMNIBUS POST FUTURIS SECULIS *cum maximo nobis opprobrio semper obiiciendam, tam violenter compellimur. Quid dico violenter? Imò cum tanto, & cum tam inevitabili periculo hoc facere compellimur; ut si periculum, quod ab irâ Regiâ nobis imminet, si ei inobedientes fuerimus, per consensum appellationis declinare tentemus,* MAJUS HINC PERICULUM *statim incurramus, quod imminet nobis à Deo in damnationem, à Domino Papâ, & ab Archiepiscopo præsertim in Excommunicationem, vel certè in Ordinis nostri destructionem, ab omnibus Archiepiscopis futuris in æternam odii & depressionis occasionem,* AB UNIVERSO MUNDO, *ubicumque hoc auditum fuerit, in* SEMPITERNI OPPROBRII *confusionem. O angustia! O violentia undique periculosa!* Peculiari nomine sub Regis tutelâ erant hi Monachi; sed non ideò ab obedientiâ Ecclesiæ præstandâ ejus jussu se abduci patiuntur: *Absit hoc, absit à D. nostri Regis* PIETATE (ne ergo de formali contemptu cogites) *atque prudentiâ, ut tam periculosè contra nos dictaverit, qui nos ab omni humano solatio destitutos in suâ curâ suscepit.* Hæc denique epistolę clausula est: *Si verè & Ecclesiæ nostræ, & Regis amicus es.... ita nos ab hac angustiâ, secundùm datam tibi à Deo potestatem atque sapientiam, absolutè liberes, ut nec D. Regis indignationem, appellationem subterfugientes, incurramus; nec appellationem fa-*

 cien-

Metus ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

cientes UNIVERSO MUNDO SEMPITERNUM OPPROBRIUM *efficiamur*. Quantò saniorem Theologiam ab Oddone, juxta UNIVERSI MUNDI sententiam edocemur!

Ne tamen putes, Bordono ipso judice, formidolosos Ecclesiasticos in tutum redactos, aut quę in Siciliâ fiunt, ullâ ratione defendi posse. 1. Enim Magistratûs, qui metum facit, tametsi absque formali Ecclesiæ contemptu, sed prætextu nullitatis & injustitiæ censurarum, iniquam damnat præsumptionem: *In casu autem præsenti Princeps minaretur gravia damna, licèt malè & injustè, Ecclesiasticis; cùm ei nequaquam sint subditi, eiiciendo eos de suo statu .... Solùm ex eò quòd prætendit ejus ducatum, castrum, seu civitatem injustè & invalidè fuisse suppositam Interdicto.* 2. Unus tantùm Prælatus, scilicet qui postremus censuram perfringat, est quem ipse voluit excusandum: *Ad inutile nemo tenetur: constat autem ex observatione hujus Interdicti ab hoc solo Superiore nihil utile colligi posse.* 3. Imò nulli omninò Siculorum Bordoni judicium suffragatur: nam minimè ipse ignorans ex Alexandri III. Decretali[A], *rationabilem causam, quare* quis Pontificium mandatum se non posse adimplere putat, Pontifici ipsi esse *prætendendam*, eumque eâ de re consulendum, hoc tantùm casu hujus consultationis necessitatem excludit, cum iter bellis est interceptum, aut aliunde negotium innotuit. Quid ergo juris in præsenti erit, cùm jam Sanctissimus Pontifex toties Siculos paternè admonuit, toties severè jussit, Interdictum, minis contemptis, servare;

(A) *In cap.* Si quando 5. *de Rescript.*

edi-

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

editâque demum Constitutione, prætensam metûs causam irrationabilem esse, disertissimè diffinivit[A]?

Alterius, qui duobus tomis tractatum de Censuris instituit, quidquid dicat in primo[B], ubi de Excommunicatione sermonem habet; in secundo tamen[C] de Interdicto agens diversam differendi rationem inivit; ac contemptam potestatem arbitratur, quoties minæ directè ad violationem extorquendam intentantur; propterea que timoris pro inobedientiâ excusandâ somniatam efficaciam prorsus eliminat: *Idem manifestè dici potest de iis, qui compellunt Sacerdotes ad celebrandum Divina, quæ antea nihil penitus curabant, si numquam celebrassent: quare constat, id eos facere, ut videantur contemptores præcepti Ecclesiastici. Ideo hæc inobedientia nullam admittit excusationem, ob quemcumque metum fiat.* Nonne id ipsum multò disertiùs Glossa docuerat in cap. *Tanta est* de excess. Prælat.? ubi loquens de Clericis Interdictum *non servare compulsis, propter hoc*, inquit, *non excusantur, cùm pro nullâ pœnâ temporali debuerant Interdicti sententiam violare.*

Alia id genus testimonia, ingenuè fatemur, nulla nos cura tetigit perquirendi. At quæ adducta sunt, præsertim ubi alia non sunt, quæ adversentur, nonne satis esse queant, ut causam extra omnem disputationis aleam eductam dicamus? Sed nequaquam in tantâ argumentorum penuriâ sumus, ut his præsidiis insistamus. Quot Conciliorum Pontificumque decretis, quot decisionibus

(A) *Vid. Literę Apostolica SS. D. N. Clem. PP. XI. in formâ Brevis ad tres Agrigentinæ Ecclesiæ Vicarios die 4. Novembris 1713.; Aliæ item in formâ Brevis ad Capitulum & Canonicos ejusdē Eccl. Agrig. die 10. Martii 1714.; Denique* Declaratio super omnimodâ, & inviolabili observantiâ Ecclesiastici Interdicti, cui Civitates, & Diœceses Cataniensis, & Agrigentina subjectæ reperiuntur, cum rejectione quarumcumque excusationum &c. *die 6. Novembris ann.* 1714.

(B) *Disput. 6. cap. 3. lib. 1.*

(C) *Disput. 8. cap. 6.*

Verus controversiæ status firmatur.

sed etiam digni sumus puniri? En autem quò eximiorum virorum evadit epistola: *Rogamus supplices, & obsecramus, quatenus armaturâ Fidei protecti, & rectitudinis zelo succensi, & Sanctornm . . . exemplis animati, Ecclesiastici rigoris* INTREPIDE *gladium producatis.*

(A) Cit. epist. 55. aliàs 3. lib. 1. post med.

Cùm de censuris fideliter custodiendis agatur, illud Cypriani[A] Ecclesiasticis rememoramus: *Viderint laici hoc quomodo curent. Sacerdotibus labor* MAJOR *incumbit in asserendâ, & procurandâ Dei majestate, ne quid videamur in hac parte negligere, cùm admoneat Dominus, & dicat:* „ Et nunc præ„ ceptum hoc ad vos est, o Sacerdotes: si non au„ dieritis, & si non posueritis in corde vestro, ut „ detis honorem Nomini meo, dicit Dominus, im„ mittam in vos maledictionem, & maledicam be„ nedictionem vestram „. *Honor ergo datur Deo,* QUANDO SIC DEI MAJESTAS, ET CENSURA CONTEMNITUR, UT CUM INDIGNARI SE ILLE, ET IRASCI SACRIFICANTIBUS DICAT, *& cùm pœnas externas, & supplicia perpetua comminetur, proponatur à sacrilegis, atque dicatur, ne ira cogitetur Dei, ne timeatur judicium Domini, ne pulsetur ad Ecclesiam Christi, sed sublatâ pœnitentiâ, nec ullâ exbomologesi criminis factâ,* DESPECTIS EPISCOPIS ATQUE CALCATIS, *pax à non veris Presbyteris verbis fallacibus prædicetur, & ne lapsi surgant, aut foris ad Ecclesiam redeant, communicatio non communicantibus offeratur?* Nusquam obliviscitur magnanimus Præsul monere, quanti intersit militum Christi metûs perniciem à se procul longè depellere[B]: *Si qui sunt, qui putant, se ad Ecclesiam*

(B) Ibidem aliquantò post.

siam non precibus, sed minis regredi posse; aut existimant aditum sibi non lamentationibus & satisfactionibus, sed terroribus facere: pro certo habeant, contra tales stare Ecclesiam Domini, nec castra Christi invicta & fortia, & Domino tuente munita, minis cedere. Sacerdos Dei Evangelium tenens, & Christi præcepta custodiens, occidi potest, vinci non potest.

Verus controversiæ status firmatur.

Quàm perniciosi exempli sit ab Ecclesiasticis Ecclesiasticas censuras violari, Budensis Concilii anno 1279. habiti capitulum 67. abundè testatur [A]. Excommunicationum, Suspensionum, atque Interdictorum sententias à Clericis passim contemptas dolent Concilii Patres: *Sicut audivimus & in parte vidimus, in Regno Hungariæ & aliis terris nostræ Legationis Ecclesiasticæ personæ tam seculares, quàm regulares, & plerumque, quod gravius est, Prælati, Excommunicationum, Suspensionum, & Interdictorum sententias ...., in grave animarum periculum; & illorum, ad quorum instantiam, vel pro quibus hujusmodi sententiæ latæ fuerunt, non modicum, imò plerumque maximum detrimentum; nec non in gravissimum authoritatis, & potestatis, atque Ecclesiasticæ censuræ contemptum, & denegationem Ecclesiasticæ libertatis, prout tenentur & debent, hactenus minimè servarunt!* Pergunt conqueri, quàm latè hoc mali in Hungariâ pervasisset, ex pravo Clericorum exemplo extinctâ fermè in laicis erga censuras observantiâ: SUIS PRAVIS ET PERNICIOSIS EXEMPLIS VIAM, IMO INVIUM, ET LAQUEOS DAMNABILES AD CONTEMPTUM LIBERTATIS ET CENSURÆ ECCLESIASTICÆ PARAVERUNT .... *Accidit, quòd pauci inveniuntur in Regno*

(A) *Apud Raynald. cit. ann. 1279., & Concil. Labb. tom. 11.*

Verus controversiæ status firmatur.

gno & terris prædictis, qui Ecclesiasticam censuram revereantur, & timeant, CÙM VIDEANT DEFENSORES IPSIUS CENSURÆ PRÆLATOS, ET ALIAS INFERIORIS GRADÛS ECCLESIASTICAS PERSONAS, PASTORES, PATRES, ET MEDICOS ANIMARUM SUARUM, HUJUSMODI SENTENTIAS, PER IPSOS POTIÙS DIVINA QUAM HUMANA AUTHORITATE PROLATAS; QUARUM AD IPSOS SPECIALITER SPECTAT TUITIO, NOTABILITER ET DAMNABILITER NON SERVARE. Non his contenti sunt Budenses Patres, sed ulteriùs inculcant gravissima incommoda ac damna, quæ Ecclesiæ inferunt Ecclesiastici, à censurarum observatione deficiendo: *Jam indifferenter & impunè in Regno & terris prædictis captivantur, verberantur, mutilantur, ac etiam occiduntur Clerici; &, quod severius est, Prælati bonis ac juribus suis tam mundanis, quàm Ecclesiasticis spoliantur. Ecclesiæ, Monasteria, & bona ac jura ipsorum ab omnibus laicis occupantur, invaduntur, & damnabiliter detinentur, profanantur horribiliter; aliaque ruinis & incendiis dextruuntur: earum & cœmeteriorum immunitas infringitur, ac etiam violatur, ac libertate Ecclesiasticâ quasi totaliter conculcatâ*, IN OMNIBUS FERE DISSOLVITUR QUOTIDIE NERVUS ECCLESIASTICÆ DISCIPLINÆ.

III. Nam Interdicti violatio, quæ fortè ab Ecclesiasticis committatur, publicum crimen est, cujusque fama ad exteras etiam nationes discurrit; ideoque major est Ecclesiasticæ Potestatis despectus, & scandalum Populorum, quàm ex aliûs Ecclesiastici præcepti, aut censuræ prævaricatione sequatur. Hinc est, quòd Interdictorum generalium observantiæ quocunque quæsito colore fucus fiat,

non

non absque plurimorum scandalo id contingere Clemens V. conqueritur [A].

Vetus controversiæ status firmatur.

IV. Quòd, cùm laicus Magistratus hujusmodi metum pro Interdicto generali violando incutit, habitâ deliberatione, promulgatis edictis, militari manu hanc infert violentiam. Quis autem non videt, quàm maximè his circumstantiis offensæ ac injuriæ, quæ Ecclesiæ irrogatur, gravitatem augeri? Qui hoc pacto Ecclesiasticis censuris resistit, à contemptæ Potestatis notâ minimè immunis est. Scilicet hoc est, quod Sacris Canonibus [B] statutum legimus: *Ut execrandum anathema sit, & veluti prævaricator Fidei Catholicæ semper apud Deum reus existat, quicumque* REGUM, *seu Episcoporum, vel* POTENTUM *deinceps, Romanorum Pontificum decretorum censuram in quoquam crediderit, vel permiserit violandam.*

(A) *Clement.* Ex frequentibus 1. *de Sētent. Excomm.*

(B) *Can.* Generali 25 *quæst.* 1.

CAPUT IV.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

§. 1.

Doctorum placita expenduntur.

De controversiâ igitur his terminis circumscriptâ, agendum est. At vix modò controversiam dicas. Ubi Scriptores in sectas discissi? Ubi sibi invicem adversantium æstus

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

æstus opinionum? Nulla hìc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentit. Nec Almainus refragatur, nec Sotus ipse; qui, ut metûs excusationem in legibus humanis observandis admittat; disertè tamen eum excipit casum, quo aliud suadeat rei gravitas, legis tenor, aut Legislatoris intentio [A]. Quòd autem ex Soti sententiâ grave negotium Interdictum sit, ex eo patet, quòd hanc ipse rem dixerit *Ecclesiæ gubernaculo necessariam* [B].

(A) In 4. cit. dist. 22. q. 1. art. 4.

(B) Ibid. q. 3. art. 1.

Ex benè longo Casuistarum catalogo, quem septem Collegæ in suo tractatu, ejusque corollario contexuerunt, vix unus Bordonus est, qui in hanc Interdicti materiam descendat. Quis Bordoni unius judicio velit causam gravissimam terminandam? At audiamus, ut iste Interdicti transgressoribus suffragetur, ut expensè loquatur [C]: *Superior localis, qui tale mandatum* (nempe observandi Interdictum) *habet, debet investigare ab aliis Prælatis, & administratoribus tam Regularibus, quàm Clericis, an talem habeant in specie ordinationem, & quid velint agere. Si responderint se nolle Interdictum observare, cum tam gravi dispendio suarum Ecclesiarum, consulat eosdem ad obediendum Sedi Apostolicæ*. Benè hoc habet. Quid ultra? *Quo facto, sive eisdem fuerit transmissum tale præceptum, sive non* (Cur ergo fuerat investigandum?) *si videbit illos Ecclesiasticos prosequi celebrare divina officia, ut antea solebant, poterit & ipse illos imitari*. Quos *poterit imitari?* Quorum contumacia modò fuerat dissuadenda!

(C) Tom. 4. var. resol. 225. Quæres 21. n. 66.

Absolves hominem, & sceleris damnabis eundem.

Nun-

Nunquam sanè minùs concocta scripsit Bordonus. *Non debemus attendere quid alius ante nos faciendum putaverit*, ait Cyprianus [A]: *sed quid, qui ante omnes est, Christus, prior fecerit*. Qui nimirum non timuit ipse, & docuit suos non timere. Si exempla criminibus patrocinentur, nullum erit crimen, quod suâ defensione destituatur. *Hoc ideo dixi*, inquam cum Hieronymo [B], *ut non terreant descendentes, sed provocent ascendentes. Nunquam exemplum à malis sumitur*. Quod Joannes Apostolus [C] antea monuerat: *Noli imitari malum, sed quod bonum est*. Quos Doctores, aut Canones? quas decretales appellat, dum hæc asseverat Bordonus? Provocat ad proverbium, ut lepidè vocant septem Collegæ: *Leges, præcepta, & ordinationes observandæ non sunt cum probabili, imò evidenti periculo tam in personis, quàm in rebus, ex communi Doctorum*. De quo periculo, intrinseco an extrinseco, quâ in materiâ, Legis, Excommunicationis, an Interdicti; in quibus aliis circumstantiis, demum rectène an secus loquantur Doctores, quos citat, minimè inquirere curat Bordonus.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

(A) Epist. 63. aliàs epist. 3. lib. 2.

(B) Epist. 92. aliàs 34. ad Iulianum.

(C) Epist. 3. v. 11.

Verùm id ego numquam satis intelligam, quid *Superior localis*, de quo loquitur Bordonus; *tam in personis quàm in rebus* Fratribus suis timeat: Annon ipsis quàm maximè illud Hieronymi convenit: *Solum habemus lucri, quòd Christi nobis amore sociemur* [D]? Annon ejusmodi eorum institutum est, ut neque ubi pedem in suo ponant, se habere profiteantur? Audiamus ab eodem Hieronymo [E], quàm exilium, aut aliud quodcumque malum ti-

(D) Epist. 35. aliàs 3. ad Heliod.

(E) Epist. 39. aliàs 62.

mere

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

mere consueverint Monachi: *Non novit*, inquit, *terrori natio ista succumbere, & impendenti gladio, magis cervices, quàm manus subiicit. Quis enim Monachorum exul patriæ, non exul est mundi? Quid opus authoritate publicâ, & rescripti impendiis, & toto orbe discursibus? Tangat saltem digitulo, & ultrò eximus. Domini est terra & plenitudo ejus. Christus loco non tenetur inclusus.*

At si & religiosis viris timere libeat, timeant quidem, sed ordinatè: quæ graviora mala sunt, illa discant prætimere, idque ab Oddone ex *claustralibus Monachis, Abbate & Priore carentibus*[A]. Impendebat jam Angliæ Interdicti sententia, Apostolici Legati authoritate evibrata. Rex, ut eam declinaret, ad sublestam confugit appellationem; cui Episcopi, cæterique Ecclesiastici subscribere jussi sunt, nihil mali non experturi, si recusarent. Intimatam comminationem à Monasterio suo amoliri conatus est Oddo, Richardi Pictaviensis Archidiaconi gratiâ apud Regem pollentis ope imploratâ: *Nec si pro avertendo Ecclesiæ meæ periculo tibi per literas supplico, nimis præsumptuosum existimo. Videns igitur in appellatione Episcoporum, cui per Justitias Regis consentire compellimur,* ÆTERNUM ECCLESIÆ NOSTRÆ IMMINERE PERICULUM, *& sempiternum opprobrium, in magno pro hoc cum universo Conventu nostro mœrore constitutus, ad pedes pietatis tuæ me corpore & mente prosterno.* Dolet quidem & timet Oddo damna, quæ Ecclesiæ suæ, regiâ irâ gliscente, inferenda prævidet: sed longè acerbiùs dolet, & divinam prætimet ultionem; prætimet Ecclesiasticas

(A) *Inter epist. D. Thom. Cantuar. epist. 90. lib. 3.*

ſticas pœnas, & apud univerſos homines, nec ullis unquam futuris ſeculis delendam infamiam, ſi laicæ Poteſtatis metu, & quæſito appellationis colore, à cenſurâ obſervandâ deflexiſſent: *Ad rem nobis* TAM ILLICITAM, *tam periculoſam, &* IN OMNIBUS POST FUTURIS SECULIS *cum maximo nobis opprobrio ſemper obiiciendam, tam violenter compellimur. Quid dico violenter? Imò cum tanto, & cum tam inevitabili periculo hoc facere compellimur; ut ſi periculum, quod ab irâ Regiâ nobis imminet, ſi ei inobedientes fuerimus, per conſenſum appellationis declinare tentemus,* MAJUS HINC PERICULUM *ſtatim incurramus, quod imminet nobis à Deo in damnationem, à Domino Papâ, & ab Archiepiſcopo præſertim in Excommunicationem, vel certè in Ordinis noſtri deſtructionem, ab omnibus Archiepiſcopis futuris in æternam odii & depreſſionis occaſionem,* AB UNIVERSO MUNDO, *ubicumque hoc auditum fuerit, in* SEMPITERNI OPPROBRII *confuſionem. O anguſtia! O violentia undique periculoſa!* Peculiari nomine ſub Regis tutelâ erant hi Monachi; ſed non ideò ab obedientiâ Eccleſiæ præſtandâ ejus juſſu ſe abduci patiuntur: *Abſit hoc, abſit à D. noſtri Regis* PIETATE (ne ergo de formali contemptu cogites) *atque prudentiâ, ut tam periculosè contra nos dictaverit, qui nos ab omni humano ſolatio deſtitutos in ſuâ curâ ſuſcepit.* Hæc denique epiſtolę clauſula eſt: *Si verè & Eccleſiæ noſtræ, & Regis amicus es.... ita nos ab hac anguſtiâ, ſecundùm datam tibi à Deo poteſtatem atque ſapientiam, abſolutè liberes, ut nec D. Regis indignationem, appellationem ſubterfugientes, incurramus; nec appellationem fa-*

Metûs ab Interdicto ſervando excuſatio diſpellitur.

K *cien-*

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

cientes UNIVERSO MUNDO SEMPITERNUM OPPROBRIUM *efficiamur*. Quantò saniorem Theologiam ab Oddone, juxta UNIVERSI MUNDI sententiam edocemur!

Ne tamen putes, Bordono ipso judice, formidolosos Ecclesiasticos in tutum redactos, aut quę in Siciliâ fiunt, ullâ ratione defendi posse. 1. Enim Magistratûs, qui metum facit, tametsi absque formali Ecclesiæ contemptu, sed prætextu nullitatis & injustitiæ censurarum, iniquam damnat præsumptionem: *In casu autem præsenti Princeps minaretur gravia damna, licèt malè & injustè, Ecclesiasticis; cùm ei nequaquam sint subditi, eiiciendo eos de suo statu..... Solùm ex eò quòd prætendit ejus ducatum, castrum, seu civitatem injustè & invalidè fuisse suppositam Interdicto*. 2. Unus tantùm Prælatus, scilicet qui postremus censuram perfringat, est quem ipse voluit excusandum: *Ad inutile nemo tenetur: constat autem ex observatione hujus Interdicti ab hoc solo Superiore nihil utile colligi posse*. 3. Imò nulli omninò Siculorum Bordoni judicium suffragatur: nam minimè ipse ignorans ex Alexandri III. Decretali [A]; *rationabilem causam, quare* quis Pontificium mandatum se non posse adimplere putat, Pontifici ipsi esse *prætendendam*, eumque eâ de re consulendum, hoc tantùm casu hujus consultationis necessitatem excludit, cum iter bellis est interceptum, aut aliunde negotium innotuit. Quid ergo juris in præsenti erit, cùm jam Sanctissimus Pontifex toties Siculos paternè admonuit, toties severè jussit, Interdictum, minis contemptis, servare; edi-

(A) *In cap.* Si quando 5. *de Rescript.*

editâque demum Constitutione, prætensam metûs causam irrationabilem esse, disertissimè diffinivit[A]?

Alterius, qui duobus tomis tractatum de Censuris instituit, quidquid dicat in primo[B], ubi de Excommunicatione sermonem habet; in secundo tamen[C] de Interdicto agens diversam differendi rationem inivit; ac contemptam potestatem arbitratur, quoties minæ directè ad violationem extorquendam intentantur; propptereaque timoris pro inobedientiâ excusandâ somniatam efficaciam prorsus eliminat: *Idem manifestè dici potest de iis, qui compellunt Sacerdotes ad celebrandum Divina, quæ antea nihil penitus curabant, si numquam celebrassent: quare constat, id eos facere, ut videantur contemptores præcepti Ecclesiastici. Ideo hæc inobedientia nullam admittit excusationem, ob quemcumque metum fiat.* Nonne id ipsum multò disertiùs Glossa docuerat in cap. *Tanta est* de excess. Prælat.? ubi loquens de Clericis Interdictum *non servare compulsis, propter hoc*, inquit, *non excusantur, cùm pro nullâ pœnâ temporali debuerant Interdicti sententiam violare.*

Alia id genus testimonia, ingenuè fatemur, nulla nos cura tetigit perquirendi. At quæ adducta sunt, præsertim ubi alia non sunt, quæ adversentur, nonne satis esse queant, ut causam extra omnem disputationis aleam eductam dicamus? Sed nequaquam in tantâ argumentorum penuriâ sumus, ut his præsidiis insistamus. Quot Conciliorum Pontificumque decretis, quot decisionibus

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

(A) *Vid. Literæ Apostolicæ SS. D. N. Clem. PP. XI. in formâ Brevis ad tres Agrigentinæ Ecclesiæ Vicarios die 4. Novembris 1713.; Aliæ item in formâ Brevis ad Capitulum & Canonicos ejusdē Eccl. Agrig. die 10. Martii 1714.; Denique* Declaratio super omnimodâ, & inviolabili observantiâ Ecclesiastici Interdicti, cui Civitates, & Diœceses Cataniensis, & Agrigentina subjectæ reperiuntur, cum rejectione quarumcumque excusationum &c. *die 6. Novembris ann.* 1714.

(B) *Disput. 6. cap. 3. lib. 1.*

(C) *Disput. 8. cap. 6.*

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

hanc litem diremptam ostendere possumus? Si celebriorum Interdictorum historias excutiamus, id in comperto erit, universæ semper Ecclesiæ sensum fuisse, pericula potiùs quæcumque negligenda ac contemnenda, quàm Interdicti observationem: illos verò, qui accepto cesserint metui, canonicâ severitate pœnis affectos. Hæc videbuntur paradoxa Adversariis nostris. Quidni? Falsum esset vetus proverbium, quo eorum patrocinium innititur. Adestedum, præstantissimi septem Theologi ac Canonistæ. Hìc vos volebam. Experiamur, quàm opportunè huic causæ proverbium illud aptatum sit.

§. 2.

Legionense, Polonicum, & Gallicana aliquot Interdicta in probationem adducuntur.

CUM Rex Legionensis Regis Lusitani filiam, consobrinam suam, sibi irrito matrimonio copulasset, id nefas Cælestinus III. (minimè verò Innocentius, ut perperam scripsit Spondanus [A]) intelligens, tam Lusitanum, quàm incestuosè conjunctos Excommunicationis sententiâ innodavit, & eorum Regna supposuit Interdicto. Unde quod illegitimè factum fuerat, penitus est revocatum [B]: sed Rex Legionensis, de crimine in crimen transiens, filiam Regis Castellæ consobrini sui uxoris nomine ducere præsumpsit.

(A) *Ann.* 1198. *n.* 10.

(B) *Innoc. III. epist.* 75. *lib.* 2.

Ad

Ad has secundas incestuosas nuptias dirimendas parem diligentiam attulit Innocentius III., anno 1198., recèns ad Pontificatum evectus; atque Rainerio, rerum gerendarum peritià præclaro, tanti muneris provinciam commisit; qui cùm suis monitionibus nihil apud Legionensem, qui cœno hæserat, profecisset (Castellanus enim obedire promisit, si sibi filia sua redderetur) eumdem anathemate percussit, ejusque Regno secundâ vice Sacra interdicta sunt [A].

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

Rex irâ percitus sęvitiæ minis censuræ observationem impedire conatus est. Profectò nonnulli metui turpiter succubuerunt; sed inter eos, qui fortes se gessere, Ovetensis Episcopi constantia prẹlucet, qui latas sententias & servavit ipse,& in suâ Diœcesi servandas curavit; maluitque Ecclesiâ & Regno exulare, quàm Pontificio Interdicto non obedire. Ita rem enarrat Raynaldus [B], qui summis laudibus Episcopi invictos animos extollit: *Cùm verò Legionensis Rex Ovetensem Episcopum Regno atque Ecclesiâ suâ depulisset, quòd Interdictum à Legato Apostolico fulminatum servasset, Rainerio antequã Interdictum amoveret, injunxit* (Pontifex) *Episcopum dignitati & Ecclesiæ restitui juberet. Fuisse verò Episcopum virum pietate ac religione præstantem, ejus gesta demonstrarunt: cùm eversâ metu Regiæ potentiæ plurium Præsulum constantiâ, Regno priùs, quàm sententiâ suâ depulsus est; atque exilii pœnam triumpho duxit.*

(A) *Cit. epist. 75. lib. 2., & epist. 92. lib. 1.*

(B) *Ann. 1198. n. 34.*

Non tantùm Ecclesiæ suæ restitui, ut Raynaldus tradit, sed damna etiam quæcumque ei resarciri

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

ciri ab Innocentio mandatum, literæ Rainerio datæ testantur [A]: *Cùm Ven. Frater noster Ovetensis Episcopus Interdictum, quod in Regnum Legionense Apostolicæ Sedis authoritate prolatum fuerat, & ipse servaverit, & in suâ Diœcesi fecerit observari, & propter hoc de Regno Legionensi exilium coactus fuerit sustinere, justum non esset aliquatenus, vel honestum, si de receptione ipsius in absolutione Regis, & Regni à te vel nullatenus, vel nimis tepidè tractaretur. Ideoque discretioni tuæ mandamus &c. ex debito præstitæ cautionis illi præcipias, antequam Interdictum Regni relaxes, ut non impediat quominus dictus Episcopus suæ restituatur Diœcesi, & tam de* DAMNIS *illatis, quàm de* FRUCTIBUS *inde perceptis recompensationem ei exhibeat competentem, & ei faciat ablata cum integritate restitui.* Speciales etiam favores Episcopo pro meritis impertiendos Legato injunxit.

(A) Epist. 125. lib. 1.

At eorum, quos minitabundi Regis ira, & exilii graviumque periculorum metus concusserat, casumne humaniter compatiendo miseratus est Pontifex, an temeritatem ulciscendam putavit? *Compostellano Archiepiscopo, & universis Episcopis in Regno Legionensi constitutis* scribens Innocentius [B] præcepit, ut quisque in suâ Diœcesi inobedientes Clericos juxta Canones puniret; siqui autem ex ipsis Præsulibus in eamdem contumaciam incidissent, à prædicto Compostellano meritâ ultione coercendos mandavit, in solum Salmanticensem sibi animadversione reservatâ: *Siquos autem post latam in Regnum ipsum sententiam Interdicti &c. divina inveneritis officia celebrasse, singuli vestrûm in suâ Diœ-*

(B) Cit. epist. 75.

Diœcesi talium præsumptionem authoritate freti Apostolicâ, sublato appellationis obstaculo, canonicâ districtione percellant. Si verò aliquis vestrûm, Fratres Episcopi, in hoc deliquerit, excepto Salamantinensi, cujus correctionem Sedi Apostolicæ reservamus, Tu Frater Archiepiscope, animadversione ipsum canonicâ non differas castigare.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

Multò vetustius Interdictum est, quo Poloniæ Regnum, ob Sancti Stanislai Cracoviensis Episcopi necem, anno 1079. Gregorii VII. Pontificis sententiâ devinctum est. Dum Boleslaum II. Regem de iniquis molestiis, quas Ecclesiæ bonis intulerat, aliisque sceleribus, libidine præsertim, in quam effusior & intemperantior ferebatur, Sanctus Antistes in spiritu & virtute Eliæ redarguentis Achab, & Joannis Baptistæ corripientis Herodem, arguit, & non auditur; & iterum corripit, & contemnitur; rursusque increpat, & despicitur, gravi illum innectit anathemate, vetatque Sacra fieri totâ urbe; *quò*, ut Cromerus ait, Boleslaus *detestatione & convicio Populi, qui Sacris arcebatur, ad saniorem mentem revocaretur.*

Odio in suum correctorem Rex inflammatus parricidium, quod sæpè comminatus fuerat; quodque jam missi ad hoc milites Sancti Episcopi ad altare Sacra peragentis insolito fulgore perculsi exequi non valuerant; per se ipsum patrare statuit, ac stricto ense in templum irrumpens Stanislai verticem lethali vulnere ferit.

Hæc ubi Romæ nunciata sunt, Gregorius rei atrocitate commotus toti Poloniæ Sacris interdixit

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

xit; Boleslaum novis diris devovit, Regnumque ipsi solenni ritu abrogavit. In posterùm quoque, nequem Episcopi Regem injussu suo consecrarent ac coronarent, edixit. Qui verò socii sceleris Regi fuissent, eos simul & posteros eorum usque ad quartam propaginem à Sacerdotiis, & omnium magistratuum Ecclesiasticorum functionibus, honoribus, & emolumentis alienos esse jussit. Meminere harum censurarum, præter laudatum Cromerum [A], Baronius, Matthias de Michovia, & Longinus, sive Dlugossus in Historiâ Polonicâ [B]; nec non in vitâ Stanislai [C]: acta insuper Gregorii VII. [D] Alexander Guagninus, Clemens Janitius, aliique ab Henschenio, & Papebrochio [E] allegati.

Poloniæ Antistites, quibus Pontificiarum literarum executio demandata fuerat, quamquàm satis perspectum haberent, quàm in iram proclivis Boleslaus esset, & quos in furores facilè evasurus, dum tam gravi sententiâ se percelli, Regnumque intelligeret; nihilo tamen minùs non bonorum expilatio, non quicquid atrocitatis à malesano Rege sibi imminere perpenderent, ab Apostolici mandati executione, ac debitâ observantiâ deterruit. Rem ita enarrat, invictamque Episcoporum obedientiam testatur Longinus [F]: *Petrus autem Gneznensis Archiepiscopus*, & OMNES *Ecclesiæ Polonicæ Antistites*, *mandatis Apostolicis exceptis*, ETSI GRANDIA ET AMARA JUBERENTUR, TYRANNIDEM QUOQUE REGIS BOLESLAI, ET MILITUM HABERENT IN FORMIDINE ET RESPECTU, *ne quid gravius in corpora eorum, aut fortunas solitâ severitate consulerent*; MANDATA TA-

(A) Rerum Polonicarum lib. 4. & 5.

(B) Omnes ad d. annum 1079.

(C) Lib. 1. cap. 9. n. 129.

(D) Apud Bolland. die 25. Maii.

(E) In not. ad cap. 12. lib. 1. Longini in act. Sanctorum Maii tom. 2.

(F) Cit. lib. 1. cap. 12. n. 160.

MEN

MEN APOSTOLICA PRÆVARICARE NON AUSI, *Interdictum & anathema Apostolicum publicant; & Ecclesiis singulis obseratis, divinarum laudum organa non sine suo, Cleri quoque, & Populi ejulatu suspendunt; Regem quoque Boleslaum, & milites necis viri Beati participes & consortes denuntiant publicè & per nomina excommunicatos, anathematizatos, & interdictos.* Animadvertenda sunt ea Historici verba, MANDATA TAMEN APOSTOLICA PRÆVARICARE NON AUSI. Quæ obtemperandi necessitatem, gravissimis etiam malis impendentibus, denotant.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

In Concilio Lemovicensi II., dum *Lemovicensis militiæ Principes res Sanctuarii pervadentes, Ecclesiaque ministros affligentes* hujusmodi censurâ feriendi consilium captum est; non tantùm statutum fuit, *recipiendum non fore nisi cum dignâ pœnitentiâ*, quicumque *probatus fuisset aliquo modo hujus vinculi violator*: sed Episcopos ipsos esse deponendos, *si quis* ex eis *aliquotiens timore* animadversionem per Concilium decretam in aliquo violasse deprehenderetur[A]. Non mitiorem sententiam Paschalem II. rogabat Yvo[B] adversùs Episcopum, qui fortè timens, ne Episcopatu deiiceretur, aut læsa Ecclesiæ jura Interdicto non vindicaret; aut Interdictum exueret, Ecclesiâ non restitutâ: *Ecclesiastici juris sacrilegi pervasores ab ipso Clero Apostolicâ authoritate excommunicentur, & Ecclesiæ tam civiles, quàm suburbanæ usque ad satisfactionem claudantur.... Addatur etiam, ut, si succedens Episcopus illius sacrilegii patratores absque satisfactione absolverit, vel ambitione acquirendi Episcopatûs,*

(A) *Concilior. Labbei tom.9. col.869.*
(B) *Epist. 94.*

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

tûs, vel TIMORE AMITTENDI *supportaverit, tamquam sacrilegii particeps, & Episcopatûs exutor adjudicetur.*

Literis ad Galliarum Episcopos datis injunxit memoratus Gregorius VII.[A], ut nisi Philippus Rex ab ipsis commonitus sua crimina emendaret, ultimas denunciarent minas, ac generali Interdicto Regnum supponerent: *Per universam Franciam omne divinum officium publicè celebrare interdicite.* Regiæ indignationis, metûsque gravis exceptioni, quæ obtendi poterat, prævertit Pontifex, ac dissolvit: *Quamquam, etsi* TIMOR ET PERICULUM MORTIS *immineret; vos tamen à libertate vestri sacerdotalis officii desistere non oporteret.*

(A) *Epist. 5. lib. 2.*

Electo in Bituricensem Archiepiscopum Petro de Castra, quem Ludovicus VII. junior dictus Bituricibus recipi vetuit, quòd absque assensu suo consecratus esset, Innocentius II., ex hac aliisque causis à Divo Bernardo[B] oppressionis Ecclesiæ ultor interpellatus, Yvonem Presbyterum Cardinalem in Gallias misit, qui *Regnum*, inquit Baronius[C], *subjecit Interdicto*: licèt ex eo, quod alii historici[D] referunt, tale Interdictum fuisse videatur, ut ea tantùm loca affecerit, ubi Rex sedem haberet, aut quò fortè adire contingeret.

(B) *Epist. 216.*

(C) *Ann. 1142. in fine.*

(D) *Natalis Alexãd. secul. XI. & XII. part. 2. art. 4., Paulus Æmil. Veron. in Ludovic. VII.*

Quò Ludovici furor ad hoc Interdictum evaserit, ex eo colligi potest, quòd Theobaldum Campaniæ Comitem, religiosissimum quidem Principem, qui, ut Pontifici obediret, Petrum Archiepiscopum apud se receperat, armis aggressus est; Victriacum ejus castrum cepit, ibique crudelissimè est debacchatus[E]. Theobaldus animis ingens, sed

(E) *Continuat. Chronic. Sigebert. ad ann. 1143.*

sed viribus, & Regio bello ferendo impàr, pacem exorare, & iniquas conditiones accipere compulsus est, jurejurando se effecturum promittens, ut Legatus Apostolicus Interdictum solveret; quod sanè obtinuit. Sed promissâ deinde emendatione non subsecutâ, Interdictum est renovatum, & Regium bellum in Theobaldum [A]. Sæpius Bernardus [B] Ludovici in Clericos, in Episcopos, in Ecclesias detestatur immanitatem; quæ tamen Sanctissimum Abbatem nequaquam deterruit, ne illi sub vitæ quoque discrimine sibi resistendum putaret [C]: *At quidquid vobis de Regno vestro, de animâ & coronâ vestrâ facere placeat: Nos Ecclesiæ filii Matris injurias, contemptum, & conculcationem omninò dissimulare non possumus: quæ illi, præter illa, quæ in eam præcessisse miserabiliter plangimus, iterum de novo partim inferri, partim imminere sentimus. Profectò stabimus, & pugnabimus* USQUE AD MORTEM, *si ita oportuerit, pro Matre nostrâ*. Præterea ad metum gravem statuendum, *Regis aut Domini imperium*, imò *supplicationem* satis esse putant Doctores [D]; *si consuetus is sit tyrannicè tractare*.

Metus ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

(A) *Idem Continuat. Sigebert., ac Ricciolius in Chron. ann.* 1143.

(B) *Epist.* 216., 217., 219., 220., & 221.

(C) *Cit. epist.* 221.

(D) *Panormit. in cap. ultim.* Qui Clerici vel noventes *apud Sylvest. v.* Metus q. 2.

Nunquid ergo propter hujusmodi metum admisit aliquando Gallicanus Clerus Regem ad Sacra? Quàm religiosè Interdictum servatum fuerit, à Natali Alexandro [E] audiendum: *Innocentius II. Pontifex Maximus Archipræsuli favens illatam à Rege violentiam Interdicto ultus est tam severo, tamque gravi, ut triennio integro* NULLUS *totâ Galliâ locus fuerit, qui* REGEM AD SACRA ADMITTERET. Horstii [F] consonat testimonium: *Per triennium*

(E) *Loc. cit.*

(F) *Ad epist.* 217. *Bernardi.*

Re-

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

Regis persona subjacuit Interdicto; in quamcumque civitatem, vicum, vel castellum intrabat, suspendebatur celebratio Divinorum.

Quod magis ad rem nostram facit, illud est, quod anno 1146. eodem Interdicto adhuc durante accidit. Carnoti, ubi Conventus pro expeditione Hierosolymitanâ agebatur, Rhemensis Archiepiscopus, quem Joannem de Pratis fuisse constat, ad Regis imperium Divina contra Interdicti formam peregit, eumque solenni ritu coronavit. Res adeò absona visa fuit, ut statim fuerit ad Eugenium III. perlata, qui severè admodum Apostolicâ censurâ Archiepiscopum puniens pallio privavit [A].

(A) Baron. ann. 1146. pag. mihi 327.

Rhemensis Præsulis tutelam Bernardus suscepit, & Pontifici literis exaratis [B], *Pio* ejus *rigori*, ut ipse dicit, pluribus obvius ivit. I. A probationibus non impletis Archiepiscopum contutatur: *Obiicitur, quòd scienter Divina præsumpserit celebrare in Ecclesiâ interdictâ. Negat. Suo tempore probabitur illud, purgabitur istud.* II. Contendit cæteris ejus virtutibus lapsum illum, cujus fuerat accusatus, condonari potuisse: *Esto tamen. Putemus omnia constare quæcumque in absentem adversariis ejus licuit, aut libuit loqui. Debuitne hoc solo excessu, cujus cętera laudabilia extiterunt, tam durè feriri, tam severè animadverti? Semel excessisse etiam virtus poterat reputari.* III. A loci, temporis, aliisque circumstantiis valida quidem repetit argumenta: *Deinde quid in arcto illo fieri oportebat? Dies celebris, solennis curia, juvenis Rex, &, quod bis majus est,*

(B) Epist. 246.

est, Dei negotium de Hierosolymitanâ scilicet expeditione; propter quod omnes convenerant. Prorsus hæc omnia Missarum, & coronæ Regiæ solennis debitique honoris frustrationem nullatenus admittebant. Sed nec ipsi Bituricensi Archiepiscopo omninò expediebat, ut bonor Regis per eum impediretur. Quæ cùm ita se habuerint, æstimamus locum misericordiæ non deesse, ubi tanta necessitas typum excusat contumaciæ. Nunquid potestatem habetis tantum percutere, & nequaquam sanare? Nostis, qui dixerit „ Percutiam, & „ ego sanabo „. IV. Ad pœnam remittendam Eugenium adhortatur, ne Rex à sacræ expeditionis, quæ Bernardo & Pontifici ipsi quàm maximè curæ erat, proposito resiliret: *Quòd planè tempore isto non expedit, ne bonum, quod vestro hortatu bono & magno animo cepit, dignum (quod absit) non habeat exitum, si in scandalo & animi perturbatione hoc egerit.* En quàm strenuè Sanctissimus Abbas patrocinium suum absolvit. Quot capitibus susceptam causam agit: sed à timore, ne Ludovicus indignatus extorrem, ut alios Episcopos, Rhemensem faceret, minimè eum defendendum putavit: adeò ab Ecclesiastico spiritu alienum est, quemquam metu quocumque à censuris observandis excusari posse. Denique licèt Bernardus, tot gravibus circumstantiis in considerationem adductis, pro Rhemensi *misericordiam* exoret; *excessisse* tamen non diffitetur.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

In rem autem compertissimam operam impendemus, si Ludovicum ab omni Religionis labe alienum probemus. Etenim, præterquamquòd

Metjus ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

præclara admodum apud Scriptores de ejus pietate testimonia sunt, à nobis alibi opportuniùs adducenda; præterea quod tum peccavit, ætatis defectui tribuit Petrus *Venerabilis* Abbas Cluniacensis, dum Pontificem rogat, ut paternâ illi indulgeat benignitate [A]: *Si quid fortè adhuc* UT ÆTATE JUVENIS *inconsultè agit, ei condescendatis, & ejus fortè errorem sapientiæ vestræ velamine contegatis; est enim Patris, ut filii & maximè tanti & errorem emendet, & honorem conservet. Hoc pro dissidio, quòd inter ipsum, & Dominum Bituricensem Archiepiscopum est, dico.*

(A) Epist. 2. lib. 5.

Anno 1198. idem Franciæ Regnum ab Innocentio III. Interdicto obligatum fuit ob Ingeburgim, sivè Insburgim, aut Gelbergam (ita enim variant Authores) legitimam uxorem à Philippo II. Augusto repudiatam, & pellicem superinductam; ad quam causam Decretalis in cap. *Ad hæc* 1. de postul. Prælat. pertinere dignoscitur.

Scriptores omnes, qui rem literis consignarunt, Philippum in Ecclesiasticos censuræ obtemperantes atrociter sæviisse, unanimiter contestantur. Audiendus hâc de re gestorum Innocentii III. diligentissimus Scriptor [B]: *Rex autem in tantam indignationem excanduit, ut Episcopos & alios Clericos, qui primò servaverunt Interdictum, ab Ecclesiis suis faceret violenter expelli, & bona omnia occupari.* In eadem verba consonat Brietius [C], Spondanus [D], aliique; sed testimonium, quod à textu nostro [E] habemus luculentissimum, nequaquam est omittendum: *Dolemus insuper, quòd dolori nimio, quem de tanti*

(B) Edit. Bosquet pag. 32., & seqq.; Baluz. n. 48. & seqq.

(C) Ann. 1198.

(D) Eod. ann. n. 9.

(E) Vid. cap. Ad hæc à Gonzalio restitutum.

tanti Patris obitu conceperat Ecclesia Senonensis, dolor alius supervenit; cùm eâ vix surgente ab officio funeris tam funesti, vix dignè celebratis exequiis tanti Patris, Rex ipse INJUSTE *commotus possessiones ipsius tam ad mensam Archiepiscopi, quàm Canonicorum pertinentes, non ut debuit vel ut decuit; sed ut voluit & valuit, occupavit; & personas etiam, quæ de mandato nostro* SUSPENDERUNT ORGANA SUA, *compulit exulare.*

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

Neque verò schismatis, aut hæreseos suspicione Philippus aspergendus est, tametsi ita in Ecclesiasticos justitium observantes ferociret: quin exceptionum fuci illi non defuerunt, quos adversùs illius firmitatem obtenderet. Equidem, si cum adducto cap. 1. de postul. Prælat. alias duas ejusdem Pontificis Decretales in cap. *Novit ille* 7. de offic. Legat., & cap. item *Novit ille* 43. de appellat. conjungamus tamquam ob eamdem causam editas, intelligemus multa Regem per procuratores ad Pontificem missos in eam rem allegasse, videlicet quod Cardinalis Legatus, qui sententiam tulerat, *certâ* sibi foret *ratione suspectus*; quòd *extra fines Regni Francorum*; quòd post *appellationem* ad Apostolicam Sedem *interpositam* eam *edidisset*. Quæ omnia Innocentius ad Regis querimoniam respondens in memoratis capitulis diluit.

Itaque absque contemptu formali Clavium Rex gravem metum fecit Ecclesiasticis. Nihilo tamen minùs lōgissimè tota Galliarum Ecclesia ab eo fuit deliramento, ut Interdictum impunè se transgredi posse existimarent; quin prompti omnes fue-

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

re ad se cuicumque turbini exponendùm, ne à censuræ observantiâ deflecterentur. *Omnes*, inquit Spondanus, *humiliter paruerunt: sicque tota terra Regis arctissimo est Interdicto conclusa; ita etiam ut clausis Ecclesiis nusquam in cœmeteriis sepelirentur corpora mortuorum; sed super terram servarentur ubilibet insepulta*. Notandum est quod hìc Author addit: *Quo tempore, sicut & olim sub Philippo I. simili de causâ, sunt qui observant, Tabelliones in actis & instrumentis publicis non de more apposuisse* „ Regnante Philippo, *sed* Regnante Christo „.

I nunc, fidem præsta Arnisæo, dum putidissimè Venetis assentatur, quòd Interdicti observationem impediendo Galliæ Reges fuerint imitati; *qui numquam*, ait, *jussu Pontificum Sacra sibi passi sunt eripi* [A]. Quot alia exempla, ad id commenti explodendum, jam adductis superaddamus? Duo tantùm ex vetustioribus libet non prætermittere. Alterum sub Roberto Hugonis filio, quod Author fragmenti Historię Francorum à Roberto ad mortem Philippi aliique [B] commemorant, ac censuram omninò servatam tèstantur. Alterum verò sub prędicto Philippo I. ab Urbano II. jussum [C]. Willelmus Malmesburiensis [D] narrat, ut ubicumque Rex *mansitabat nihil Divini servitii fieret; sed discedente eo tinnitus signorum undique concreparent*. Auctor verò prisci Chronici Cœnobii S. Dionysii literis prodidit inscriptionem toto Interdicti tempore, in actis atque instrumentis publicis usurpatam, quam modò attigimus cum Spondano. Siqui unquam à censuræ observatione ac rigore in ali-

quo

(A) *De jure Majest. cap. 6. n. 5. in fin.*

(B) *Helgaudus, seu Helgald. in vit. S. Abbonis, Leo IX. epist. ad Henricum Roberti filium, Petr. Damiani cit. opusc. 34. cap. 6., Inret. ad epist. 46. Yvonis, Baron. ann. 998. in princ.*

(C) *Meminerunt Continuator Aimon. Monac. hist. lib. 5. cap. 1., cit. Auth. fragment. &c., Yvo epist. 23., 46., 66., 67., 84., & 144.*

(D) *De Reb. gest. Anglor. lib. 5. in vit. Henric. I.*

quo deflexisse comperti essent, grande eorum crimen ab aliis reputatum. Ut laudibus extollit Yvo[A] Joannem Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, qui tunc Philippi censurâ affecti sedulò commercium defugerat; ita acerbè incurrit in nonnullos Antistites, qui defuncto Urbano inter Pentecostes solennia coronam Regi imposuerant: *Hoc egregiè laudabile intellexi, quòd te à communione Regis abstinuisti . . . . Licèt quidam Belgicæ provinciæ Episcopi in Pentecosten contra Interdictum B. M. Papæ Urbani coronam ipsi Regi imposuerant, tamquam mortuo præcone justitiam mortuam esse crediderint*. Eâdem de causâ graviter zelantissimus Præsul perstringit Archiepiscopum Turonensem, ejusque crimen ad Hugonem Romanum item Legatum detulit[B]. E diverticulo modo ad interruptæ narrationis seriem redeamus.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

(A) Cit. epist. 84.

(B) Cit. epist. 66.

Omnes quidem paruisse, dicebamus; ita tamen ut quamplurimis in Diœcesibus statim Interdicti sententia post receptas literas, & in *auditu auris*, ut citata Innocentii gesta loquuntur[C], fuerit *firmiter observata. Alii verò distulerunt* tantùm *observare . . . . nuncios suos ad Sedem Apostolicam destinantes, per quos quasdam excusationes licèt frivolas prætendebant: sed promittebant, quòd illis expositis, si demum placeret Summo Pontifici, sententiam observarent. Cùm igitur Summus Pontifex excusationes illas evidentissimis rationibus improbaret, præcepit eisdem, ut ipsi pariter observarent sententiam Interdicti; qui audito præcepto* HUMILITER PARUERUNT. *Sicque tota terra Regis arctissimo est Interdicto conclusa*.

(C) Loc. cit. num. 52.

 Hinc

Metus ab Interdicto servando excusatio depellitur.

Hinc vides, quàm iniquè Dupinus hujus Interdicti firmitati detrahere conatus sit, dum *à quibusdam observatum* jactat, *ab aliis verò non*: Quasi verò qui Pontificem consulendum duxerunt, post acceptum illius responsum, non, ut cæteri omnes, & ipsi obtemperarint. Tempus quoque, & causa hujus Interdicti Dupinum fefellit: *Anno* enim 1199., *& non propter Regis matrimonium, sed quia captivus à Rege detinebatur quidam Petrus Dajus Clericus in Episcopum Cameracensem electus*, latum affirmat, nullo prorsus in testimonium adducto; quin historicorum omnium, ac monumentorum fide reclamante [A].

(A) *Vid. Authores super hoc Interdicto alleg.*

Inter eos, qui ad Sedem Apostolicam nuncios miserant, fuit Hugo de Nojers, Antissiodorensis Episcopus; cujus rei præter alia Decretalis testimonium habemus: *Ideoque unus eorum extiterat, qui deliberantes super eâdem sententiâ communi consilio decreverunt, sed erraverunt, ut ipsam sententiam non servarent*. Totum ergo Antissiodorensis crimen fuit non statim, non promptiùs obediisse; nihilominus Innocentius, cùm Senonenses Canonici in suum Archiepiscopum eum postulassent, ut indignum ex eâ dumtaxat causâ repulit, & postulationis habuit incapacem: *Cùm si verbum Apostoli P. de Clemente dicentis diligentiùs attendissent, commonitionem super hoc non debuerint expectare, sed obsecundare prudenter & humiliter obedire. Nos igitur, qui secundùm Apostolum prompti sumus inobedientiam omnem ulcisci, ejusdem Altissiodorensis inobedientiam attendentes, ne nihil obedientia pro-*

desse

desse videretur humilibus, si contemptus contumacibus non obesset; cùm juxta canonicas sanctiones QUÆDAM SINT CULPÆ, IN QUIBUS CULBA EST RELAXARE VINDICTAM: *habito cum fratribus super hoc diligenti tractatu, quantumcumque vobis tamquam obedientiæ filiis deferre vellemus; postulationem tamen hujusmodi non propter postulantem Ecclesiam, sed propter postulatam personam repulimus*, UT INDIGNAM. Ex quo fuit; qui de Hugone lepidè diceret, *Nunquam de benè cantando tantùm acquiret, quantùm de malè cantando jam perdidit* [A]. Ex textu autem hæc ab interpretibus juris conclusio deducitur: *Impostulabilis est ad dignitatem Ecclesiasticam qui Interdictum violavit*. Quam passim Doctores illustrant, & argumentis ab aliis textibus ductis confirmant.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

(A) *Cit. gestor. Scriptor n.56.*

Pœnam suam non effugerunt alii Clerici, & Episcopi, qui eâdem cum Antissiodorensi labe fuerant commaculati. Cùm enim Rege ad mentis sanitatem redacto Interdictum solvendum fuit, æquè solicitum se gessit Pontifex, ut obedientium indemnitati consuleret, & inobedientes canonicam sentirent ultionem. Siquidem *Octavianum Ostiensem Episcopum Legatum in Franciam destinavit talem ei formam præfigens, ut ante omnia* SATISFACTIONEM PLENARIAM DE DAMNIS, ET INJURIIS *Clericis, & Ecclesiis irrogatis faceret exhiberi: Ita quòd ii, qui propter obedientiam & reverentiam Apostolicæ Sedis perpessi fuerant contumelias & jacturas, per Apostolicam Sedem sibi sentirent, & gauderent congruè satisfactum* [B]. *Quia verò Summus Pontifex reservaverat sibi correctionem eorum,* qui

(B) *Idem n.54.*

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

qui ab initio non servaverant sententiam Interdicti, & ipsi sententiam suspensionis incurrerant, quam Legatus protulerat in eos, qui eamdem sententiam non servarent, COMPULSI *sunt ad Apostolicam Sedem* PERSONALITER LABORARE. *Venerunt igitur Rhemensis Archiepiscopus, Carnotensis, Aurelianensis, Meldensis, Antissiodorensis, Noviomensis, & Beluacensis Episcopi, & procuratores eorum, qui propter ægritudinem accedere nequiverunt. Similiter & quidam Abbates venerunt. Qui verò venire non potuerunt, procuratores idoneos destinarunt. Recepit autem ab omnibus publicè juramentum, ut tam super Interdicti, quàm suspensionis sententiâ non servatâ mandatis Apostolicis obedirent, & sic eos à vinculo suspensionis absolvit, sed mandatum facere distulit ad cautelam* [A].

(A) Idem n. 57.

Postremò duo Decretalis ipsa suggerit considerańda. I. Innocentium, ut Senonenses Canonicos, qui exilium & bonorum direptionem pati, quàm censuram violare maluerunt, grato favore prosequeretur; quamvis ab eligendi, aut postulandi alium in Archiepiscopum, propter postulationem de indignâ personâ factam, excidissent potestate; id tamen eis benignè indulsit: *Licèt autem ex eo, quòd hominem, qui vestro non conveniebat proposito, postulastis; cùm vos Interdicti sententiam servaretis, ipse tamen eam contemneret observare, permissâ vobis abusi fueritis potestate; ac ideo vos non immeritò privare possemus; cùm, juxta Divinæ Legis edictum, non liceat vestem induere de lanâ linoque contextam; ne tamen vestræ videamur devotionis ingrati, de solitâ Apostolicæ Sedis benignitate concedimus; ut vobis,*

&

& eidem Ecclesiæ vel per postulationem idoneam, vel per electionem canonicam de personâ congruâ consulatis. II. Tantum abfuisse, ut Antissiodorensis Episcopus propter metûs gravis exceptionem se ab Interdicti servandi obligatione solutum putaret, ut quamvis multa in sui excusationem adduxisset, quæ ut inania depellit Pontifex; de metu tamen prædicto ne verbum quidem. *Nondum*, ut Ethnici Scriptoris [A] dicta hic cooptemus, *hæc, quæ nunc tenet seculum, negligentia* Religionis *venerat: nec, interpretando, sibi quisque jusjurandum, & leges aptas faciebat; sed suos potiùs mores ad ea accomodabat*: nondum ista benignior eruperat Theologia, nec arcana scientia *materialis & formalis contemptûs* pervaserat Ecclesiasticos: latuit ea Hugonem virum alioquin literis, & facundiâ clarum [B], aliosque conreos, ut inobedientiam suam excusarent; latuit reliquos Episcopos & Clericos Galliæ, ut se tot malis subtraherent; latuit denique Innocentium, ut rectius judicium ferret.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

(A) *Liv. cap. 8. lib. 3. decad. 1.*

(B) *Fratr. Sammart. t. 2. Galliæ Christian. pag. 282., Io: Chenu in serie Præsul. Antissiodorens.*

§. 3.

Interdicta Anglica.

E Galliis verò in Angliam gradum faciamus: Ardentibus malè jamdiù inter Divum Thomam Cantuariensem, & Henricum II. controversiis, ob iniquas consuetudines à Gulielmo Conquæstore dicto primùm in Angliam invectas [C], quas ut Sanctus Præsul tamquam Po-

(C) *Anselmus Cantuar. epist. 149., Ioannes Saresber. epist. 292., 297., et 299., Francisc. Florens de Elect. pag. 206.*

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

Potestati ac libertati Ecclesiasticæ contrarias quammaximè detestabatur; ita Rex quocumque scelere tueri statuerat: ut tandem divexatæ ac laboranti Ecclesiæ consuleretur, Ecclesiasticus fuit mucro distringendus. Si quis Henricianæ cæteroquin notissimæ immanitatis non tantùm in Archiepiscopum ipsum, sed in eos etiam omnes, qui aut ei opem ferrent, aut ejus parerent mandatis, aut partes quoquo modo sequerentur, à nobis hìc argumenta quærat, Thomæ ipsius epistolam ad Alexandrum III. Pontificem [A] indicamus; quâ eum ad tot Ecclesiæ injurias ulciscendas solicitat, vix siccis oculis cuiquam pio percurrendâ.

(A) Epist. 129. lib. 1.

Ad Henrici ergo furorem, & qua obduruerat, obstinationem frangendam, si non expedita, denuntiata tamen sunt in ejus caput Ecclesiastica fulmina [B]: dictusque dies est, ut nisi intra certum terminum satisfacere curasset, ejus terra Interdicto supponeretur: in Regios verò Ministros, aliosque Henrici sceleribus implicitos, præcipuè qui Ecclesiarum redditus ex illius edicto interceperant, grave jam excussum est anathema. Utrasque autem censuras sub quocumque discrimine custodiri oportuisse, & latarum sententiarum tenor, & bonorum omnium constans judicium, & exempla commostrant.

(B) D. Thom. epist. 34. lib. 3.

Excommunicatos quod attinet, nihil in latis sententiis solennius observare est, quàm laicis pariter ac Clericis injunctum, defugiendos esse timore quovis contempto: itaut eadem Excommunicatio iis intentaretur, qui excommunicatos in com-

commercium acciperent, & qui ad id compellere auderent [A].

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

Inter hujusmodi excommunicatos Londinensis Episcopus fuerat, quòd præter alia, quibus notabatur crimina, *Clericorum, qui pro justitiâ spoliati* fuerant, *bona detinebat*. Is, cùm Episcoporum conventus habendus esset, ne ab eo tanquam impius excluderetur, Regis iram aliasque minas Episcopis intonandas curavit: quas tamen illi aspernati constanter ei communicare aversati sunt. Milo Morinorum Præsul id facti Pontifici nuntiavit [B]; *Nuper in solenni Conventu* PER OFFICIALES REGIS *elaboravit* (Londinensis), *ut Fratres & Coepiscopos suos sibi communicare* COMPELLERET, *& Domino Cantuariensi debitam subtrahere obedientiam. Cæterùm, Deo inspirante, qui præcipui erant, in conflatorio ejus probati sunt*; ET EI IN FACIEM RESISTENTES, *Deo ante conspectum suum proposito, hinc indignationem Regis, quam ille concitat & minatur; inde consolationem expectant à Deo*.

Bartholomæum Exoniensem Archidiaconum Joannes Saresberiensis commendat, quòd nullo timore correptus eorum consortium defugeret, quos à communione seclusos noverat; tametsi proxima eorum restitutio præverideretur [C]: *Interim probo, quòd fecit subtrahens se ab excommunicatorum participatione: indubium enim est, quin à fidelibus tales oporteat evitari, quousque de absolutione constiterit*: DEO ENIM POTIÙS, QUAM HOMINIBUS OBEDIRE OPORTET. *Quòd tamen sæpissimè, præsertim in talibus, sine periculo non contingit. Eò quòd per multas tribula-*

(A) *Ejusd. D. Thomæ epist.* 33., 34., 35., 36., 38., 43., 44., 45., 53., 68., 69., 70., *& seqq. lib.* 3. *aliisque*.

(B) *Loc. cit. epist.* 16.

(C) *Inter epist. ejusd. D. Thomæ epist.* 5. *cit. lib.* 3.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

bulationes intratur in Regnum Dei. Hæc est, dilecte mi, via justorum, hæc vitiorum purgatio, virtutum conflatorium, ELECTOS STATUENS INTER MALLEUM ET INCUDEM: *Sed de his omnibus liberat eos Dominus, & probatos illustriori coronâ glorificat.*

Cùm Wigorniensis Episcopus, *religiosus* alioquin *vir*, minarum tamen strepitu territus Divum Thomam rogasset, ut sibi cum excommunicatis in aulâ præpotentibus conversari permitteret, faciliùs eo peracto Regis indignationem sedatum iri, pacemque adfuturam prætendens: ad postulata exhorrescens Thomas, acerbè illum increpuit, quòd talia sibi in mentem venire passus fuisset[A]: „Quòd autem rogastis, ut vobis liceat excommunicatis communicare, quasi ut per hanc Dei offensam sit expeditior via ad gratiam Regis, & pacem Ecclesiæ reformandam, tamquam non sit à Deo, sed per humanam astutiam redintegranda, mirum est quomodo venerit in animum Sapientis, præsertim Episcopi, quem oportet habere zelum Legis, qui dissuadentem audivit Apostolum: *Ne mala faciamus, ut proveniant bona.* Quæ est societas luci ad tenebras? Quæ conventio Christi & Belial? Quis consensus templo Dei cum Idolis? Quæ participatio fidei cum iniquitate? SED TIMETIS REGEM. DEUS CERTE FUERAT PRÆTIMENDUS. Paupertas horrori est, & proscriptionis injuria. Sed tales Christus Confessores agnoscit eos, qui pro justitiâ persecutionem patiuntur, beatos eos esse denuncians, non eos qui croceis induti sunt, qui primos habent recubitus,

(A) *Ibid. epist. 73.*

qui

,, qui salutationes excipiunt clariores, qui epulantur quotidie splendidè, quibus Mundus blandiens adulatur, ad singula eorum dicta, vel facta clamans: *Euge, Euge*. *Si hominibus placerem*, ait Vas electionis, *Christi servus non essem*. Quoniam qui hominibus placere desiderant, confundentur. EDICTA FORTASSE RECOLITIS, QUIBUS PUBLICUS HOSTIS CENSETUR, QUI CONTRA REGIS VOLUNTATEM PRÆSUMIT ALIQUEM EX QUACUMQUE CAUSA SENTENTIA ANATHEMATIS CONDEMNARE. Sed nostrâ quid excidit à memoriâ? quod Sacerdoti denuntiat Spiritus Sanctus: *Quòd nisi annuntiaveris impio iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tuâ requiram*. Nonne qui corripientem non audit Ecclesiam, ut ethnicus habendus est, & publicanus? SED OBJICIETIS, QUOD TEMPORA MALA SUNT: Quasi ea bonus non disposuerit Deus, & beati non sint, qui faciunt judicium & justitiam in omni tempore. Ne timeatis ubi non est timor, Frater amande... Consulite Legem & Prophetas, consulite Evangelium & Apostoli verba, Sanctorum Patrum revolvite sanctiones, & horum omnium erit autoritate perspicuum, quòd sine dispendio salutis & ordinis non potestis excommunicatis communicare. Christus enim denuntiat, quòd nemo potest duobus Dominis servire, Deo & Mammonæ. Et profectò, si ponamus corda nostra super vias nostras, & conscientias subtiliùs excutiamus, maxima pars Sacerdotum hoc in offensione Potentum formidamus, ne nobis divitiæ subtrahantur, aut fallax, momentanea, & umbra-

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

„ tilis gratia .... De vestrâ igitur sinceritate plenam fiduciam obtinentes, præcipimus in virtute obedientiæ, & periculo salutis & ordinis, quatenus antè denuntiatos excommunicatos evitetis, & per Episcopatum vestrum, prout Canonum censura præscribit, denuntiatione publicâ faciatis à cunctis fidelibus evitari. Scitis, quòd melior est obedientia, quàm victimæ, & non acquiescendi voluntas Idolatriæ comparatur &c. „

Nonnullos ex iis, quos communione absciderat, ad Rotomagensem Provinciam frequenter accedere Thomas intellexerat. Rotrodo propterea Rotomagensi Archiepiscopo juxta antiquissimum Ecclesiæ morem excommunicatorum nomina denuntiat, *ut aditus* eis *Ecclesiasticus ubique præcludatur, & excusationis causa omnibus auferatur* [A].

(A) *Ibid. epist.* 70.

Non tantum metûs exceptioni in eâ, quam dedit, epistolâ Cantuariensis præscribit: *Nec persuaderi potest ...., ut contemplatione cujusquam damni, vel commodi imminentis velit cum aliquibus criminosum iniquitatis inire consortium*: Sed id etiam submovet subterfugii, quo nonnulli injustè se, ac nulliter damnatos conquerentes, abstinendos non esse contenderent. Decernit Sanctus Præsul, custodiendam omninò esse eorum sententiam, quousque Ecclesiasticâ authoritate examinata non foret, ac remissa: „ Nam, ait, qui etiam illis, qui se conqueruntur injustè ligatos, ante utriusque partis justam examinationem, scienter communicaverint in oratione, aut cibo, vel potu, aut osculo, vel etiam *Ave* dixerint, aut sermonis commercium

„ cium exercuerint, nisi qui ad conversionem de- „ beat pertinere, juxta sacram Canonum institu- „ tionem, cui ex proposito impium,& pertinaciter „ obviare hæreticum est, Excommunicationi simi- „ li subjacebunt. . . . Nec se quisquam innocentiæ „ prætextu conetur excusare. „ Sed hac de re fusiùs agere in tertiam Dissertationis partem reservamus.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

Ad præscripti modò Interdicti sententiam considerationis aciem convertamus. In hunc profectò tenorem *Cantiæ Clericis* scriptum est [A]: *Universitati vestræ in virtute obedientiæ*, SUB ANATHEMATE, IN PERICULO ORDINIS ET BENEFICII, *Apostolicâ authoritate & nostrâ præcipiendo mandamus, quatenus, nisi prædictus Dominus noster Rex infra Purificationem Beatæ Mariæ Ecclesiæ Dei, & Nobis debitam satisfactionem exhibuerit, ex tunc penitus à Divinorum celebratione cessetis &c.*. En ergo ut sub gravium pœnarum interminatione Interdicti observatio jubetur; tametsi maximis periculis non vacaret. Aliis etiam malis in iisdem sententiis consultum voluit Cantuariensis, anathema intentando. I. Iis, *qui Ecclesias vel Ecclesiastica beneficia de manu laicorum acciperent*. II. *Qui Clericos & Ecclesiasticas personas ad inobedientiam compellerent*. III. *Qui Domini Papæ Nuncios, &* suos *impedirent*. IV. *Qui ad evitandam legitimam correctionem, ut justitia Ecclesiæ opprimeretur, ad seculi confugerent Potestates*. V. *Sacerdotes alienæ ordinationis, qui præsumpsissent in Episcopatu* suo, *ac sine* suâ *authoritate Divina celebrare, nisi postquam hæc eis denuntiatio innotuisset*,

(A) Cit. epist. 33. lib. 3.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

à tantâ præsumptione destitissent. VI. *Qui prædictos Sacerdotes in Ecclesiis suis admisissent*. Fortè eo tunc invento utebantur Clericos aliunde accersendi, ut in locis interdictis Sacra peragerent. Propterea, ne eo pacto Interdicti observatio eluderetur, eam præcidi fraudem oportuit. Concluditur demum sententia, Ecclesiasticos ad fortitudinem exhortando, atque instantium calamitatum miseriam supernâ consolatione deliniendo: NE TIMEATIS, *dilectissimi filii, à multitudine vel facie eorum; quia plures nobiscum sunt, quàm cum illis; vobisque cita de Cælo dabitur consolatio .... Perseverantiam fidei & obedientiæ vobis divina gratia largiatur; sine quâ, ut nostis, coronam justitiam nullus assequitur*. In eumdem ferè modum per alia quoque loca literæ datæ sunt, Willelmo nempe Suppriori & Conventui Cantuariensi, Ricardo Priori & Capitulo Douræ, & Cantiæ Monasteriis, Clerebaldo Electo & Fratribus Sancti Augustini, Conventui Malmesburiensi, & Laurentio Abbati West-Monasterii, Abbati Sancti Albani, & Sancti Edmundi, aliisque [A].

(A) *Epist.* 34., 38., *aliisque lib.* 3.

Qui districtus jam fuerat, suspendi gladium oportuit, emendationem Henrico promittente: sed promissâ deinde minimè implere curanti iterum Ecclesiæ arma ostenta sunt. Quintus liber epistolarum Divi Thomæ magnâ ex parte ex iis constat, in quibus quâ ab ipso, quâ à Summo Pontifice, Episcopis, aliisque Prælatis, atque Ecclesiasticis universis, per omnia Regis Anglorum cismarina loca, infligendi Interdicti imperia reno-

novantur; & *sub pœnâ ordinis & officii*, NULLIUS TIMORE, *gratiâ, vel prohibitione obstante, omni excusatione & appellatione remotâ*, illius præcipitur observatio [A].

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

(A) *Epist.* 7., 8., 30., 31., 32., 35., 36., 37., 38., 40., 41., *aliisque cit. lib.* 5.

Quòd si protestationes Catholicæ Religionis, & obsequentis in Apostolicam Sedem animi contemptûs formalis Ecclesiæ suspicionem eluere valeant, nullus profectò ab hac notâ alienior habendus erit Henrico, de quo hæc Gilbertus Londinensis Alexandro Pontifici scripserat [B]: *Correctionem vestram multâ gratiarum actione suscipiens, multâ animi temperantiâ, multâque modestiâ consequenter respondit ad singula. In primis asserens mentem suam à Vobis nullatenus se avertisse, nec id unquam propositi mente concepisse. Quin dum paternam sibi gratiam exhibueritis, Vos ut Patrem diligat, & Sanctam Romanam Ecclesiam ut Matrem veneretur & foveat, & sacris jussionibus vestris, salvâ sibi suâ Regnique sui dignitate, humiliter obtemperet & obediat*. Nec minùs religiosa professio est, quam Henricus ipse in literis omnibus Abbatibus Cisterciensis Ordinis datis [C] emisit: *Vobis*, inquit, *innotescere volo, quòd Nuncios Domini Papæ .... honorificè suscipere, petitionem ejus per eosdem mihi porrectam devotè, sicut decuit, audire curavi ...., ut Domino Papæ omnimodam videar in hoc negotio exhibuisse reverentiam, licèt semper juri stare, & quod inter nos statueret, subire petiissem à primordiis hujus causæ*.

(B) *Inter epist. Div. Thomæ epist.* 38. *lib.* 1.

(C) *Ibidem epist.* 29. *lib.* 3.

Æquè celebre Interdictum subeat, quo anno 1208. ejusdem Angliæ Regnum Innocentius III. percussit ob Cantuariensis item Ecclesiæ ne-

Metûs ab Interdicto fervando excusatio dispellitur.

gotium. Cùm Pontifex Joannis Regis animum adeò in obstinatione obfirmatum intellexisset, ut nec blandis admonitionibus, nec asperis comminationibus emolliri posset, quò Stephanum Langtonum, Divi Chrysogoni Cardinalem, hominem etiam Anglum, virum probum, atque doctissimum, Cantuariensem Archiepiscopum jam consecratum reciperet; Monachosque, qui, quòd eum postulaverant, è proprio Conventu fuerant expulsi, restitueret: missis ad Episcopos Londinensem, Elyensem, & Wigorniensem literis, jussit omnia rursum tentari, ut eum ad officium revocarent; & si nullo pacto flectere valerent, universum Regnum Interdicto supponerent. Quibus ipsi jussibus obtemperantes, postquam nec validis rationibus, nec precibus ab eo aliquid obtinere potuerunt, desperantes læsam Principis mentem aliter sanari posse, denuntiatas minas ad effectum perduxere. Rem fusissimè narrat Parisius [A], Polydorus [B], gestorum Innocentii Scriptor [C], Spondanus [D], Raynaldus [E], aliique. Ex Innocentii epistolis quamplurimas etiam ad id negotium spectantes habemus [F].

Interdictum ab omnibus prorsum religiosè observatum fuisse, Scriptores omnes, & Parisius in primis tradit. *Primâ die Lunæ in Passione Domini, quæ tunc contigit decimo Kalendas Aprilis sub generali Interdicto totam Angliam incluserunt: quod, sicut in authentico Domini Papæ expressum habetur, non obstantibus privilegiis,* AB OMNIBUS EST INVIOLABILITER OBSERVATUM. *Cessaverunt itaque in Angliâ omnia*

(A) Histor. Anglic. ann. 1208., & seqq.

(B) Anglic. Histor. lib. 15.

(C) Edit. Bosquetí pagin. 140. et seqq., Baluzii vero n. 131. & seqq.

(D) Ad ann. 1207. n.6., 1208. n.3., aliisque locis.

(E) Ad eundem ann. 1208. n.26.

(F) Lib. 10. epist. 113. 159., 160., 161., 218., 219. Lib. 11. epist. 89., 90., 91., 102., 141., 211., & seqq. usque ad 218., 221., 223., 224., 259., 260. Lib. 12. epist. 9., & 10. Lib. 15. epist. 233., & seqq. usque ad 239. Lib. 16. epist. 76., & seqq. usque ad 83.

omnia Ecclesiastica Sacramenta, præter solummodò Confessionem, & Viaticum, & Baptisma parvulorum; corpora quoque defunctorum de civitatibus & villis efferebantur, & .... in biviis & fossatis sine orationibus, & sacerdotis ministerio sepeliebantur.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

De Joannis ad horum notitiam crudelitate ac sævitiâ non est ambigendum; dolenda satis ejus furoris testimonia literis mandata sunt: *Cùm ubique à Sacris*, inquit Polydorus [A], *jam cessatum esset, benè multos continuò Sacerdotes ac Pontifices extra Regnum exigit, possessiones eorum occupat, & ut patria procella ædes simul sacras pariter spoliat*. Fusiùs rem Parisius enarrat [B]: *Rex Interdicti ob causam mente confusus, præcepit tam Prælatis singulis, quàm eorum subjectis cum comminatione terrificâ, ut incontinenter è Regno exirent &c., Episcopatus insuper, Abbatias, Prioratus laicorum custodiâ deputans, universos redditus Ecclesiasticos confiscari præcepit*. Pergit is minutim describere, ut Rex in Monachos ac Clericos omnes sine discrimine, & in laicos etiam eorum consanguineos, aut qui Stephani partes sequerentur, immaniter ferociret, bona publicando, in exilium agendo, carceribus mancipando.

(A) Cit. lib. 15.

(B) Cit. ann. 1208.

Sed tanto persecutionis turbine Ecclesiasticus ordo pulsatus nequaquam ab incœpto destitit: immo constantissimè Interdicti rigorem ad sextum usque annum, dum Rex ad sanitatem revocatus est, servavit. Meritò dicam hìc cum Bernardo [C]: „ Ecclesia Dei ab ortu sui usque ad hæc tempora „ pluries tribulata est, & pluries liberata est: deni-

(C) Epist. 243.

que

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

,, quæ audite quid de se ipsâ loquatur in psalmo; ,, ipsius enim vox est: *Sæpe expugnaverunt me à ju-* ,, *ventute meâ, etenim non potuerunt mihi*,,. Ad hæc respiciant, velim, Ecclesiastici illi, qui ad metum quemcumque exhorrescunt, deficiunt, succumbunt.

Nec putet aliquis ex electione, & excellentioris tantum virtutis ardore, nullius autem obligationis vinculo huic se Anglos procellæ exposuisse. Porrò summis laudibus eorum virtus est efferenda; sed turpissimum crimen fuisset ab eâ deficere. Ita nos Innocentius ipse docet[A], qui postquam de Joannis *persecutione* amarulentas querelas fuderat, *Absit*, inquit, *ut in tam iniquo proposito* POPULUS ANGLICANUS, *qui verè Christianus existit & zelator Fidei orthodoxæ* CONTRA REGEM CÆLESTEM REGEM SEQUATUR TERRENUM, *corporalia spiritualibus præferendo, cùm* NON SOLUM CLERICI, SED ET LAICI *tantæ discretionis & devotionis existant, ut norint & velint distinguere inter illa, quæ reddenda sunt Cæsari, & ea, quæ reddenda sunt Deo*. Subdit deinceps pœnis minimè parcendum in eos omnes, qui non servassent Interdictum: *Faciatis ab omnibus per censuram Ecclesiasticam inviolabiliter observari*. Non tantùm Clericos, sed laicos etiam tangit hæc Decretalis.

(A) Epist. 113. lib. 10.

Aurea sanè verba sunt, quæ Londinensi, Elyensi, & Wigorniensi Episcopis Sanctissimus Pontifex scripsit[B]: ,, Absit à nobis, ut illis meritò ,, comparemur, quibus improperat Psalmista di- ,, cendo: *Filii Ephrem intendentes arcum, & mit-* ,, *tentes sagittas in die prælii sunt conversi*: Ne fortè, quod

(B) Epist. 141. lib. 11.

,, quod Summus Pastor avertat, etiam mercenario ,, comparemur, qui secundùm parabolam Evan- ,, gelicam, videt lupum venientem, & dimittit ,, oves, & fugit: cùm potiùs parati simus pro Do- ,, mo Domini nos murum opponere ascendenti- ,, bus ex adverso,& animam nostram dare pro ovi- ,, bus nostris, si necessitas postularet.

Cùm Cantuariensi Archiepiscopo, & Coëpiscopis suis cum ipso pariter exulantibus literas daret [A], postquam eorum malis tenerrimè indoluisset; ex eo præsertim humanissimè consolatur, quòd exilium aliaque mala ferendo, propriæ conscientiæ stimulis rectè responderint: ,, Omne gau- ,, dium existimare debetis, cùm in tentationes va- ,, rias incideritis, eorum exemplo, qui *gaudentes* ,, *ibant à conspectu concilii, quoniam digni sunt habiti* ,, *contumelias pro nomine Jesu pati &c.. Non sumus* ,, *filii ancillæ, sed liberæ,quâ libertate nos Unigenitus* ,, *Dei filius liberavit*. Interrogate quæso conscien- ,, tiam ipsi vestram, nisi respondeat ipsa vobis, ,, quòd tolerabilius est honorabilem persecutio- ,, nem extra patriam sustinere, quàm in patriâ ,, perpeti vilissimam servitutem, longè profectò ,, pejorem, quàm olim Populus Israel in Ægypto ,, sub Pharaone in luto & latere sustinebat.,,

(A) Epist.233.lib.15.

In eorum verò caput, qui malesano Regi velificantes, ipsi aut aliis anathemate perculsis communicarant, à vindictæ telo excutiendo minimè abstinuit, Stephano aliisque Episcopis mandans, ut censuris irretitos denuntiarent [B]: *Similiter Clericos & viros religiosos, qui publicè communicaverunt*

(B) Epist. 297. eodem lib.15.

præ-

Metis ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

præfato Regi, & aliis excommunicatis, authoritate Apostolicâ nominatim in casibus non concessis ab officiis & beneficiis Ecclesiasticis suspendatis.

(A) 215. lib. 11.

Ad tres supra memoratos Antistites alia epistola[A] data est, ubi de hujusmodi transgressione diligenter inquiri jubet, ut pœnæ à contumacibus deposcantur: *Nolentes igitur, ut per hujusmodi præsumptores dissolvatur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, fraternitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus inquiratis super hoc, appellatione remotâ, solicitè veritatem, & eam nobis fideliter rescribatis, ut per vestram relationem certiores effecti* CONTRA TANTAM INSOLENTIAM *auctore Domino* PROCEDAMUS. Nonnulli ex Cisterciensibus Monachis, cùm sub initium Interdictum ritè servassent, postmodùm appellationis prætextu, quam occasione privilegiorum suorum interposuerant, illud egressi sunt. Pontifex universis Episcopis per Angliam constitutis mandavit, ut suspensionis eos censurâ ligarent: eorum verò Abbates sive Priores Romam causam dicturos, ac severiùs puniendos properare compellerent[B]: *Licèt igitur tantam præsumptionis audaciam de viris religiosis credere vix possimus; quia tamen, si verum est quod asseritur, non sine gravi jacturâ libertatis Ecclesiasticæ* DEBILITARI POSSET PER ILLUD NERVUS CANONICÆ DISCIPLINÆ; *universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus super hoc inquiratis diligentissimè veritatem, & Abbates sive Priores Monasteriorum illorum, quæ taliter inveneritis celebrasse, suspensos ad præsentiam nostram ad satisfacien-*

(B) Epist. 259. cit. lib. 11.

ciendum de tanto contemptu, sublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, per censuram Ecclesiasticam accedere compellatis, Monasteria ipsa simili censurâ cogentes &c.. Contemptam existimat censuram Pontifex, etsi privilegiorum & appellationis obtentu violata sit. Aliis literis supremo Cistercensium Abbati datis, in eumdem ferè tenorem scribens, de *injuriâ* hac & *contemptu* gravissimè increpat, & in eum quoque se animadversurum interminatur [A]: *Caput & membra, juxta quod hoc vel illa peccassent, castigatione debitâ puniremus.*

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

(A) *Epist.* 260. *cit. lib.* 11.

§. 4.

Quibusdam circa præmissa objectis occurritur.

ETSI de his inquirendis nil prorsus soliciti fuerint septem nostri Theologi ac Canonistæ; fatentur tamen hoc casu, metum utcumque gravissimum non excusasse: sed, ut vim argumenti elevent, notum contemptûs formalis repetunt subterfugium. Responsuri enim ad cap. *Sacris* de his quæ vi metusve causâ fiunt, Siculis à cordatissimis viris objectum, Decretalem illam, Gonzalio appellato, ad hoc Anglicum Interdictum spectare affirmant, in id etiam jurare parati, si opus fuerit; atque ejus historiam, & occasionem à Spondano, & Parisio repetendam; eorumque testimoniis evinci, ex odio & formali contemptu Religionis metum tunc fuisse incussum Ecclesiasticis.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

sticis. Meritas quidem laudes eis exsolvimus, quòd Canones hac ratione statuerint exponere. Hæc quippe veritatis vestigandæ, ac genuini Pontificiæ decisionis sensûs assequendi via est; quam in utroque jure viri principes, & Magistri ingressi sunt; eòque magis eos commendamus; quòd cùm sacræ, tum profanæ eruditionis non vulgari supellectile, quantâ ad id operis aggrediendum usus est, instructissimos reputamus. Incredibiliter tamen dolemus, frustra eos in hoc labore fuisse, ac nescio quo fato, ne hilum quidem profecisse. Capitulum *Sacris* ob hujusce Interdicti causam prodiisse error est Gonzalio indignus; geminò verò septem Canonistarum ac Theologorum Collegio perquàm indignissimus, ut inferiùs ostendemus. Hoc interea capite probabimus, quas ipsi historias dicunt, non tantùm cum Anglici Interdicti causâ & occasione nil prorsus commune habere, sed insuper horrendas calumnias esse ad Christiani Regis, & Pontificis Sanctissimi memoriam denigrandam excogitatas, fabellasque adeò insulsas, ut nulla anicula, dum hibernâ nocte colum exercet, languentes lusura oculos astantibus fortè pueris, & mulierculis canere non erubesceret.

Sed ante omnia à duobus expediamur oportet.

Unum est, an Gonzalii authoritas, quantùm ad formalem contemptum attinet, formidolosis Clericis suffragetur. Disquirēs is, dum Capituli *Sacris* prelectionem exequitur[A], num gravis metus à legis huma-

(A) *Num.* 10.

Metùs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

humanæ observatione eximat: „ Ut ergo, ait, huic „ difficultati satisfaciamus, dicendum est, verum „ esse regulariter, legem humanam non obligare „ cum discrimine vitæ; aliquando tamen cum ejus „ dispendio obligare posse.... Quòd PRÆCIPUE pro„ cedit, quando transgressio legis CEDIT in contem„ ptum Religionis Christianæ seu potestatis Cla„ vium Ecclesiæ, cap. *Sicut satius* 32. quæst. 4., cap. „ *Non solùm* 11. quæst. 3.„. Cùm transgressio CEDIT in contemptum Clavium, si traditas notiones rectè tenemus, contemptus materialis est, non formalis. Nonnullis interjectis pergit Gonzalius: „ Unde cùm in præsenti casu ex communicatio„ ne in divinis cum excommunicatis, aut eos sepe„ liendo, aut eorum sepulturæ interessendo, con„ temptus disciplinæ Ecclesiasticæ & potestatis „ Clavium Ecclesiæ sequeretur „ (Hìc etiam non de formali contemptu loquitur, qui causa est transgressionis; sed de materiali, qui consequens est, & effectus; tum his verbis disquisitionem suam prosequitur), „ cùm enim ob duritiam Joannis Regis An„ gliæ universa ejus terra esset Interdicto Ecclesia„ stico supposita, & ipse adhuc persisteret in con„ tumaciâ, Ecclesiasticas personas bonis privando, „ & in exilium mittendo, & tributis Ecclesias ve„ xando, ut latè refert Spondanus, ubi supra: ideò „ lex Ecclesiastica communicationem cum excom„ municatis in divinis prohibens obligabat cum „ vitæ dispendio, ut ETIAM IN ALIIS CASIBUS docent „ Enriquez in Summâ lib. 13. cap. 23. §. 4., Caje„ tan. ad D. Thomam 2. 2. quæst. 96. art. 4. „

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

Gonzalius ergo non ex Joannis heresi, aut schismate eruit obligationem, censuram cum vitæ etiam dispendio servandi; sed à vulneribus Ecclesiasticæ libertati & immunitati inflictis. Quæ tanta veritati resistendi licentia, ut Scriptores, velint nolint, ad sua cujusque placita detorqueantur?

Alterum ad Pseudo-Theologi cujusdam factum spectat, è scholâ Parisiensi, qui *Magister Alexander Cæmentarius* dicebatur. Hic *Interdicti tempestate Regis consiliis se ingerens, ambitioneque seductus, iniquis suis persuasionibus* traditur *Joannem magis dementasse, & ad crudelitatem accendisse*. Tametsi hujusce rei expressam mentionem non fecerint Advesarii; nihilo tamen minùs, quia narratio apud eosdem Historicos prostat, quos ipsi testes appellant, & in eisdem locis, quæ indicant, atque ex hoc fortè quis suspicetur, Angli in servantes Interdictum sævitiam à formali contemptu Potestatis Ecclesiasticæ promanare potuisse; propterea nos, nè quidquam reticendo subterfugere voluisse videamur, id silentio prætereundum minimè duximus; sed ut istæc suspicio penitus evellatur,

I. Notamus, Pseudo-Theologi ad Regem accessum à Spondano ad annum 1209. referri: à Parisio verò, à quo id totum Spondanus excerpsit, ad annum 1210. Quid ergo hoc ad Interdictum, quod usque ab anno 1208. latum fuit, & observatum? Quid ad Regis immanitatem, quâ sub initium illud observantes exercuit?

II. Neque Spondanus, neque Parisius Magistri

ſtri Cæmentarii erroribus eum infectum, ſed tantum ad crudelitatem accenſum teſtantur. Florilegus, Matthæus nempe Weſtmonaſterienſis [A], ubi idem factum recenſet, *Regem*, inquit, *in errore ſuo tueri præſumpſit & fovere*. Penſanda ſunt verba. Non dixit errore ſuo infecit, aut inficere præſumpſit, *ſed tueri & fovere*: hoc eſt, Joannem in Eccleſiaſticos ferocientem defendere, & cenſuram jure ab eo impugnatam ſuſtinere. Deinde addit Weſtmonaſterienſis: *Unde in finem à ſummo honore in ſummam confuſionem viliter præcipitatus eſt*. E Regis igitur gratiâ excidit, poſtquam ejus inſania detecta eſt. Idipſum pluribus enarrat Pariſius: ſcribit quidem, illum ſub initium *Regis favore, quem promeruerat*, plurima beneficia aliis per vim ablata ſibi dari obtinuiſſe; *ſed* cùm *tandem ipſius perverſitas ad Summi Pontificis aures perveniſſet*, eodem *procurante bonis ac beneficiis omnibus ſpoliatum, ad tantam demum miſeriam perductum, ut in habitu pauperrimo & cultu neceſſitate compulſus ſit panem ſuum cum dolore oſtiatim mendicare*. Pergit enarrare quàm malè, etſi meritiſſimè à Populo habitus fuerit infelix *Magiſter* ille: *Quem videntes multi ſubſannando dixerunt*. „ Ecce, qui „ non poſuit Deum adjutorem ſuum, dum ſpera„ vit in multitudine divitiarum ſuarum, & præ„ valuit IN VANITATE SUA. Fiat ergo nunc contra „ Dominum ſemper, & diſpereat de terrâ memoria „ ejus, pro eò quòd non eſt recordatus, UT FACERET „ MISERICORDIAM. Propterea Deus deſtruet eum „ in finem, & oratio ejus erit in peccatum, ut era-

Metûs ab Interdicto ſervando excuſatio diſpellitur.

(A) Ann. 1209.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

,, datur habitatio ejus de terrâ viventium.,, Quis hæc fieri potuisse credat, nisi Rege cognitam Pseudo-Theologi pravitatem jam detestante?

Nequissimum hominem Anglum fuisse, non est ambigendum; in hæresim aliquam lapsum astruere, piaculum reputamus. Nos non latet quod in epistolâ Ignatii ad Trallianos post Petri legitimos successores enumeratos habetur: *Qui igitur istis inobediens fuerit, hic sine Deo omninò erit, & impius, & contemnens Christum, & ordinationem ipsius minorans* [A]. Si hoc sensu Adversariis loqui libeat, Christi & Ecclesiæ contemptorem, atheum etiam Joannem dici posse, non repugnamus. Si verò formalem contemptum juxta traditam notionem intelligamus, ab hac labe omninò is est vindicandus. Per *dentes Domini* jurasse, se Episcopos & Clerum omnem, bonis publicatis, exilio proscripturum; & Romanos, quotquot in suâ ditione reperisset, malè multatos Romam amandaturum; blasphemiæ rabidas voces emisisse: literas aculeorum & expostulationum plenas ad Pontificem dedisse, verissimum quidem est: sed totum id malesanæ mentis furori tribuendum. Cęterùm tantum is abfuit, ut Pontificiam authoritatem negaret, ut in iis ipsis epistolis ab Innocentio jus peteret: & nisi exaudiretur, ea omnia minari videbatur [B]. Exceptiones etiam nonnullas contra Stephani electionem congessit, ad quas deinde Innocentius respondendo de literarum acerbitate conqueritur [C]: *Cùm super negotio Cantuariensis Ecclesiæ nos tibi scripserimus humiliter, diligenter, & benignè, exhortando*

(A) *Juxta vet. vers. n.7. apud Coteler. SS. PP. qui tempor. Apostol. floruerunt vol. 2. pag.*148.

(B) *Paris ad cit. ann.* 1208.

(C) *Epist.*219. *lib.*10.

tando, ac rogando: tu nobis, ut salvâ pace tuâ loquar, rescripsisti quasi comminando, & exprobrando contumaciter, & protervè &c.. Asseris quòd electioni de dilecto filio Magistro Stephano tituli Sancti Chrysogoni Presbytero Cardinali à Monachis Cantuariensibus celebratæ non potes præstare consensum; quia videlicet inter tuos est conversatus inimicos, & persona ejus est tibi prorsus ignota &c.. Quæ omnia quàm manifestissimè confutat Pontifex.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

III. Cùm anno 1209. Regem nihil de sævissimâ persecutione contra Ecclesiam & Ecclesiasticos ratione Interdicti remittentem anathemate percelli jussisset Innocentius [A]; cùmque deinde anno 1211. Joannem in contumaciâ persistentem Regno Regiâque omni exuisset potestate, subjectis ab ejus fide & observantiâ absolutis [B]; utique si hæresis labe infectus fuisset, eam notam in latis sententiis exprimere non omisisset; atque eo etiam magis, quòd Magistri Cæmentarii factum Pontifex sat benè noverat. Ita Innocentius IV. cùm in Lugdunensi Concilio Fridericum II. exauthoravit, crimina ejus omnia & impietates in sententiâ expressit [C]. Ita etiam Joannes XXII., cùm adversùs Galeatium Vicecomitem, aliosque ejusdem familiæ impios quidem homines, nec non adversùs Ludovicum Bavarum procedendum fuit, non tantùm violati Interdicti; sed hæreseos etiam judicium contra eos instituit, ut sententiarum tenor ostendit [D]. Eâdem omninò ratione Gregorius XI. sacrilegum Bernabovem ex eâdem domo Vicecomitum [E], ac Florentinos [F] damnavit. Quos Julius

(A) *Epist.* 211. *lib.* 11.

(B) *Vid. Matth. Paris, aliique qui suprà.*

(C) *Apud Bin. tom.* 3. *par.* 2. *pag.* 1485. *cap.* Ad Apostolicæ *de Sentent. Excomm. in* 6.

(D) *Apud Raynald. ann.* 1324. *n.* 7. *& seqq., & ann.* 1327. *n.* 19.

(E) *Campi Hist. Ecclef. di Piacenza part.* 3. *pag.* 142. *&* 299.

(F) *Baluz. vit. PP. Avenionenf. t.* 1. *vit.* 2. *pag.* 451., *Bzov. ann.* 1376. *n.* 14. *aliisque loc.*

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

lius II. est imitatus, dum in Ferrariensem Ducem animadvertit cum Interdicti violatione perfidiam ejus omnem enumerans[A]. Sed adeò Innocentius hoc Anglo scelus non objecit, ut potiùs cùm ad emendationem is accederet, quæ quidem uberrima fuit, ut inferiùs ostendemus, religiosum, suique & Apostolicæ Sedis observantem habere non detrectavit[B]: *Ob devotionem tamen & reverentiam, quam erga Romanam Ecclesiam nostramque personam asseris te habere, paratus es Ven. Fratrem nostrum Stephanum Cantuariensem Archiepiscopum S. R. E. Cardinalem sicut Archiepiscopum Cantuariensem recipere & tractare, præstitâ securitate tam sibi, quàm suis, quæ ad hoc visa fuerit opportuna, & restitutionem plenariam ablatorum promittens, personis pariter & Ecclesiis faciendam.*

(A) Raynald. ann. 1510. n. 15.

(B) Epist. 87. lib. 11.

IV. Demum ex epistolâ Joannis ad Stephanum Archiepiscopum datâ, quàm Lucas Dacherius[C] nobis servavit, intelligitur; Regem juris Pontificii regulas tàm electionis, quàm Interdicti firmitati objecisse: *Revocari debet in irritum omnis electio, quam pars major & sanior consensûs sui non roborat fulcimento &c.. Nos promotioni tuæ, sicut proponis, duximus resistendum &c.. Te minùs electum canonicè protestamur; quia liquet, & in juris corpore continetur, quòd, majore vel saniore parte non consentiente, nulla censetur electio. Propter quod quidquid circa te factum est, reputari debet penitus pro infecto. Cùm igitur in terrâ nostrâ sententia videatur non legitimè promulgata, cùm excommunicandi non habeas potestatem, tibi mandamus quatenus*

(C) Spicileg. tom. 3. pag. 171.

nus, si quid juris habeas in electione, quam asseris esse factam, cures attentiùs resignare &c.. Etsi quæ contumax Anglus obtendebat, vanissima quidem essent; certum tamen est, qui hâc viâ Interdictum impugnandum putavit, atque innatâ animi acerbitate rabieque exasperatus in Ecclesiasticos id observantes desæviit, eum materialiter tantùm Ecclesiæ sententiam contempsisse.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

Nunc argumentum, quod septem Collegæ obiiciunt, venit convellendum: è cujus vi ne quid à nobis accidat extenuari, ipsis eorum verbis fidè latinitate donatis proponimus: *Anno*, inquiût, 1213. *non minùs agitatus Rex Joannes curis mordacibus Regni, quàm irâ percitus ob has censuras, fucatâ bonitate se pœnitentem atque Ecclesiæ submissum ostendens, iterum in Ecclesiasticos debacchatus est: Nuntios misit ad Reges Saracenos in Africâ, & Hispaniâ* (Miramamolinum Regem dicere voluerunt, qui tunc Africæ, & partis Hispaniæ potiebatur) *opis implorandæ gratiâ, paratum se spondens tributum pendere, ac Mahometanam legem amplecti; etsi illi barbari Reges, tantam detestantes perfidiam, voti inanes eos remiserint, magno Joannis dolore. Additque Historicus* (nempe Spondanus) *sub fide synchroni authoris Matthæi Parisii, tantâ Regem Joannem indignatione succensum, ut in fide desipuerit Christianâ, defunctorum resurrectionem negando* (Proh facinus! E Mahomettano Sadducæus factus est) *Et pinguissimo cervo venatu capto, subsannando dixerit*. „ Quàm „ prosperè vixit iste, qui tamen nunquam Missam „ audivit. „

Misce-

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

Miserum Regem! quot per sectas traducunt. Lutheri etiam errores prælibasse nugantur, quibus infectus fuerit oportet, qui primus id monstri commentus est. His enarratis, mirum quàm sibi ipsis placent, & magnificè plaudunt, ita suprà memoratis doctissimis viris, qui Capitulum *Sacris* Siculis opposuerant, illudentes atque insultantes: „Hæc fuerunt, Theologi præstantissimi, deliria „Joannis Angliæ Regis, & blasphemiæ! Hæc est „Capituli *Sacris* historia, quam tot Theologi assecuti non sunt! Hæc fuit illius Canonis causa! Ut „quid aliam inquirimus, si incomperto habemus, „Interdictum latum fuisse, quòd Rex Mahometanus fieri volebat, ne Pontifici obtemperaret? „

Præclarissimi septem Theologi & Canonistæ, num iterum Interdicti tempus vobis erit memorandum? Quod ni è memoriâ excidit, usque ab anno 1208. latum fuisse, cur ejus causam ex anno 1213. assignatis? Nunquid ob futura etiam crimina censuræ evibrantur Ecclesiasticæ? Caussam hujus Interdicti Cantuariense negotium extitisse, sexcentis constat monumentis. Quid ergo ultrà contenditis?

§. 5.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

§. 5.

Matthæi Paris Historia, signanter in loco ex adverso indicato, corrupta ostenditur. Aliud quoque refellitur contradictum.

NON plura his, ad rem pręsentem quòd attinet, satis superque dicta videri queant: minimè tamen ad veritatis, & Pontificii, Regiique fulgoris obsequium, atque Joannis, & Innocentii pariter dignitatem à fœdissimis calumniis vindicandam. Fatemur quidem eas jam confictas vos accepisse; sed, pace vestrâ dicam, non parum adauctas in medium protulistis. 1. Asseritis *Regem ob has censuras percitum irâ*. Jam tunc Rex anathematis vinculo expeditus erat. Jam de Interdicto solvendo conventum fuerat; imminensque erat Tusculanensis Episcopi in Angliam adventus, qui illud tolleret. Quæ sunt igitur censuræ, quas dicitis? 2. *Joannem iterum in Ecclesiasticos debacchatum*. Quos in exilium abegit, aut bonis privavit, aut in carceres conjecit? Ecclesiasticum negotium per id temporis quiescebat. Anglia intestinis discordiis, & odio in Regem flagrabat ob Regni libertates, quarum cupidi erant Magnates. His Stephanus aliique Præsules Angli se immiscuerant, non rem Ecclesiæ, sed Regni curantes. Utrosque authoritate suâ Pontifex, reconciliato Regi favens, cohibuit. *Pax*, cujus Joannem *pœnituisse* perhibent, hoc secundum negotium respicit: atque ea Regis inconstantia tali tribuitur occasioni,

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

ni, quòd *mortuo* interea *Gaufrido totius Angliæ Justitiario*, *quem* ipse magnopere *formidabat* [A], perduelles armis facilè se coerciturum sperasset.

(A) *Paris ann.* 1213.

3. Joannem horrendum facinus molitum, *ne Pontifici obtemperaret*: tanquam si nimis gravia onera imposuisset. Quò pertinent hæc commenta, quorum primi estis artifices & inventores, nisi ut Ecclesiastica Potestas in invidiam odiumque trahatur, Pontificem & censuras de Regis apostasiâ turpissimâ criminando?

Quod superest fabulę alium habet Authorem; sed ne ejus putidam falsitatem festinè quis odoretur, non Theologum, non Canonistam, stipitem esse oportet & truncum merum. Utrum vos hâc de re consulturi salutastis Matthæum, an, qui illius dicta refert, Spondanum? Si Matthæum, sannionis indolem cognoscere debuistis. De hoc loquens Baronius [B] appositè illud usurpat, *Loquela tua manifestum te facit*. Si Spondanum, cur ejus monito non profecistis? dum eodem loco [C], quem allegatis, *Hoc quidem*, ait, *symptoma est febris Matthæi*, *quâ tum vexatus supra modum deliramenta loqui cœpit cæteris omnibus incognita*. Si meliùs hominis ingenium noscere cupitis, à Guilielmo Watsio Anglo Theologo, & ex *Anglicanæ confessionis Collegio* graphicè descriptum accipite [D]: *Trucem satis atque præacutum in omni ferè paginâ experti sunt alii* (alii: Watsius verò ipse longè mitiorem, ut videre erit) *Omnes secat, universos pungit, ac si nulli omninò mortalium aut parcere aut condonare rigidissimè sibi proposuisset*: *non Episcopis scilicet*, *non Magnatibus*,

(B) *Ann.* 996. *n.* 63.

(C) *Ann.* 1213. *n.* 12.

(D) *Præfat. ad edit. Matth. Lond. ann.* 1640.

non

non Regibus, *non Imperatoribus, imò nec* ipsi Papæ, *aut Abbati proprio. Ast tanquam furiosus quispiam in quadrivio, ex quacumque plagâ viator supervenerit*, Tros *sit* Tyriusve, *hospes an hostis, si illi non placuerit, flagris misellum adoritur, lorisque malè multatum procul arcet, abigitque.* Idem aliàs [A] *acerrimum* appellat, *atque sceleſtissimum omnium hominum censorem, redargutoremque.*

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

Porrò Catholicis suspectissima semper fuit Matthæi fides. Notarunt non tantùm memorati Baronius [B], ac Spondanus, sed Raynaldus [C] etiam, Bzovius [D], Bellarminus [E], Possevinus [F], Joannes Pitseus [G], Binius [H], Nicolaus Coëffetau [I], Aubertus Miræus [K], Fabianus Justinianus [L], Thomasinus [M], aliique. Id solum dubii apud eos erat, an Matthæus pravus author fuisset, vel depravatus. Etenim, ut propè medietatem XIII. seculi is floruerit, anno tamen 1571. primùm à novatore ejus Historia evulgata est. Ex quo vehemens suspicio erat, sannas & probra illa, quæ ut plurimùm ad Ecclesiasticam Potestatem feriendam collimant, hæretici editoris esse additamenta. Quæ doctissimorum virorum conjectura fuerat, nobis pro compertissimâ est veritate, hoc loco, qui causam nostram attingit, ac propterea excutiendum suscipimus, in evidentissimum argumentum commissæ fraudis adducto.

... crimine ab uno
Disce omnes...

Quinque hìc sunt unico contextu capitula. 1. De Regis animo à pacis studio ob Gaufridi mortem

(A) *In Adversariis, ac not. in Matth. pag.* 143.
(B) *Loc. cit., & ann.* 1197. *num.* 16. *&* 17.
(C) *Ann.* 1213. *n.* 78.
(D) *Ann.* 1239. *n.* 5.
(E) *De Script. Eccles. ann.* 1245.
(F) *In Appar. Sacr.*
(G) *Relat. historic. de Reb. Angl. ætat.* 13. *Script.* 367.
(H) *Concil. tom.* 3. *part.* 2. *pag.* 470. *edit. Colon. ann.* 1618.
(I) *Part.* 2. *pro Sac. Monarchia adversùs Rempublicam de Dominis pag.* 433.
(K) *De Scrip. Eccles. cap.* 403.
(L) *In Indic. Univ. pag.* 23. *edit. Rom.* 1612.
(M) *Discipl. part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 41. *n.* 11. *&* 12., *cap.* 43. *n.* 2. *&* 6., *aliisque locis.*

Metûs ab interdicto servando excusatio dispellitur.

tem alienato. 2. De Nuntiis ad Miramamolinum missis, & Joannis Mahometanismo. 3. De Joanne à Saraceno neglecto ad Pontificem auri vi, & Regni subjectione corrumpendum converso. 4. De Regis Sadducæismo, & verbis in Missæ contēptum impiè prolatis. 5. De Miramamolini in Hispaniam Joanne conscio expeditione. Quibus omnibus Parisii historiam fœdatam conspurcatamque ab imperitissimo Impostore, nedum in Pontificiam dignitatem consuetâ hæreticis rabie agitato, sed in Regem etiam, quòd Angliam Apostolicæ Sedi fecerat censualem, impotenter furente, ita manifestè ostendemus, ut interpolatio ac suppositio nullâ arte, nullâ cerusâ aut purpurisso fucari possit.

I. Enim scelestissimus Pseudo-Matthæus, ut imposturæ suæ fidem conciliaret, dum horrendam Joannis impietatem, missosque in Africam Nuntios nugatur, factum hoc cæterà occultum ab uno finxit ex iisdem Nunciis revelatum, *audiente Matthæo, qui & hæc scripsit*. At norunt eruditi omnes, eam historiam, tametsi tota Parisium authorem præseferat, nihilominus ad annum usque 1235. à Rogero Wendovero conscriptam: quod Dupinus post alios notavit [A], licèt memoriâ lapsus, dum Rogerum nostrum Wendoverum Sanct-Albanensis Cœnobii Monachum cum Richardo Wendovero Episcopo Roffensi [B] confundit. Rogero succenturiatus est Matthæus ab anno 1235., ubi ille desiit, ad annum usque 1260.. Itaque non Matthæo, sed Rogero illa innotescere, & à Rogero scripta notari debuerant. Neque

(A) *Biblioth. tom. 12. in Matth. Paris.*

(B) *Richard. hic memoratur in eius. Matth. Historia edit. Londin. ann. 1640. pag. 468. lin. 52.*

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

Neque dici potest, Matthæum Rogero ea addere potuisse: nam, præterquamquod id gratis omninò asseritur, eam continuationem, Henrico III. Joannis filio adhortante ac juvante, Parisius aggressus est. Sæpe ipse narrat quomodo *ab Henrico fuerit interpellatus, juxtaque eum sedere jussus*; ut cum *Rege continuè erat in mensâ, in palatio, & in thalamo*; utque Rex *scribentis calamum satis diligenter, atque amicabiliter direxerit* [A]. Quis ergo ita demens erit, ut credat, Matthæum probrosam illam mantissam in Regis beneficentissimi Patrem molitum, iis sceleribus eum diffamando, quæ non noverat Rogerus, scriptor iis temporibus propior: Henricum verò, non solùm tantam Patris nomini inuri notam tolerasse, sed prætereà ejusmodi operis conscium, fautorem, promotoremque esse potuisse?

(A) *Pag.736., 737. & 945. cit. edit. & pag. 494., & 636. edit. Parisiens. ann.1644.*

II. Adeò laruatus impostor in Legatione ad Miramamolinum enarrandâ sese implicuit, ut ea cum cæterarum rerum serie, quas, nedum ab aliis Historicis, sed à Matthæo ipso ac certissimis monumentis habemus, nullo pacto cohærere possit. Eam collocat post Regis ab anathemate absolutionem, & ante alios Legatos ad Pontificem missos. Sed inter hæc duo nullum, quod congruum sit pro Africanâ Legatione superest intervallum. Quod ut palam fiat, rem altiùs exordiamur oportet. Exploratissimum quidem est, die 13. Maii 1213. Joannem, ut rebus suis consuleret, & cùm jam malè actæ vitæ factique sui pœniteret, ad frugem & Pontifici obediendum fuisse revocatum. Tametsi enim

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

cum magnis ex universâ Angliâ collectis copiis, Philippi Gallorum Regis, qui in Ecclesiæ gratiam jam receptus Innocentii sententiam, quâ Joannes Regno privatus fuerat, exequendam susceperat, cum instructissimo exercitu adventum præstolaretur; territus tamen potentissimi hostis viribus, & suorum dubiâ fide, &, quod caput est, propriæ conscientiæ stimulis excitatus, seriòque perpendens, *quòd jam per quinquennium excommunicatus permanserat, Deumque, & Sanctam Ecclesiam in tantùm offenderat* [A], Pandulpho etiam Legato Apostolico persuadente, se Ecclesiæ plenissimè satisfacturum promisit, & promissa juramento firmavit. Die verò 15. ejusdem Maii diadema capiti ademptum Pandulpho Legato tradidit, nunquam id ipse aut sui hæredes accepturi, nisi à Pontifice Romano. Quod illi idem Pandulphus ut Romani Pontificis Vicarius restituit. Constăt hęc omnia publicis instrumentis eâ de re confectis, ac literis eâdem die 15. Maii ab Joanne ad Innocentium datis, in quibus prædictorum facit certiorem [B].

(A) *Parif. ann. 1213. pag. 163. cit. edit. Parisiens.*

(B) *Inter epist. Innoc. III. epist. 78. lib. 16. cum duabus præcedentibus.*

Post hæc non statim Rex absolutus est; nam promissa priùs erant implenda. Intereà Pandulpho in Galliam quàm citiùs convolandum fuit, ut Francum à bello adversùs Anglum Ecclesiæ rebellem suscepto, illo jam ad obedientiam regresso, deterreret. Etsi Philippus aliam belli causam prętendens non ita facilè è sententiâ dimotus sit, Ferdinandus tamen Flandriæ Comes ab ejus partibus discedens se Joanni adjungit; unde Gallus bellum in Flandriam infert. Joannes metu externæ classis libe-

liberatus, ac victoriâ à Ferdinando de Gallis relatâ animo erecto, armis in Aquitaniam transfretare deliberat. Verùm negantibus suis Ducibus se eum sequuturos, nisi anathemate Pontificio explicatus omnibus priùs de injuriis satisfecisset, ut, hoc pacto placato Divino Numine, felicius arma moveret, exules Antistites, aliosque è Galliâ evocat, regressos humillimè excipit; ac post renovatum de promissis plenissimè implendis jusjurandum, *decimo septimo Kalendas Augusti* communioni redditus est [A].

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

(A) *Paris citat. ann.* 1213. *pag.* 166. *citat. edit., Spondan. eodem ann. n.* 11.. *Quò etiam facit Innoc. III. epist.* 89. *lib.* 16.

Hâc epoche statutâ alia de Oratoribus ad Pontificem allegatis statuenda est. Scimus eos per initium Novembris ejusdem anni 1213. Legatione perfunctos, ac re benè gestâ de reditu cogitasse. Quinque ipsi fuerãt; neque verò vulgares homines, sed lectissimi, ac *nobiles viri*, inter quos *Abbas Belli loci*, ac *Noruuicensis*, sivè Nordovicensis *Episcopus* [B]. Eorum destinationem, apparatum, iter, & Romæ ductam ad peragendum negotium moram quo temporis spatio metiemur? Haud minore trium mensium, putem; unde Polidorus *non multò post* absolutionem *Oratores Romam* à Joanne *missos* testatur [C]. Igitur nonnisi perpauci dies inter Regis absolutionem, & deliberationem de Oratoribus Romam mittendis supersunt, qui Africanæ Legationi tribuantur. At vix poëta quispiam, tantum terræ marisque eundo, redeundo, tamque grave negotium obitum intra adeò breve spatium somniaverit.

(B) *Vid. Innoc. III. epist.* 130. *& seqq. lib.* 16.

(C) *Cit. lib.* 15. *pag. mihi* 710.

Verùm multò insolubilior nodus est. *Justi-*

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

(A) *Idem Paris ann. 1213. pag. 169.*

(B) *Spond. ann. 1214. n. 18. & 19., Paris ann. 1213. pagin. 172.*

(C) *Citat. epist. 130. lib. 16.*

tiarii mors, ex quâ Nuntios ad Miramamolinum allegandi deliberatio orta narratur, *die secundâ Octobris* accidit [A]. Quomodo ergo postquam illi redierant, & quia irritâ Legatione redierant, alii ad Pontificem missi sunt, si hos mense Octobri Romæ jam degentes ostendimus?

Occasionem hìc nactus est inverecundus novator Innocentii integritati, ac famæ detrahendi: quem ut Historici omnes Pontificem verè Sanctissimum, ac moribus nomini respondentibus prædicent, ipse ambitiosum comminiscitur, superbum, pecuniæque sitientem, & ad omnia scelera pretio proclivem; propptereaque Joannem Saracenæ opis spe deturbatum ad flectendum Pontificis animum, transmisso auro, Regnumque Apostolicæ Sedi stipendiarium spondendo consilia vertisse. Sed Regni oblatio jam facta tùm fuerat, ut vidimus. Instrumentum usque à die 15. Maii eâ de re coram Pandulpho confectum; deinde postquam Tusculanensis Episcopus novus in Angliam Legatus advenerat, apud eum aureâ Bullâ confirmatum est [B]. Regiis Oratoribus auditis, nonnisi paterna auxilia, & quæ honesta essent, se concessurum respondit Pontifex; idque Joanni significavit, hæc ei syncera monita impertiens [C]. *Illud autem tuæ Regali prudentiæ consulimus ad cautelam, ut cum Archiepiscopis, & Episcopis Regni tui contentiosè non agas, maximè super negotiis spiritualibus, & Ecclesiastico jure, cùm ad nos possis habere recursum, per quos multa poteris honestè perficere, quæ honestè non posses efficere per teipsum, pro certo confidens, quòd nos petitio-*

tiones & preces tuas, QUANTUM HONESTAS PERMISERIT, *intendimus efficaciter exaudire*. Vides, quàm ſtolidè in Innocentium extructæ calumniæ ſint; eæ tamen ſunt, quas paſſim jactant heterodoxi, dum Innocentio oblatrare libet [A].

Metûs ab Interdicto ſervando excuſatio diſpellitur.

(A) *Vid. Guil. Cave. in Scripp. Eccleſ. hiſt. ann.* 1198. *in Innoc.III.*

III. Obſtat huic commento Joannis ipſius ingenium, ſuperbique mores. Qui ne Pontifici ſana rectaque ſuadenti obtemperaret, ne Magnatibus, quas petebant, libertates redderet, Regnum ſexennali Interdicto affligi, atque inteſtino odio flagrare, ſe ipſum anathemate feriri, exauthorari, bello appeti, ac ſeditionibus agitari ſuſtinuit; ultronè potuit ſe & Regnum barbari Regis imperio velle ſubiicere, in ejuſque arbitrium conferre, ſe aut Regno omninò abigi, aut ſub tributo tenere? Hæc eſt enim ad Miramamolinum oratio, quam ejus Legatis tribuit Pſeudo-Matthæus: *Se & Regnum ſuum libenter redderet eidem, & dederet, & deditum teneret ab ipſo, ſi placeret ei, ſub tributo: nec non ..... legi Mahometi fideliter adhæreret*.

IV. Deſperationinè eſtremæ, an retinendæ utcumque dominationis conſilio ea erit Regalis animi demiſſio aſcribenda? Non conſilio: etenim ſi ob læſa Eccleſiæ jura, & libertatem tot mala expertus fuerat, quid ſibi ob turpiſsimam apoſtaſiam timere non debuiſſet? Multò minùs deſperationi; neque enim adeò acciſæ res Joannis tunc erant, ut vidimus: quin etiam impoſtor ipſe teſtatur, eum nuperrimè ob Gaufridi viri ſummæ in Angliâ authoritatis mortem, metu prorſus abjecto, ac obtentâ pleniſsimâ libertate gaudentem, ju-

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

rantemque dixisse: *Nunc primò sum Rex, & Dominus Angliæ.*

Fortè quis dixerit ex eo Anglum in tantum furorem evadere potuisse, quòd peracerbè doleret se coactum beneficiarii Principis legem subire: sed quid aliud hoc esset, quàm calumniam velle aliâ calumniâ defendere? Quippe idem prodidit Author, *Romæ sententiatum* fuisse, ut *Rex resignaret coronam suam cum Regnis Angliæ, & Hyberniæ in manus Domini Papæ* [A]. Sed ex commentis hoc est ei frequentissimis, cùm de Pontificum famâ lacerandâ agitur. Non aliæ leges Joanni à Pontifice dictæ sunt ad assequendam Ecclesiæ gratiam, quàm ut exules Antistites revocaret, & damna illis illata sarciret, ac cætera, quæ perverterat, in pristinum restitueret: minimè verò illa gravis, & odii plena transfundendi in Pontificem Regni conditio adjecta est. Qualem se in Regem gesserit Innocentius, quibus synceri amoris illecebris, quâ Apostolicâ caritate ad sanitatem studuerit adducere, ab eodem Sanctissimo Pontifice [B] intelligamus: *More pii Patris, qui filium offendentem offensus etiam odisse non potest, & quandoque de malo ejus graviùs quàm ipse turbatur, indurato tibi non possumus indurari: sed paternâ pietate molliti te tantopere in tua damna molitum omni ope vel opere, quâ valemus, satagimus emollire .... Consilia monitis, monitaque consiliis inculcantes, blanditiis minas, & minis blanditias interserimus, vice periti medici medicinalis artis auxilia variando, qui ferrum adhibet ubi fomenta non prosunt, & potione tepentis aquæ languores emen-*

(A) Paris citat. ann. 1213. pag. 164.

(B) Epist. 221. lib. 11.

emendat, qui medicinæ violentiam non senserunt. Dono demum ejus pœnitentiam postulat Innocentius: *Ne itaque nos, & te in majorem necessitatem inducas, ecce familiariter petimus, ecce dulciter admonemus, ecce paternè consulimus, ecce benignè rogamus .... Super Ecclesiæ Cantuariensis negotio nobis & Ecclesiæ, immo Deo sine ulteriori morâ satisfacere non postponas ....* HOC SALTEM NOBIS CONCEDENS IN DONUM.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

In Apostolicam ergo clientelam suscipi Anglum voluisse ex ingenti pietatis sensu exemplo aliorum Regum, existimandum. Quin ita re verâ fuisse testantur tum Innocentius ad Joannem ita de Regni oblatione Ecclesiæ factâ sub annuo censu quasi admirabundus scribens[A]: *Quis enim te docuit? Quis induxit? nisi Spiritus ille divinus, qui ubi vult spirat, & nescis unde veniat, aut quò vadat:* Tum Joannes ipse scribens ad Innocentium[B]: *Caterùm inspirante gratiâ Sancti Spiritûs ad perpetuam Ecclesiæ pacem & exaltationem Regna nostra scilicet Angliæ & Hyberniæ de Vobis, & Successoribus vestris, & Sanctâ Romanâ Ecclesiâ tenenda suscepimus.*

(A) *Epist.79. lib.16.*

(B) *Inter epist. Innoc. III. epist.78. eod. lib.16.*

Non solùm ex Religionis instinctu, sed ex humanâ etiam prudentiâ id factum putes, ut Walsinghamus author est[C]: quò scilicet *cōtra hostes tam domesticos, quàm extraneos Ecclesiasticâ protectione muniretur.* Profectò hâc spe Joannes minimè frustratus fuit. Statim enim Pontifex, dum Legatum in Angliam destinavit, literas etiam dedit. 1. Cantuariensi Archiepiscopo & Coëpiscopis suis, ut *bono pacis tam Regno, quàm Sacerdotio necessario nil*

(C) *Ann. 1213.*

inge-

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

ingererent difficultatis. 2. Illustri Regi Francorum, ut cum Anglo *pacis fœdera reformaret*. 3. Anglis Magnatibus, *ut* Regi *fidelitatem devotam & fidelem devotionem exhibere curarent*, quòd *omnimodam ei gratiam, & plenum intenderet exhibere favorem* [A]. Eosdem postmodùm contumaces anathemate perculit, eorumque terras Sacrorum usu destituit, ut ad officium revocaret [B].

(A) *Epist.* 81., 82., & 83. *lib.* 16.

(B) *Polydor. cit. lib.* 15., *Raynald. anno* 1215. *n.* 33.

V. Fingamus gravissimis procellis Joannem tunc agitatum, ac aliâ quâcumque ope destitutum. Quid quæso præsidii à Miramamolino sperasset? Qui cum paulò ante Alphonsum Castellæ Regem armis lacessere ausus esset, adversùs eum Cruciferi evocati, atque ipsi etiam ex Pontificis mandato Hispaniæ & Galliæ Episcopi collectis copiis, tum ex Italiâ aliisque nationibus sub diversis Principibus milites: Petrus insuper Aragoniæ Rex, Sanctius Navarræ, cum auxiliis Lusitani, ac Legionensis in Castellani opem, & pro Religionis causâ accurrẽtes, incredibili affecerunt clade, bis centum millibus Saracenis juxta Roderici Toletani Archiepiscopi, qui pugnæ interfuit, computum, internecione sublatis, cùm ex Christianis (quòd divinâ prorsus ope factum est) vix viginti quinque, aut triginta desiderati essent. Quorum cùm Alphonsus Pontificem faceret certiorem; *O quanta*, ait, *lætitia! O quot gratiarum actiones! nisi de hoc dolendum sit, quòd tam pauci martyres de tanto exercitu ad Christum martyrio pervenerunt* [C]. Capta sunt opulentissima castra, in quibus tanta inventa est telorum copia, ut per duos dies, quibus exerci-

(C) *Apud Marian. lib.* 15. *cap.* 13. *edit. in fol.,* & *inter epistol. Innoc. epist.* 182. *lib.* 15.

tus

tus Christianus iis locis hæsit, lignorum vicem pensaverint, ignes ad quascumque necessitates alendo. Cùm alios postmodùm progressus Alphonsus solus in barbaros fecisset, mox eis inducias concessit, accipientibus perniciosas, causâ videlicet intestini dissidii; quo Maurorum potentia in plures partes diducta, & dilacerata fuit; cùm maximè memoratâ clade concidisset [A].

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

VI. Cum prælio hoc, quo nil celebrius apud Historicos, ignarus Matthæi corruptor fabellam suam contexere voluit. Sed quàm infelici ave! Bellum in Castellanum pluribus jam antè annis à Miramamolino paratum erat. Usque ab anno 1211. Crucesignatos evocari Pontificem Alphonsus rogaverat [B]. Insignissimam verò Castulonensem victoriam, ita à saltibus Castulonensibus ejus loco dictam, die lunæ 16. Julii anni 1212. de eo relatam fuisse, Alphonsi memoratæ ad Innocentium literæ ac Scriptores contestantur. Ille verò post enarratam Gaufridi *die secundâ Octobris* anni 1213. mortem, post Nuntios in Africam, & his regressis, alios Romam legatos, *Per idem tempus*, inquit, *ipse Rex sive Admiralius Murmelinus, de quo suprà dictum est, cum infinito quem conflaverat exercitu, non sine, ut dicitur*, Regis Joannis assensu *fines Hispaniæ potenter constituit occupare; cui magnam audaciam contulerat nutans fides Regis Joannis*. Quomodo Rogerus, aut Parisius ambo tunc viventes apparatûs atque exitûs illius belli, ad quod universa Europa confluxerat, quodque adhuc sonat per ora hominum, ita crassè tempus ignorare potuissent?

VII.

(A) *Roderic. Tolet. lib. 7. cap. 37. & 36., & lib. 8. cap. 2. & seqq., Marian. loc. cit., Briet. ann.* 1212., *Innoc. III. epist.* 15., 182., et 183. *lib.* 15., & *epist.* 3., 4., 154., 155. *lib.* 14.

(B) *Innoc. III. epist.* 154., & 155. *cit. lib.* 14.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

VII. Supra mortales omnes obliviosum personatum novatorem fuisse oportet, qui modò recitatis verbis mutuam amicitiam, ictumque jam fœdus inter Miramamolinum, & Joannem supponit, non recordatus quod paulò antè nugatus fuerat, hunc scilicet ab illo neglectum, & contumeliis vexatum, ejusdemque Legatos tam malè habitos, ut nil Rege utcumque barbaro fieri possit indignius: *Factâ subsannatione in signum magnæ indignationis, sprevit ille Admiralius Regem Joannem dicens: Nullius est Rex ille sed Regulus jam desipiens, & senescens, nec curo de eo:* INDIGNUS EST MIHI CONFŒDERARI; *& conspiciens Thomam, & Radulphum* (duo ex tribus Legatis hi erant) *torvo vultu, ait: Non redeatis iterum ad meam præsentiam, nec videant oculi vestri ampliùs faciem meam. Fama, sed potiùs infamia Domini vestri jam apostatæ desipientis fœtorem exhalat in conspectu meo teterrimum.*

VIII. Nec ea, quæ præcedunt, nec quæ sequuntur in ejusdem Parisii historiâ, cum somniatâ hac Joannis apostasiâ quidquam consentiunt. Inter ejus pœnitentiæ causas Religionis cum primìs stimulos recenset. Quàm demissum ac supplicem, veniamque rogantem redeuntes exilio Antistites, quanto etiam obsequio Legatum Apostolicum excepisse narrat! Deinde anno 1216. quid de moribundo Rege habet? Sacrâ exhomolegesi expiatum Eucharistiâ se communire sategisse: Monasteria, præter ea quæ dum valeret extruxerat, legatis ditata, aliaque pietatis opera memorat. De ejus demum spirituali salute *sperandum*, inquit

inquit, *& certissimè confidendum*. Ut benè cum impactis calumniis ista concordant? Addimus, quæ Bzovius[A] de Joanne in eo vitę extremo ex Vaticanis monumentis prodidit, *devotionem* scilicet, & *fidelitatem* erga Sedem Apostolicam coram Regni Proceribus testatum, literas Pontifici Honorio III. dedisse, in quibus Regnum suum, quod *Sancti Petri patrimonium* nuncupabat, unâ cum filiis suis sub protectionem Sanctæ Sedis, & Summi Pontificis submittebat. Honorium verò inter cætera Henrico filio scripsisse, ut PIORUM PATRIS MONITORUM *recordaretur*.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

(A) *Ann. 1217. n. 3. ex M. S. Vatic. n. 5586. de reb. Angl.*

IX. Quid verisimilis habet, quod reliquum est commenti? 1. Jocatur Impostor, Barbarum à Legatis inventum scripta legentem *cujusdam* GRÆCI *sapientis*, *& Christiani nomine Pauli*; eaque mirè admodum ab eo probata. 2. *Piissimam, & mundissimam legem Christianorum* appellasse, quam *præ omnibus eligeret, & amplexaretur, si exlex esset*. Credenda hæc sunt de Mahomede Miramamolino? Mahomede à viridi pileo dicto, quem gestare consueverat, quòd ex genere Prophetæ se esse jactaret: Miramamolino verò, quòd Princeps in suâ sectâ credentium esset. Cujus tanta erat in Christianam Religionem odium, ut fastu tumens fuerit comminatus, se equos suos in porticu Basilicæ Sancti Petri stabulaturum, & supra eamdem Basilicam vexillum suum fixurum. Quod quidem inpletum ex parte est, dum post insignem victoriam missum ad Innocentium principale superbi Mauri vexillum, illud Pontifex in prædictâ

Basi-

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

(A) *Cæsarius lib. 5. dialog. 21. ad fin., Rigord. in Philippo Augusto, Vinc. lib. 30. cap. 2., Antonin. tit. 19. cap. 2. §. 4.*

Basilicâ ad Christi gloriam erexit[A]. 3. Legatos ei retulisse, *Ecclesiam* in Angliâ, & *nostræ cultum Religionis plusquam in aliquâ mundi parte prosperari, ac Papalibus, & Regiis legibus pacificè gubernari*: Quàm apta hæc erant ad finem, propter quem venerant, consequendum? 4. Robertum tertium Legatum Clericum esse à Mauro ex coronâ & tonsurâ cognitum. 5. Cùm ab hoc tamquam Clerico veriora de Joanne audire sperasset, plura eum interrogasse; illumque, quidquid vitii, sceleris, & impietatis, quidquid ignominiæ extremæ est, de Rege suo fassum. 6. Hunc eumdem Robertum, cùm rediisset, ab Anglo in honore habitum, & pinguis Abbatiæ *custodiâ* donatum. 7. *Secretissimos* hos *Nuntios* fuisse. Itane tres Legati ad *Regem magnum Africæ*, *Marochiæ*, & *Hispaniæ* mitti potuerunt? 8. Rem totam à Roberto ipso revelatam. Demens erat Robertus, qui crimina sua in impium Tyrannum tam facilè evulgaret. At si evulgabat, cur Angliæ Antistites, aut perduelles Magnates apud Pontificem, à quo adversùs utrosque Rex fovebatur, ejus horrendum facinus non detulerunt?

X. Spondanus integerrimus quidem scriptor, sed Gallus, vix sibi indulsit in Regem genti suæ infensissimum splendidè conflata mendacia referre. Cæterùm nequaquam probat, quinimò authoris fidem è vestigiò elevat, dum Innocentii vindicias sumit[B]. Cautior nihilominus fuit Raynaldus[C], qui nedum idem præstitit, sed insuper opem tantum Saraceni à Joanne petitam meminit, falsis

(B) *Citat. ann. 1213. n. 12.*

(C) *Eod. ann. n. 78.*

falsis Religionis criminibus omninò prætcritis. Horum cautissimus Bzovius, qui neque id attingendum putavit, tametsi Joannis severissimum censorem se gesserit [A]. Paulus Æmilius Veronensis, qui Philippi Augusti, Joannis hostis, gesta literis commendavit, atque illius Interdicti causam fusè prosequitur, cæterique rerum Anglicanarum Scriptores diligentissimi, Matthæo recentiores, Pseudo-Matthæo antiquiores, nempe Polydorus, Walsinghamus, ac Westmonasteriensis ab aliis Matthæi *deflorator* [B], ab aliis *compilator* [C], ab aliis verò *imitator acerrimus* [D] appellatus, ne verbum quidem ex integris quinque Capitulis protulere. Quod autem multò majus est, idem Matthęus in *Chronico*, sive *Historiâ minore*, quam post majorem ad secundas curas revocasse scribunt, incognita prorsus sibi fuisse denotat quæcumque jejunâ, frigidâ, mendaciloquâ, stolidâ narratione illâ continentur.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

(A) *Ann.* 1211. *n.*6., & 1213. *n.*15.

(B) *Vvast. in advers., ac not. ad pag.* 243. *lin.*18. *Matth. edit. Londin., Parisiens. verò pag.*169. *lin.*8.

(C) *Spond. ann.*1213. *n.*8.

(D) *Auth. præf. ejus histor. præfixæ.*

XI. Sybillina folia, antiqua scilicet manuscripta postremò sunt hac de re consulenda. Hanc Watsius pro nobis exornavit Spartam, cùm Londinensem anni 1640. Matthæi editionem accuravit: Quippe Watsii supra hominis conditionem ingenuitatem laudamus, qui cùm & Anglus, & *ex Anglicanâ confessione* esset, prioris editoris dolos ac fraudes revelare non renuit; tametsi ita eum accuset, ut simul excusare, factique atrocitati pro viribus mederi connitatur [E]. Catholicorum hac de re querelas non prorsus injustas dicit; *Nec profectò gratis aut omninò sine causâ . . . suspicio aliquibus est suborta, non satis candidè Matthæum fuisse evulgatum.*

(E) *In præfat. ad Variant. lect.*

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

tum. Falsarium impudentissimum nimis liberum editorem appellat: *Nimiâ certè* (*quod dolemus*) *libertate anterioris editionis evulgator est abusus*. Interpolationes enormissimas, cæteraque falsimonia variantium lectionum velamine cohonestare conatur: *Utpotè qui pluries profectò quàm decuit* AB EXEMPLARIBUS MANUSCRIPTIS VARIANDO,*hìc voces*,*illic phrases*, *ibi rubricas marginales in se susceperit ad placitum demutare*. Hæc ignoscamus. Quid ultra? Paucis tandem se Watsius expedit: *Quot aut quanta mutarit, nos in variantibus nostris lectionibus prodidimus*. Dolet, & pudet misellum luculentiùs suorum commissa propalare. Longè tamen plura innuit, quàm proferat. Nova omninò variantium lectionum hęc species est. Multa ab omnium codicum fide abesse prorsus; nonnulla *aliâ manu* aut *in pede paginæ*, aut in aliâ marginis parte descripta, persæpe integras pagellas, quandoque duas tresve, ac plures etiam additas, atque innumera alia id genus falsata arguunt. Ad rem nostram quod attinet, albus est in Joannis causâ Watsii [A] calculus: *Non possum equidem diffiteri*, *totam istamce narrationem mihi fore suspectissimam* .... *libenter à tam turpi crimine Regem* ABSOLVEREM. Hæc in notis; in variantibus verò lectionibus: *Pag.* 243. *lin.* 5. OMNIA *post* die Octobris, *usque ad capitulum* His quoque temporibus *pag*.245.*lin*.41. *desunt à W* [B]. Manuscriptum, quod *W.* notis designatur, lapis lydius est ad falsum à vero Matthæo discernendum, Wendoverianus nimirum codex, quem *pluris*, ait, *equidem æstimavimus*, *quàm ullum* *ipsius*

(A) *In adversar., ad not. ad pag.* 243. *lin*.18. *alias* 169. *lin*.8.

(B) *Ita in citat. edit. Londin., in Parisiens. verò eadem deesse notantur à pag*. 169. *lin*.4. *ad pag*.171.*lin*.4.

ipsius Parisiensis exemplar [A]. Quæ à pag. 243. lin. 5. usque ad 245. lin. 41. deesse notavit, quinque integra suprà memorata capitula sunt, mendaciis ac calumniis putidissimis in Regem ac Pontificem referta.

Metus ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

(A) *In ead. præfat. ad var. lect.*

Quis nunc Casaubonum ferat, dum Baronio, ac Bellarmino, aliisque ex nostris corruptum Matthæum suspicatis illiberaliter convitiatur, mendacii ac vanitatis præclarissimos viros per summam insolentiam arguens, fidemque manuscriptorum prætendens, quam à se exploratam perfrictà fronte testatur [B]? Quis in nuperrimo scriptore Guilielmo Cave [C] aut accuratiorem diligentiam, aut candidiorem fidem non requisiverit, dum post Watsii etiam variantes lectiones, quas laudat, verba ipsa Casauboni in prospectum producit, atque illa suffragio comprobat suo, & plausibus excipit? Dupini verò hâc de re judicium satis ego mirari non possum: cui ut nihil sit quod spurium non sapiat, quod interpolationem & suppositionem non oleat; hujusmodi tamen falsitatum acervum pro syncerâ historiâ vendibilem facere; atque hunc Æthiopem dealbare in tantâ rerum luce facile sibi negotium existimavit: *Il parle fort librement des Puissances de son temps: il rapporte les faits avec exactitude* [D]. Heù! quis fascinavit non obedire veritati?

(B) *In prolegom. ad exercit. Baron., & in append. epistolarum epist. 99.*

(C) *Scripp. Eccles. histor. ann. 1240. in Matth.*

(D) *Biblioth. tom. 12. in Matth. Paris.*

Ne putetis, præstantissimi septem Theologi ac Canonistæ, ut vobis reponeremus, tantum nos operis insumpsisse; in quo fortè diutiùs distenti

Metùs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

videri potuimus. Datâ à vobis occasione scelestissimi nebulonis, è cujus officinâ insignes contumelias in Apostolicam Sedem ejus hostes mutuari consueverunt, infames artes planè detectas voluimus. Cęterùm vos docilissimos reputamus, ac multò pauciora satis futura fuisse, ut cognosceretis, quàm miserè decepti, & ad quas fabulas conversi fueritis, Magistros prurientes auribus vos pręstaturi; quibusque commentis gemini Collegii decus, ac duplicis laureæ prębueritis dignitatem, iis scilicet, quorum jam hæreticos ipsos pudet; jam dolosè conficta fatentur, dolent, detestantur. Unum superest, quòd vos rogemus: Videte quæ causa vestra sit, quæ his pręsidiis indiget, ut defendatur.

Antequam de Interdicto hoc sermonem consignemus, aliud esse meminimus; in quo vobis satisfiat oportet. „ Anno sequenti, dicebatis (post latas nempe censuras) ad preces Stephani indultum à Pontifice fuit, ut semel per hebdomadam in Ecclesiis majoribus Sacra, ac divinà peragerentur officia„. Quò autem hæc pertinent? Num ex eo visum fuit, majorem modò expeti posse in Apostolicà Sede benignitatem, seduliorem in Prælatis è Siciliâ expulsis pro suis Ecclesiis caritatis affectum, nisi ipsi obtinuerint à Clemente quod Stephanus impetravit ab Innocentio? Sed fidem hìc vestram, & eruditionem de more desideramus. Illam, nam ubi Spondanus[A], cujus innixi estis testimonio, id concessum iis Ecclesiis testatur, quæ ab initio, & deinceps inde servaverant Interdictum;

(A) *Ann. 1208. n. 3. cui addi potest Parif. ann. 1209. ac Polyd. loc. cit.*

ctum; hanc vos circumſtantiam ſilentio obruiſtis, utpotè intentioni veſtræ contrariam, cauſæ magis quàm ſynceritati ſtudentes. Hanc verò, quòd diverſam temporum diſciplinam non diſtinxeritis. Primęvam adhuc ſeveritatem hæc cenſura tunc retinebat, adeout neque clauſis januis Divina celebrare omninò liceret, tametſi non ubique, nec ſemper idem rigor fuerit [A]; id autem eſt, quod Stephano flagitante Innocentius conceſſit. Sed hoc neque à Spondano diſcere poteratis: Pontifex ipſe fuerat conſulendus, ita die 13. Januarii anni 1209. Londinenſi, Elyenſi, ac Wigornienſi Epiſcopis ſcribens [B]: *Non obſtante Interdicti ſententiâ, quam tuliſtis, Conventualibus Eccleſiis, quæ ipſum patienter ac humiliter & continuè ab initio ſervaverunt, licentiam concedatis* PRO CONFICIENDA EUCHARISTIA SEMEL AC SECRETÒ IN HEBDOMADA *celebrandi Divina*: Quæ tunc ſpecialis gratia habita fuit, nunc generalis permiſſio eſt, emollito jam antiquo diſciplinæ rigore.

Metûs ab Interdicto ſervando excuſatio diſpellitur.

(A) *Vid. cap.* Quod inter *de pœnitent. & remiſs.*, *Innocent. III. epiſt.* 102. & 217. *lib.* 11., *& quæ diximus par.* 1. *cap.* 1. §. 1.

(B) *Epiſt.* 214. *cit. lib.* 11.

§. 6.

Interdicta Luſitana.

AD alia Interdicta recenſenda, ut noſter exorſus erat, modò pergamus. Notiſſimus eſt textus in cap. *Tanta eſt* 18. de exceſs. Prælat. Nullus interpres, quem noverimus, hanc Gregorii IX. Decretalem luce ab hiſto-

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

riis illius temporis derivatâ illustrare satagit. Nos rem curiosiùs perscrutati ad Interdictum anno 1233. ab hoc Pontifice excussum propter Lusitaniæ Regem Ecclesiæ jura invadentem pertinere comperimus. Divexabat Lusitanus Portugalensem Episcopum, ejus Ecclesiam spoliare contēdens Urbis hujus nominis dominio, quod à Therasiâ Regis proaviâ olim transmissum acceperat. Quare Gregorius inquirendę rei provinciam Cerrianensi Episcopo demandavit[A]: Zamorensique, ut Pontificio nomine à cœptis Regem gravissimis monitis avocaret; qui si Apostolica imperia detrectaret, Interdicto in eum animadverteret[B], aliisque literis Lusitanos Pręsules, in tuendis Portugalensis Episcopi juribus, operâ & studio non deesse jussit[C]. A Raynaldo[D] integram narrationem deprompsimus.

(A) *Lib. 7. epist. 121. apud Raynald. anno 1233. n. 67.*

(B) *Eod. lib. epist. 122. apud eundem.*

(C) *Ibid. epist. 188. & 189.*

(D) *Loc. cit.*

Quòd autem ad hujusmodi historiam Decretalis nostra referenda sit, multa evincunt. 1. Quòd ad Bracharensem Archiepiscopum data est, celeberrimum Lusitaniæ Metropolitam. 2. Quòd in eâ de Colimbriensis Episcopi Interdicti Gregoriani contemptoris inauditâ insolentiâ agitur; qui ejusdem Bracharensis suffraganeus est. 3. Denique nam Decretalis (quam integram in schedis nostris habemus, cumque hactenus inedita sit, unà cum aliis documentis ad causam spectantibus ad Dissertationis calcem in lucem emittendam curabimus) lata est anno Pontificatûs Gregorii sexto; qui cum prædicto Christi 1233. coincidit.

Co-

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

Colimbriensis, non autem *Colubriensis*, ut Raymundus habet, legendum putavimus. Defuit in hoc textu emendando Gonzalii diligentia. Nos autem à quamplurimis Innocentii III. epistolis [A], & à Francisco Bosqueto in notis ad illas [B], eam lectionem didicimus. Quisnam hic Episcopus fuerit, non liquet; sed, cùm tempore Gregorii IX. senio confectum epistola ipsa testetur, illum eumdem fuisse oportet, de quo frequens mentio in citatis Innocentii III. epistolis, & in cap. *Cùm olim* 14. de Privil., ubi contentiosissimum hominem, & trahendarum litium studiosum exprimit; contumacissimum verò in senectute evasisse, Capitulum ipsum abundè ostendit: *Non potest*, inquit Gregorius, ***in memoriam non venire, quantùm in nos, & Ecclesiam Romanam deliquerit, despexerit Petri claves, & Ecclesiasticam læserit Potestatem; cùm non solùm Interdicti sententiam (quam servaverat ab initio) temerè violavit, verùm etiam* INDUXIT ALIOS, *imò* COMPULIT *non servare; & quos inducere monitis, & flectere minis ac terroribus ad violandam Interdicti sententiam nullâ potuit ratione, post atroces injurias, amissionem bonorum, spoliationem parentum, dignitatibus, præbendis, & beneficiis spolians,* COEGIT *miserabiliter exulare, ea suis in hac parte fautoribus non absque præsumptione temerariâ conferendo*.** Quippe summæ pervicaciæ, & immanitatis exemplum id est, & execrandæ adversùs Pontificiam Potestatem rebellionis, eò magis dolendæ quòd in Episcopo. Sed duo nobis notanda hìc sunt.

I. In-

(A) *Epist.* 221., *&* *seqq. usq; ad* 227., *&* 332. *lib.* 1. *collect. Balut.*; *epist.* 3. *lib.* 2. *regest.* 14., *& epist.* 1. *lib.* 4. *regest.* 16. *edit. Bosquet.*

(B) *Ad citat. epist.* 3. *lib.* 2.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

I. Invicta erga Pontificem obedientia eorum qui potiùs atroces injurias pati, bona amittere, parentibus, dignitatibus, præbendis, & beneficiis spoliari, ac miserabile exilium ferre, quàm Interdictum violare elegerunt. Horum malorum gravissimus metus erat, non à Tyranno, non à laicâ Potestate, sed à proprio Episcopo illatus; qui ergo honestior color, ut se à censuris observandis eximerent; sed nihilominus nullâ immanitate ad id adduci potuerunt; ita pro firmo habentes Pontificio Interdicto omninò parendum. Quapropter jure meritò Gregorii favor & patrocinium eis prçstò fuit, qui damna resarciri, ac in beneficia, & bona restitui curavit, sententiasque hac occasione ab Episcopo latas irritas, & inanes decrevit, illosque, qui in eorum personas & res temerarias manus injecerant, severè jussit puniri: *Omnem institutionem, destitutionem, collationem præbendarum, beneficiorum, ac dignitatum præsumptas per eumdem Episcopum, & Excommunicationis, seu Interdicti sententias in quoscumque hâc occasione prolatas ab eo post Interdicti violationem ejusdem,* DECERNIMUS IRRITAS, ET INANES *&c.: Illos quoque, quos in personas, & res prædictorum Canonicorum, Prælatorum, & Clericorum manus temerarias constiterit extendisse, denuntiatis excommunicatis primitùs injectoribus manuum in Clericos violentis, ad nostram infra quatuor mensium spatium venire compellas præsentiam, pro* MERITIS SENTENTIAM RECEPTUROS; *invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii secularis. Ne autem P. Thesaurarius, P. Consalvi, &*

Joan-

Joannes Ferrandi, Canonici Colimbrienses, ac alii spoliati mendicare cogantur, in opprobrium ordinis clericalis, præsertim pro tam honestâ & laudabili causâ, unde præmium debuerant meruisse; volumus & mandamus, ut donec dignitatum & beneficiorum suorum pacificam fuerint possessionem adepti, FACIAS EIS DE BONIS COLIMBRIENSIS ECCLESIÆ CONGRUE PROVIDERI [A].

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

(A) *Hæc ex integr. epist. Archiepisc. Brachar.*

II. Eorum inobedientia, qui non sponte, sed minis ac terroribus, vel certè metu gravissimo malorum, quæ Canonici Prælati, aliique Clerici Pontificiis jussibus obtemperantes tulerant, ad Interdictum violandum inducti fuerant ac compulsi; & nihilominus *severitatem canonicæ ultionis effugere* eos non debere judicavit Gregorius; *ne facti perversitas transiret præsumptoribus in exemplum; Hæc est enim culpa*, inquit, *in quâ culpâ est relaxare vindictam*. Benè noverat zelantissimus Pontifex, quanti Ecclesiæ intersit hujus censuræ observationem sartam tectam custodiri. Propter eaque non solùm dignitatibus & beneficiis, in quæ fuerant intrusi, removeri, sed aliis etiam officiis & beneficiis, siquæ habuissent, mandavit: *Quia verò, ubi magis exceditur, ibi est severiùs vindicandum, ut quibuscumque culpa fuit in scandalum, pœna sit in exemplum &c., mandamus quatenus omnibus, quos dictus Episcopus in supradicta beneficia, præbendas, & dignitates intrusit, non solùm à beneficiis ipsis, præbendis, & dignitatibus, verùm* ETIAM AB ALIIS BENEFICIIS, *siquæ obtinent, & Ecclesiis, non obstante appellatione, quam à Vicario tuo interposuisse dicuntur, prorsus amo-*

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

I. Invicta erga Pontificem obedientia eorum, qui potiùs atroces injurias pati, bona amittere, parentibus, dignitatibus, præbendis, & beneficiis spoliari, ac miserabile exilium ferre, quàm Interdictum violare elegerunt. Horum malorum gravissimus metus erat, non à Tyranno, non à laicâ Potestate, sed à proprio Episcopo illatus; qui ergo honestior color, ut se à censuris observandis eximerent; sed nihilominus nullâ immanitate ad id adduci potuerunt; ita pro firmo habentes Pontificio Interdicto omninò parendum. Quapropter jure meritò Gregorii favor & patrocinium eis prçstò fuit, qui damna resarciri, ac in beneficia, & bona restitui curavit, sententiasque hac occasione ab Episcopo latas irritas, & inanes decrevit, illosque, qui in eorum personas & res temerarias manus injecerant, severè jussit puniri: *Omnem institutionem, destitutionem, collationem præbendarum, beneficiorum, ac dignitatum præsumptas per eumdem Episcopum, & Excommunicationis, seu Interdicti sententias in quoscumque hâc occasione prolatas ab eo post Interdicti violationem ejusdem*, DECERNIMUS IRRITAS, ET INANES *&c.*: *Illos quoque, quos in personas, & res prædictorum Canonicorum, Prælatorum, & Clericorum manus temerarias constiterit extendisse, denuntiatis excommunicatis primitùs injectoribus manuum in Clericos violentis, ad nostram infra quatuor mensium spatium venire compellas præsentiam, pro* MERITIS SENTENTIAM RECEPTUROS; *invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii secularis. Ne autem P. Thesaurarius, P. Consalvi, &*

Joan-

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

Joannes Ferrandi, Canonici Colimbrienses, ac alii spoliati mendicare cogantur, in opprobrium ordinis clericalis, præsertim pro tam honestâ & laudabili causâ, unde præmium debuerant meruisse; volumus & mandamus, ut donec dignitatum & beneficiorum suorum pacificam fuerint possessionem adepti, FACIAS EIS DE BONIS COLIMBRIENSIS ECCLESIÆ CONGRUE PROVIDERI [A].

(A) *Hæc ex integr. epist. Archiepisc. Brachar.*

II. Eorum inobedientia, qui non sponte, sed minis ac terroribus, vel certè metu gravissimo malorum, quæ Canonici Prælati, aliique Clerici Pontificiis jussibus obtemperantes tulerant, ad Interdictum violandum inducti fuerant ac compulsi; & nihilominus *severitatem canonicæ ultionis effugere* eos non debere judicavit Gregorius; *ne facti perversitas transiret præsumptoribus in exemplum; Hæc est enim culpa,* inquit, *in quâ culpâ est relaxare vindictam.* Benè noverat zelantissimus Pontifex, quanti Ecclesiæ intersit hujus censuræ observationem sartam tectam custodiri. Propterea que non solùm dignitatibus & beneficiis, in quæ fuerant intrusi, removeri, sed aliis etiam officiis & beneficiis, siquæ habuissent, mandavit: *Quia verò, ubi magis exceditur, ibi est severiùs vindicandum, ut quibuscumque culpa fuit in scandalum, pœna sit in exemplum &c., mandamus quatenus omnibus, quos dictus Episcopus in supradicta beneficia, præbendas, & dignitates intrusit, non solùm à beneficiis ipsis, præbendis, & dignitatibus, verùm* ETIAM AB ALIIS BENEFICIIS, *siquæ obtinent, & Ecclesiis, non obstante appellatione, quam à Vicario tuo interposuisse dicuntur, prorsus*

amo-

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

amotis, & spoliatis omnibus occasione hujusmodi sine difficultate qualibet plenariè restitutis, tam præsumptores, quàm omnes alios, qui præfatum Interdictum damnabiliter violarunt, suspendas ab omni officio, & beneficio [A].

(A) *Ex cap.* Tanta est, *sed pleniùs ex cit. integr. epist.*

Quo putes sophismate tam propriæ decisionis vim eludere, aut obscurare contenderint Adversarii? „ De illis, ajunt, intelligendus est Pontifex, qui temerè violant Interdictum; quæ audacia abest in casu nostro „ Quippe puniendos voluit Gregorius, *qui hujusmodi sententiam non sunt veriti temeritate propriâ violare*: minimè verò eos dumtaxat, sed OMNES ALIOS. Quam aliam hìc solutionem expectes? Hanc ego prævideam. „ Ut generalissima hæc verba sint, illos solùm comprehendunt, *qui Interdictum damnabiliter violarunt*. „ Quod de Siculis dici nequaquam potest „. Sed nequicquam ad has speculationes confugitur, ubi res adeò in propatulo est.

I. Enim non adeò dementes sumus, præstantissimi septem Collegæ, ut eos pœnis afficiendos putemus, qui nec *damnabiliter*, nec *temerè*, sed ex rationabili causâ à censuris servandis cessant. Quod vobis libuit in controversiam adducere, hoc est, An metus ab hujusmodi *temeritate*, ab hoc *damnabili* reatu immunem faciat. Pro negativâ est Decretalis; quâ Lusitanæ censuræ transgressores damnantur, etsi quotquot violaverint, metu violaverint. Ideò ibi de Colimbriensi Episcopo dicitur: *Non solùm temerè violavit; verùm etiam induxit alios, imò compulit non servare*. Præterea, cùm

cen-

censuram servantes, *post atroces injurias, amissionem bonorum, spoliationem parentum, dignitatibus, præbendis, & beneficiis* abacti, *compulsi sint miserabiliter exulare*, idem periculum alios quoque manebat, si & ipsi servassent: omnes ergo metu gravi devicti sunt. Hi quidem in duas classes dividi possunt. Alii, quibus Episcopus tamquam *suis in hac parte fautoribus contulit beneficia & præbendas*, quibus constantes ac fortes exuit, quique graviori præ cęteris noxæ dediti sunt, privati etiam beneficiis legitimè antea obtentis: *Verùm etiam ab aliis beneficiis, si quæ obtinent, & Ecclesiis amotis*. Alii, qui ad hujusmodi sacrilegæ prędæ partem non sunt vocati, in quos mitior fuit animadversio per suspensionem tantùm à beneficiis. Sed hi quoque damnabiliter Interdictum violasse dicuntur: *omnes alios, qui præfatum Interdictum damnabiliter violarunt, suspendas ab omni officio & beneficio*. In quam ergo classem coniiciemus, quos censuram miserabiliter egressos, pœnamque evasisse fingimus? Nonne imaginaria ea distinctio est?

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

II. Ut *temeritas & damnabilis* culpa, cujus Lusitani pœnas luerunt, Siculis esse posset exceptioni, metum in illo casu ex formali contemptu clavium incussum fuisse oporteret. Etenim, nisi adversùs id monstri horrendi immanis audendum sit, metum excusare defenditis: sed tantum nefas verba minimè important. In cap. 5. de Consuetud. *temeritatis* arguuntur qui Interdictum consuetudinis atque exemptionis obtentu violaverant[A]. In cap. 3. de Cleric. Excommun. &c. *Clerici in-*

(A) *Vid. text. à Gonzal. restitut.*

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

interdicti vel excommunicati divina celebrantes officia, nisi moniti sine dilatione redierint, perpetuæ depositionis sententiâ feriendos esse statuitur PRO AUSU TANTÆ TEMERITATIS. In Clementinâ 1. de Sentent. Excommunic. *Præsumptione* DAMNABILI *Interdicta violare* dicuntur ii etiam Religiosi, *qui nunc patenter excusationibus fucatis & frivolis, nunc latenter Ecclesiarum suarum januis perforatis, aut in eis factis fenestris, aut modis aliis exquisitis* servare omittunt. Quicumque in hac studiorum ratione hospes prorsus non fuerit ac peregrinus perspectum habere poterit, nil frequentius esse hujusmodi aut similibus dicendi formulis in sacris Canonibus, ac Pontificiis Decretalibus, quotiescumque Ecclesiasticarum legum aut censurarum transgressio damnanda est, vel transgressionis gravitas inculcanda. Numquid ergo de formalis contemptûs casu perquàm rarissimo ea omnia statuta erunt interpretanda?

III. In Regemnè, cujus causâ censuræ excussæ fuerant, an in Episcopum; qui observationem impediit, tantum facinus impingemus? Non in primum, ut ex adductâ controversiæ historiâ patet: Non in secundum; etenim ejus crimen non hæresis, aut schisma fuit; sed potiùs dementia quædam. Senex is erat, & consilio non minùs, quàm viribus jam effœtus. Prӧptereà, quamvìs tam protervè Pontificii Interdicti observantiæ restitisset, nihilominus, cùm in judicium vocatus rem totam confessus veniam exorasset, Gregorius humaniùs cum eo agendo vix aliam pœnam ab eo poposcit

præ-

præter eam, quam ipse sibi irrogavit sponte cedens Episcopatu: *Quæ omnia idem Episcopus in nostrâ & fratrum nostrorum præsentiâ publicè recognovit: licèt autem memoratus Episcopus non judicium, sed misericordiam postulans in manibus nostris spontaneâ cesserit voluntate, & nos* SIMPLICITATI, ET SENECTUTI COMPATIENTES *ipsius non dum ad pœnam ejus, quam requirit excessûs tanti temeritas, duximus procedendum; nolentes tamen &c.*[A]. En ut in fumum contemptûs formalis suspicio omnis evanuit.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

(A) *Ex citat. integr. epist.*

Antiquior Lusitani Regis infestatio Portugalensem Antistitem jactaverat, bonis omnibus exutum, malisque gravissimis cumulatum. Censuras, quibus protritam Ecclesiæ libertatem Episcopus vindicaverat, Rex impugnare præsumpsit, illi obsequentes dirâ exercens immanitate. Sub Innocentio III. hæc acciderunt, quæ ex ejus regestis prodimus[B]: *Domos quorumdam Canonicorum ipsi Episcopo assistentium* (Rex) *fecit dirui, ac eis prœbendas & equitaturas auferri, seras portarum Ecclesiæ violari, excommunicatos in Ecclesiam intromitti, defunctorum in Interdicto corpora sepeliri, & eumdem Episcopum, ac Decanum, aliosque tribulationis suæ socios in Episcopali domo quinque penè mensibus... obsideri*[C]. Ut se constantes hi gessere, & pro Ecclesiâ contutandâ proprii Episcopi consortes esse in angustiis elegerunt; ita meticulosi & contumaces non defuerunt: *Canonici*, Innocentius ait, *Portugalensis Ecclesiæ, quos ejus* (Episcopi nempe) *utpotè boni Patris oppressionibus compati decuisset; non solùm filialis compassionis dicuntur ei sub-*

(B) *Epist. 57., 75., & 76. lib. 1. reg. 13.*

(C) *Cit. epist. 75.*

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

subtraxisse solatium; quinimò tantò nocentiores aliis, quantò pejùs familiaris lædere solet inimicus, sæviendi adversùs ipsum temeritate suâ præbuisse videntur extraneis incentivum; dum tam ipsi, quàm Ecclesiæ memoratæ Portionarii Excommunicationi subjecti, divina non erubuerunt officia celebrare, contempto temerè Interdicto [A].

(A) *Cit. epist. 57.*

Quàm expensè inculcat Pontifex hujus criminis gravitatem! Clerici, qui metui succumbendo censuras violaverint, *sæviendi adversùs* fortes *temeritate suâ præbuisse videntur extraneis incentivum*. Hinc coniicias, qualem se cum ejusmodi ignavis arrogantibusque se ipse præstiterit. Episcopo, & Archidiacono Zamorensi, atque Abbati de Mererola severè puniendos commisit: *Nolentes igitur tantam præsumptionis audaciam relinquere incorrectam, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quòd inquisitâ ac cognitâ veritate, si rem inveneritis ita esse, Canonicos, & Portionarios memoratos, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, beneficiis Ecclesiasticis, & officiis spolietis* [B].

(B) *Ead. epist. 57.*

Iisdem quoque mandavit, ut Regios ministros, qui Episcopum eique obedientes Clericos afflixerant, solenni transfigerent anathemate: Sanctio verò Regi ingressu Ecclesiæ ac Sacramentorum communione interdicerent, nisi Episcopo, Decano, aliisque de illatis injuriis satisfaceret [C]. Ex novâ causâ insurrexerat, hâc sublatâ, quam sub Gregorio IX. agitatam suprà vidimus, controversia.

(C) *Cit. epist. 75.*

Ex

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

Ex tot Interdictis, quæ per longas seculorum ætates incidere, hactenus tantùm allata ex industriâ selegimus, quæ satis esse queat, ut firmissimum hunc, perpetuumque Ecclesiæ morem in probatis haberemus, pœnas à transgressoribus, nullâ incussi metûs ratione habitâ, exigendi. Cætera in idem facientia, quæ quidem ad manum essent, ne in nimiã excurramus prolixitatem, omittimus. Libenter etiam omittimus, ut nonnulla quędam turbulentissimis temporibus inter grassantia schismata, & bellorum incendia intorta; ex quorum observantiâ nemo æqui judicii regulam statuendam putaverit: ita alia infinita propemodùm causæ parùm congruentia, utpotè à quibus ritè custodiendis nullæ deturbarunt minæ, nulla defecit temeritas.

Ab Interdicto, quo anno 1376. Gregorius XI. Civitatem & universam Florentinorum ditionem devinxit, quodque anno sequenti, cùm illuc usque servatum fuisset, Magistratûs protervia violatum voluit, Sacerdotibus ubique palàm & publicè in templis celebrare compulsis; præsidium clientibus suis quęrunt Adversarii; sed quid aliud hoc est quàm crimen in criminis defensionem adducere? Tale enim est Abrahami Bzovii[A] de Florentinis Ecclesiasticis, qui metui cesserunt judicium: *Ex tunc per Urbem, agrumque universum, Basilicis, & Oratoriis apertis Sacerdotes celebrare jussi; quod quidem* TEMERARII *non detrectavere; & magis homines quàm Deum metuentes* CRIMEN *nequaquam evasere.*

(A) *Ann.*1377.*n.*24.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

(A) Vid. citat. Bzov. ann. 1376. n. 10. & seq., Baluz. vit. PP. Avenion. vit. 2. pag. 451.

In quas enormes immanitates impietatesque, qui tunc Rempublicam non tam regendam, quàm agitandam susceperant, prolapsi fuerint, *animus meminisse horret, luctuque refugit*. Hæresis atque schismatis eos damnavit Pontifex [A]; confectosque processus superiùs nos attigimus. Nihil verò inconsideratius dici potuisse putamus, quàm quod Adversariis ex ore excidit, hoc nempe adeò detestabile exemplum laicis Magistratibus prælucere, ut Pontificiis censuris resistere ediscant. Quâ graviori injuriâ Catholici Magistratûs dignitatem offenderint? Cur non potiùs ii Principes imitandi propositi sunt, qui extremi flagitii loco habuere Ecclesiæ judiciis reluctari? Quot Urbes civium numero, & splendore clarissimæ, quot longè latèque patentes Diœceses Interdictis subjacuere, cùm potentissimi Reges, nil minùs paterentur, quàm quòd Ecclesiastici per vim, & metum ab iis observandis ne latum quidem, ut ajunt, unguem discedere cogerentur? Imperator Theodosius non unius Regni Princeps, sed Orbis Dominus, cui Gallia, Hispania, Germania, Pannonia, Dalmatia, Græcia, Syria, Ægyptus, Africa serviebant, cujus tot in Ecclesiam merita, tot datæ divinitùs victoriæ erant, Ecclesiasticâ censurâ pulsatus non in aliquem suæ ditionis locum, sed in suam ipsius personam; non à Pontifice universalis Ecclesiæ, sed à particulari Mediolanensis Antistite; non quòd Ecclesiæ jura conculcasset, aut suis sedibus Episcopos deturbasset, sed quòd irâ in contumaces, & rebelles subditos abreptus, severiùs, quàm par fue-

fuerat, animadvertisset: nihilominus tamen non novit nisi parere, & se Ecclesiæ submittere, ac satisfactionibus lacrymisque absolutionem exorare, & quòusque Ambrosio videretur, demissus & pœnitens præstolari [A]. Hæc proponi debuerant exempla imitanda: Hęc augustissima vestigia sequenda.

Metûs ab Interdicto servando excusatio dispellitur.

(A) Theodoret. lib. 5. cap. 17., Baron. ann. 390. num. 2. & seqq.

CAPUT V.

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur, ad ornatum & interpretationem cap. *Sacris* de his quæ vi metusve causâ fiunt.

CELEBERRIMUM Innocentii III. responsum considerandum subimus: quod, etsi circa Excommunicationis materiam versetur, nobis tamen silentio prætereundum minimè fuit; tum quia in ejus intelligentiâ & Adversarii nostri, & vulgò Scriptores negotii summam sitam esse crediderunt; tum etiam quòd, licèt ab Excommunicatione ad Interdictum in hâc, quàm agitamus, controversiâ affirmativè arguendo non rectè concludatur, cùm longè majoris momenti hæc censura quàm illa sit, uti vidimus; negativè tamen benè concluditur, ut si in materiâ Excommunicationis metûs excusationi locus non sit; multò minùs futurus sit in materiâ Interdicti.

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

§. I.

Decretalis summa proponitur. Ratio redditur. Ejusque de communicatione cum excommunicato tum in Divinis, tum in humanis intelligentia suadetur.

NON poterat distinctiùs Pontifex definire metum etsi gravissimum à censuræ observatione non excusare: *Licèt metus culpam attenuet, quia tamen non eam prorsus excludit; cùm pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere; talem Excommunicationis labe credimus inquinari.* Nemini, censemus, in mentem ceciderit ambiguam hujus Capituli determinationem videri posse, quòd verbo *credimus* expressa sit. Numquid enim hujusmodi ratione è Decretalium numero expungemus Cap. *Inter alia* 31., & Cap. *Per tuas* 40. de Sentent. Excommun.? in quibus eodem verbo *credimus* utitur Pontifex? Num potiùs *mandamus*, aut *decernimus* dicere debuisset? At neque sententiam tulit, neque constitutionem tunc edidit Innocentius, sed consultationi respondit. Quis autem ita à juris versandis libris abhorruit, ut eum lateat has esse formulas, quibus jurisconsulti, aut ipsi viri Principes responsa sua concipiunt, credimus, censemus, putamus, placet.

Hujus decisionis ratio reddi potest ex Divo Thomâ [A], ubi juxta Philosophorum pariter, ac Theologorum placita docet, metum voluntarii ratio-

(A) 1. 2. q. 6. de volunt. & involunt. art. 6.

rationem ab actu extorto minimè excludere: *Sicut Philosophus dicit in* 3. *Ethic.* (cap. 1. non procul à princip. tom. 5.), *& idem dicit Gregorius Nyssenus in suo lib. de homine*, (sive Nemesius lib. de nat. homin. cap. 30.) *hujusmodi, quæ per metum aguntur, mixta sunt ex voluntario, & involuntario. Id enim, quod per metum agitur, in se consideratum non est voluntarium; sed fit voluntarium in casu, scilicet ad vitandum malum quod timetur. Sed si quis rectè consideret*, MAGIS *sunt hujusmodi* VOLUNTARIA, *quàm involuntaria; sunt enim voluntaria simpliciter, involuntaria autem secundùm quid. Unumquodque enim simpliciter esse dicitur secundùm quod est in actu.* Neque à Thomâ Scotus[A] dissentit subtiliter in idem argumentum differens, & copiosè.

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

(A) Cit. quæst. unicâ dist. 29. in 4.

Sed quod ob oculos Innocentium habuisse putes, dum ita responderet, Bernardi[B] doctrina est. Namque, ut Pontifex metum à coactione secernit: *Distinguimus autem utrùm is, qui communicat excommunicatis* INVITUS, *sit per* COACTIONEM *attractus, an per* METUM INDUCTUS. *In primo siquidem casu non credimus Excommunicatione teneri, cùm magis* PATI, *quàm* AGERE CONVINCATUR. *In secundo verò, licèt metus &c.*. Ita quippe Bernardus etiam distinxerat: *Est sanè* GEMINA COMPULSIO, *secundùm quòd aut* PATI *aliquid, aut* AGERE *contra propriam* COGIMUR *voluntatem. Quarum* PASSIVA *quidem (sic enim prior illa rectè nominatur) potest nonnumquam fieri absque* CONSENSU VOLUNTARIO PATIENTIS: *Sed* ACTIVA *numquam. Proinde malum, quod fit in nos sive de nobis, non est imputandum nobis, si tamen* INVITIS. *Cæterùm*

(B) De grat. & liber. arbitr. cap. 12.

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

rùm quòd sit à nobis, jam non sine culpâ est voluntatis. Velle sanè CONVINCIMUR *quòd non fieret si nollemus: Est ergo compulsio quædam etiam* ACTIVA, *sed non habet excusationem, cùm sit & voluntaria.* Quid disertiùs hâc mellifluі Doctoris sententiâ? Quid Innocentianæ Decretali conformius? Ita ergo eumdem Bernardum ducem sequendo in rem nostram differemus. Inductus per minas est quispiam ad excommunicato communicandum, & fortè dolens; non tamen nisi volens. Voluit nimirum intentata mala vitare, atque ea talis voluntas intùs præsidens, atque os ad loquendum aperiens ad censuræ violationem perduxit; nequaquam verò jubentis minæ. Porrò talem esse eam voluntatem minæ convincunt, non cogunt. Ipsa igitur se in culpam, non qui jubet, impellit. Si constantior fuisset, fortassè aliquid mali infligi, at ipsa flecti non potuisset.

Scimus quidem Soti cavillum. Admittit ipse *pro nullo metu quantumcumque vehementissimæ mortis incurrendum esse ullum peccatum non solùm mortale, verùm neque minimum veniale*: *Sed tota*, inquit, *lis est & contentio, utrùm eo rigore Ecclesia præcipiat non communicare excommunicatis, ut obligare etiam velit, non obstante metu & periculo mortis*; *an verò mitior sit ejus obligatio, ut cum tanto periculo non intendat nos obligare*. Quibus inscitissimè addit, *Ecclesia hactenus nullam talem legem edidit*. Sed ejusmodi præcepta & leges, hic rigor, hæc Ecclesiæ intentio & voluntas, quæ Sotus inficiatur, sunt quod ad fastidium usque hactenus demon-

mon-

monstravimus, tot Pontificiis præsertim Decretalibus in hanc ipsam Excommunicationis materiam adductis, nedum ab eodem Innocentio, sed ab Alexandro etiam III. editis, nec non quamplurimis D. Thomæ Cantuariensis sententiis Apostolici Legati auctoritate latis[A]. Nullum profectò argumentum esse rear, in quod fusiùs & luculentiùs eâ ætate, aut à pluribus & illustrioribus viris scriptum fuerit, quàm istud, vanam scilicet juxtà ac turpem adversùs censuras & præcepta Ecclesiæ formidinis esse exceptionem; ut ex locupletissimâ collectione epistolarum *Authorum diversorum*, tametsi sub ejusdem Cantuariensis nomine editarum; quas meritò Baronius[B] OMNI THESAURO PRÆSTANTIORES appellat, observare est. Ex quo intelligas Capituli *Sacris* responsum in re jampridem diù multùmque versatâ ac discussâ redditum ab Innocentio.

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

(A) *Vid. dicta cap. præced. §.3.*

(B) *Ann.1162.n.21.*

Ut aliquid hìc præterea in hujusce rei confirmationem addamus, Gregorii Magni epistolas aliquot inter Sacros Canones relatas[C] proferimus. *Salonitanam* in Dalmatiâ Sedem Maximus arripuerat non tantùm ejus *intolerabilis culpæ* reus, *quòd sine* Pontificis *consensu ad Sacerdotalem ordinem inordinatè proruperat*, sed ulteriùs non sine simoniacæ labis suspicione. Gregorius illum à Missarum solenniis suspensum Romam causam dicturum vocat, anathemate intentato, si obedire non curasset: *Si perverso forsitan ausu celebrare præsumpseris, ab interdictæ pridem communionis interminatione liberum te non esse cognoscas. Nam etiam si alii*

(C) *Epist. 25. lib. 6. aliàs lib.5. relata in Can.* Quod autem *6. q. 5.* *Epist. 26. eodem lib.6. aliàs 5. relata in Can.* Ego autem *1. q. 6., & Can.* Miratus *93. dist.* *Epist. 27. cit. lib. 6. aliàs 48. lib.5. relata in Can.* Rogo *11. q. 3.* *Epist. 17. lib. 7. aliàs 6.*

Metùs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

si alii excessus desint, pro istâ solummodò culpâ superbiæ Dominici te Corporis, ac Sanguinis communione privamus. Pro quâ re obedientiam, quam decet, exbibens, ad nos summoperè, sicut diximus, venire festina.

Contumacissimus Maximus, se nullius criminis conscium, ac injustè à Gregorio vexatum in vulgus spargens, Pontificiâque censurâ contemptâ, *Paulinum Episcopum, & Honoratum Ecclesiæ Salonitanæ Archidiaconum* secum communicare defugientes carceribus astrinxit, aliisque *gravibus molestiis* affecit[A]. Hoc terribili exemplo, aliisque jactatis minis, & violentiis illatis minùs constantes consternavit, & ad sui commercii compulit contagionem. Ad hos scribens Gregorius, etsi eorum malis compatiatur, ignaviæ tamen redarguit, quin jam excommunicatos habet, & sententiæ in Maximum latæ participes[B]. DEBUISTIS *enim filii carissimi pensare ordines vestros, & quem Sedes Apostolica repellebat, repulsum cognoscere, ut priùs, si posset, ab illatis criminibus mundaretur: & tunc ei vestra dilectio* COMMUNICARET, NE PARTICEPS OBLIGATIONIS EJUS EXISTERET. *Nos tamen erga caritatem vestram visceribus pietatis astringimur; & quia quosdam* VIOLENTER PRESSOS *ad consentiendum ei, & ad* COMMUNICANDUM *cognovimus, omnipotentem Dominum deprecamur, ut vos ab omni reatu peccatorum vestrorum*, ATQUE AB OMNIBUS VINCULIS ALIENÆ OBLIGATIONIS ABSOLVAT.

(A) Cit. Epist. 25.

(B) Cit. epist. 26. Clero, & Nobilibus Salonæ consistentibus.

Ad Clerum, & Populum Jaderæ ob eandem causam literas scribens Gregorius[C], *Pervenit*, ait, *ad me quosdam vestrûm ignorantiâ* VEL NECESSITATE DECEPTOS, his *qui ab Apostolicâ Sede culpâ, sicut nostis*

(C) Cit. epist. 27. relat. in citat. Can. Rogo 11. q. 3.

ſtis,exigente,communione privati ſunt, COMMUNICASSE: *quoſdam verò ſe ſalubri diſcretione, protegente Domino, ſuſpendiſſe: & quantùm* DE CONSTANTIBUS *gaudeo, tantùm de deviantibus ingemiſco*. Cur *deviantes* appellat qui à *conſtantium* exemplo deſciverant? Cur de iis *ingemiſcit?* niſi quia in culpam lapſos agnoſcit, tametſi metu ad *prævaricatoris* Epiſcopi communionem adducti fuerint. Eorum inclinatum vigorem erigere ſtudet Sanctiſſimus Pontifex: *Rogo, hortor, & moneo, ut à prohibitæ vos communionis conſortio* PER OMNIA *ſuſpendatis, nec* CUIQUAM *Sacerdoti ſupraſcripto Maximo* COMMUNICANTI *contra animam ſuam quiſquam veſtrûm communicare præſumat*. Excommunicatos igitur, & vitandos eos etiam habet, qui excommunicato communicaverant. Quò magis nobis ſuffragetur, addit mox Gregorius: *Quia tamen audio, ſicut præfatus ſum, quoſdam veſtrûm ignorantiâ lapſos, quoſdam etiam ad communicandum* VIOLENTER ESSE OPPRESSOS, *omnipotentem Dominum deprecor, ut & eos qui huic pravitati* MINIME CONSENSERUNT, *perpetuâ gratiæ ſuæ protectione cuſtodiat, & optatâ eis largitate reſpondeat. Et illos, quos aut ſtudium, aut ignorantia,* AUT ALIA QUÆLIBET CAUSA *traxit in culpam, ab omni reatu peccatorum, atque ab omnibus vinculis* ALIENÆ OBLIGATIONIS ABSOLVAT. En ut in diſtinguendo metum à coactione in hac ipsâ Excommunicationis materiâ Gregorius Innocentium præiverat. De *violenter oppreſſis ad communicandum* excommunicatis ſermonem habens eos tantummodò excuſat, *qui huic pravitati minimè conſenſerunt*: at hi ſunt, quos

Metûs in materiâ Excommunicationis excuſatio improbatur.

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

quos per *coactionem attractos*, & *magis pati, quàm agere* Innocentius dicit. Alios verò qui *consenserunt*, quales sunt per *metum inducti* apud Innocentium, eâdem cum excommunicatis sententiâ teneri Gregorius pronunciaverat: *Ab omnibus vinculis alienæ obligationis absolvat*; ut *Excommunicationis labe inquinari* respondit Innocentius.

Adeò grave crimen excommunicato Maximo communicantium à Gregorio reputatum, ut Sabinianum Jadertinum Episcopum, tametsi ejusmodi lapsum jam correxisset, cum aliis ejusdem peccati reis ad Apostolicam Sedem festinare jusserit, ubi causâ discussâ sententiam suam reciperent, & à contractis censuris absolutionem impetrarent [A]: *Nunc autem quia ab ejus te nequitiâ cognovimus dissentire: denique ut nec ei communices, nec nominis ipsius facias inter sacra Missarum solennia mentionem, ut animæ tuæ vel serò te ab eo discordasse proficiat, scriptis te præsentibus adhortamur, quatenus ad nos morâ sublatâ venire non differas, sed & alios tecum, quos tamen potueris, Episcopos cæterosque Religiosos festines adducere: ut causâ subtiliùs examinatâ, & vestra, si res exegerit, congruè decenterque debeat absolutio provenire.*

(A) Cit. epist. 17.

Svevi, Saxones, & *penè totius Regni Principes* frequenti conventu Triburiam condictum locum adversùs Henricum IV. Pontificio anathemate percussum congregati, dum subjectionis & officii erga Regem ab illius Legatis admonerentur; crudelitates & clades, quibus Regnum fœdum cruentumque Henricus reddiderat, se jamdiù tolerasse respon-

responderunt: *Hæc quidem, dum sola vitæ temporalis detrimenta, dum solam famæ & existimationis labem minarentur, tametsi viris ferenda non essent, tulimus tamen*[A]: Ad ejus verò consortium, dum *ab Ecclesiæ corpore Apostolici anathematis mucrone præcisus esset*, nunquam se adduci passuros, *cùm ei*, inquiunt, *communicare sine communionis Ecclesiasticę damno, & fidei jacturâ non possimus*. Ita quodcumque aliud malum levius ipsis videbatur, quàm se excommunicati commercio coinquinare. Hæc Procerum constantia effecit, ut Henricus se Gregorio VII. Pontifici submitteret, & omnia pœnitentiæ ederet signa: *Romam humiliter*, ait Historicus[B], *utpotè veniam ab Apostolico postulaturus, inimicis non sperantibus, tetendit; inventoque Papâ in oppido Canusino, ibi per triduum ante portam castri, deposito omni Regio cultu, discalceatus, & laneis indutus perstitit. Nec priùs cum multo fletu Apostolicæ miserationis auxilium, & consolationem implorare destitit, quàm omnium, qui ibi aderant, precibus & lacrymis intercedentibus, laxato tandem anathematis vinculo, in communionis gratiam, & sinum Matris Ecclesiæ receptus est*.

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

(A) *Apud Lambert. Schafnab. pag. 532. cit. edit. Argentorati.*

(B) *Abbas Vrspergensis in Chron. ann. 1075.*

Ægidius Aureæ-Vallis narrat[C], ut Leodienses ex eo quòd anno 1211. Othonem Regem Ducis Saxoniæ filium à Romano Pontifice excommunicatum in Civitatem exceperant, suamque illi fidem alligaverant, tametsi gravissimis malis deterriti; urbis enim incendium aliàs Otho fuerat interminatus; se nihilominus absolutionis indigos agnovisse, & pro eâ impetrandâ Romam exi-

(C) *Loc. cit. cap. 104. & 110.*

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur,

mios viros allegasse: *Interim Hugo Pontifex* (Leodiensis) *Legatos misit ad Romanam Curiam, scripto aperiens causam, modum, quantitatem, & ipsum authorem sceleris, illos absolvi postulans, qui sicut præmissum est, Othoni Regi fidelitatem facere coacti sunt. Quo audito Innocentius IV.* (ita mendosè habet pro III.) *facto isti condolens absolutionem tribuit omnibus de præmissis.*

Sicut autem quæ adduximus non tantùm ad sacrum, sed ad profanum etiam excommunicati commercium defugiendum pertinent; ita etiam ad utrumque Innocentii Decretalem pertinere Alexander Alensis[A], D. Bonaventura[B], aliique ex Theologis; *Decretorum* verò *Magistri*, qui ante D. Thomam, vel cum eo floruerunt, quos idem S. Doctor *magnos* appellat[C], ut etiam qui postmodùm subsecuti sunt, Joanne Azorio teste[D], ferè omnes voluerunt. Si rationes, quibus eorum expositio impugnari solet, seriò perpendas, minoris profectò momenti erunt, quàm ut iis adductus acquiescas. I. Est, quòd *communicare excommunicato indirectè idest in humanis non est contra, sed præter præceptum Ecclesiæ*. II. Nam *videtur valdè grave quòd homo excommunicatum quempiam alloquens mortale peccatum committat*, de quo Decretalis disertissimè meminit. Verùm hic ego dictum illud usurpem: *Parva sunt hæc; sed parva ista non contemnendo majores nostri maximam hanc rem fecerunt*. Porrò si quantus Ecclesiasticæ disciplinæ rigor hâc in re fuerit, attentiùs consideremus; quàm severè Canones, Patres, Sacræ ipsæ literæ quodcúque cum

(A) 4. part. Summ. q. 81. memb. 6. art. 2.

(B) In 4. distinct. 18. quæst. 5. ad 4.

(C) Quodlibet. 11. artic. 9.

(D) Instit. lib. 1. cap. 11.

excommunicatis commercium prohibuerint; utque ex hoc commercio vitato præcipuus Excommunicationis effectus dependeat, erubescentia nimirum, quæ emendationem sperare jubet [A], ejusmodi argumentorum vanitatem deprehendes. Hujus censuræ prohibitiones omnes quasi in compendio Concilium Vernense [B] describit: *Ut sciatis qualis sit modus istius Excommunicationis, in Ecclesiam non debet intrare, nec cum ullo Christiano cibum, vel potum sumere, nec ejus munera quisquam accipere debet, vel osculum porrigere, nec in oratione se ingerere, nec salutare, antequam ab Episcopo suo fuerit reconciliatus*. Qui ab uno Episcopo fuisset excommunicatus, alii Episcopi illum recipere prohibiti sunt à Concilio Niceno [C], ab Antiocheno [D], à Sardicensi [E].

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

(A) Can. Audi denique 11. q. 3.

(B) Can. 9.

(C) Can. 5.

(D) Can. 2.

(E) Can. 16.

Ut sanctiùs hæc disciplina custodiretur, nec usu remissior fieret, quàm plurimis Conciliorum decretis sancitum fuit, ut ipse etiam in Excommunicationem incideret, qui excommunicato communicaret, & ut pari cum illo sententia teneretur, ejusdemque pœnæ particeps fieret, tamquam si & criminis esset. Antiquissimus in hanc rem est dicti Concilii Antiocheni statutum: *Si quis autem de Episcopis, aut Presbyteris, vel Diaconis, sive quilibet ex Clero deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam iste privetur communione, tamquam qui* REGULAM CONFUNDAT ECCLESIÆ [F]. Idem statuit Concilium Arausicanum I. [G], Arelatense II. [H], ac Turonense II. [I].

(F) Can. 2. ex Dionys. Exig. interp.

(G) Can. 10. aliàs 11.

(H) Can. 8.

(I) Can. item 8.

Ne autem quis putet, Episcopis, aut Clericis tantùm pœnam hanc decretam fuisse, si excommuni-

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

nicatis communicassent, generale est statutum Concilii Bracharensis II.[A] *Placuit ut hi qui pro haeresi, aut pro crimine aliquo excommunicantur, nullus eis communicare praesumat, sicut & antiqua Canonum continent statuta, quae si quis spernit, voluntariè se ipsum alienum à communione facit*. Canonum antiquorum dum facit mentionem, lectori in memoriam revocat Canonem quartum Antiochenum, qui ita concluditur: *Sed & omnes, qui ei communicant ex Ecclesiâ eiiciantur, & maximè si, cùm sententiam adversùs praedictos prolatam didicerint, eis communicare ausi fuerint*. Clariùs de communicatione ipsâ in humanis sub ejusdem anathematis interminatione alia Concilia loquuntur. Sic enim Antisiodorense[B] decrevit: *Si quis Presbyter, aut quilibet de Clero, aut de populo excommunicatum, absque voluntate ipsius, qui eum excommunicavit, sciens receperit, aut cum illo panem manducaverit, vel colloquium habere decreverit, simili sententiae subjacebit*. Idem in Arelatensi II.[C], Carthaginensi IV.[D], & Toletano I.[E] videre est: ubi abstineri pro excommunicari accipitur, ut à Cypriano accipi consuevit. Quod Polydorus[F] etiam notavit.

Cùm tantum communicantium cum excommunicatis periculum esset, ut & ipsi per communicationem hanc in Excommunicationem inciderent, optimo consilio receptum fuit in Ecclesiâ, ac constitutum, ut non solùm excommunicatorum nomina ex diptychis Ecclesiasticis, quibus inscripta erant, eraderentur; verùm etiam ut publicè indicarentur, & proponerentur, nedum parochia-

(A) Can. 15.

(B) Can. 39.

(C) Can. 49.

(D) Câ. 73. apud Gratian. Can. Qui cōmunicaverit 11. quaest. 3.

(E) Can. 15.

(F) De rer. invent. lib. 3. pag. mihi 387.

nis,

nis, sed etiam vicinis Episcopis. Quâ de re agit Honorii Papę decretum apud Gratianum[A], & Alexandri Alexandrinæ Ecclesię Episcopi literæ apud Socratem[B]. Insuper Yvonis Carnotensis tempore in moribus fuit, ut qui in unâ Diœcesi excommunicatus erat, à reliquis etiam vicinis Episcopis, quibus id notum esse cœperat, similiter excommunicaretur[C]. Cujus praxis recentiora etiam exempla sub Alexandro nimirum III. superiùs nos attulimus. Quòd si quis sciens excommunicatum in communionem recepisset, adeò grave crimen id putabatur, ut schismati causam dare diceretur[D].

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

(A) *Can.* Curæ sit 11. *quæst.* 3.

(B) *Lib.* 1. *cap.* 6.

(C) *Probatur ex ejusdem Yvonis epist.* 111. 194. & 204.

(D) *Vid. Benedicti IX. PP. epist. tom.* 3. *Concil. Bin. pag.* 1093.

Omissis aliis in eamdem rem Canonum statutis, ea tantùm nobis addere liceat, quæ specialem observationem mereantur; Apostolicam institutionem hanc esse, ut eâdem censurâ afficeretur, qui cum anathemate affectis communicaret, Can. *Excommunicatos* 11. quæst. 3. edocemur; qui Callisti[E] Papæ authoritatem pręsefert, dum ad Galliarum Episcopos scribit, *Excommunicatos quoscumque à Sacerdotibus nullus recipiat ante utriusque partis examinationem justam, nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet, nec* Ave *eis dicat, quia quicumque in his, vel aliis probibitis scienter excommunicatis communicaverint*, JUXTA APOSTOLORUM INSTITUTIONEM *& ipsi simili Excommunicationi subjacebunt*. Consonat Can. *Sicut Apostoli* ibid., qui Fabiano Episcopo ascribitur: *Sicut* APOSTOLI STATUERUNT *dicentes, cum excommunicatis non est communicandum, & si quis cum excommuni-*

(E) *Epist.* 2. *cap.* 2. *apud Labb. Conc. tom.* 1. *col.* 613.

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

cato, adversando (aliter *avertendo*) *regulas, scienter saltem in domo simul loquutus fuerit, vel oraverit, ille cõmunione privetur*. Aptè huic assuimus cap. 84. ex Græcis Synodis à Martino Bracharensi collectis [A], ubi hanc severam prohibitionem transgredientes, quasi perturbantes omnem disciplinam Ecclesiasticam excommunicari jubentur: *Non liceat communicare excommunicatis, neque in domos eorum introire, neque orare cum eis, neque liceat ut in aliâ Ecclesiâ segregentur: Si autem aliquis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet Ecclesiasticus excommunicato communicaverit*, QUASI PERTURBANS OMNEM DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM *excommunicetur*.

(A) *Concil. Labb. tom. 5. col. 914.*

Pœna, quæ transgressoribus irrogatur, Apostolicæ institutioni: sed prohibitio ipsa divinis literis nititur; in quibus notissima loca sunt ad hanc rem facientia: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus* [B]. *Nunc autem scripsi vobis non commisceri: si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum ejusmodi nec cibum sumere* [C]. *Quòd si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur* [D]. *Nolite recipere eum in domum, nec* Ave *ei dixeritis. Qui enim dicit illi* Ave, *communicat operibus ejus malignis* [E]. Hinc est quod Chrysostomus ait [F], *Nemo contemnat Ecclesiastica vincula; non enim homo est qui ligat, sed Christus*.

(B) *Matth. 18. v. 17.*

(C) *1. ad Corinth. 5. v. 11.*

(D) *2. Thessolonic. 3. v. 14.*

(E) *2. Joann. v. 10. & 11.*

(F) *Ad Popul. Antioch. homil. 70. relat. in Can.* Nemo *11. q. 3.*

Ex dictis autem non modò profluit, minimè

le-

levem culpam involvere, aut *præter Ecclesiæ præceptum* esse in humanis cum excommunicato communicare; cùm in eo prohibendo universa Canonum conspiret severitas; & consequenter perperam ob prædictas rationes Decretalem nostram ad communicationem in Divinis tantùm restringi: Sed insuper his nihil esse cur adeò confidenter pronunciaverint Adversarii, *censuras esse de jure humano*; cum tot expressissimis Divinarum Literarum locis earum observantia injuncta sit. Unde haud abs re doctissimi Cardinales Turrecremata, & Stanislaus Hosius, Antonius Burgos, Robertus Arboricensis, aliique Theologi, ac Jurisperiti præstantissimi, communicationem etiam in humanis cum excommunicato jure Divino prohibitam esse contendunt [A].

Metus in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

(A) *Apud Philippum Maynardi de Privileg. Eccles. artic. 26.*

Deliravit de more Spalatensis, cùm canonicas pœnas conversantium excommunicatis, aut extenuare, aut abolere omninò aggressus est. Primò quidem desipit, Excommunicationem iis inflictam ferendæ, non latæ sententiæ esse [B]: deinde Pauli V. censuras furentiùs insectando, apertiùs dementiam prodit suam, illiusque consuetudinis vitandæ obligationem omninò tollit, dum pro excommunicato habere *non est*, inquit, *abstinere à colloquiis, & conversatione, sed est extra Ecclesiam, & à cœtu fidelium abiicere* [C]. En quibus argumentis censuras violantibus se patronum præstat iste. Quid insulsius? Quid firmissimis Patrum regulis contrarium magis? Contradictionem hoc implicat, ut quis à cœtu fidelium abiiciatur, nec fideles absti-

(B) *Loc. cit. n. 29.*

(C) *Ibid. n. 34.*

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

abstineant ab ejus conversatione, & colloquiis. *Communicatio fidelium*, quâ excommunicatus privatur, *est duplex*, ait Thomas; *Quædam in spiritualibus, sicut sunt mutuæ orationes, & conventus ad Sacra percipienda*: *Quædam in corporalibus actibus legitimis* [A].

(A) *In Supplem. q. 21. art. 1.*

Cum ipsâ ferè fide statutum est excommunicati consuetudine Excommunicationem incurri, atque ipso facto incurri Sacris Canonibus edocemur: *Voluntariè se ipsum alienum à communione facit*, aliàs *seipsum alienæ damnationi tradet*, suprà memoratum Concilium Bracharense II. [B] loquitur. *Sciat se excommunicatum esse*, Vernense [C]. *Excommunicatus habeatur*, Turonense II. [D]. *Omnes ei communicantes ab Ecclesiâ abiiciantur*, Antiochenum [E]. *Si quis cum illo colloqui, aut convivari fuerit deprehensus, etiam ipse abstineatur*, Toletanum I. [F]. *Pari sententiæ teneatur obnoxius*, Lateranense II. [G]. *Cum eo communem Excommunicationis contrahit pœnam*, Canon. *Cum excommunicato* 11. quæst. 3. De latânè an ferendâ sententiâ Canones loquuntur? Verùm quidem est huic participantium cum excommunicatis pœnæ posteriorum temporum indulgentiori disciplinâ duplex moderamen adhibitum esse. 1. Quòd ad minorem tantùm Excommunicationem reduceretur. 2. Quòd nec minor Excommunicatio locum haberet, nisi participando cum publicè, atque nominatim denuntiatis, aut cum manifestis Clericorum percussoribus juxtà placitum Constantiensis Concilii à Martino V. Pontifice confirmatum. Firmissi-

(B) *Cit. Can. 15. Conc. Labb. tom. 5. col. 841.*
(C) *Cit. Can. 9.*
(D) *Cit. Can. 8.*
(E) *Cit. Can. 4.*
(F) *Cit. Can. 15.*
(G) *Can. 3.*

missimum tamen semper id fuit, ejusmodi pœnam facto ipso incurri.

Metus in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

Canon 2. citati Antiocheni, *Etiam ille*, inquit, *privetur communione*. Ex hoc arguit novator: sententia ergo ferenda est, non lata. Quàm bellè! *Communione privetur*, idem est ac non recipiant Fratres: Ad hoc autem quid sententiâ opus est? Res clariùs elucescit græcum Canonem consulenti; cujus contextus non communione privandum, sed *excommunicatum esse*[A], importat: καὶ τοῦτον ἀκοινώνητον εἶναι.

(A) *Ex Gentiani Herveti interpretat. Concil. Labb. t. 2. col. 562.*

Sed quid hæc proderunt, si cum schismatico hæreticoque insolentissimo res sit, qui universa Ecclesiæ jura, ubi non arrideant, ludibrio excipere non reformidat? Aliis armis agenda res est. Ethnicorum exempla obiicimus; quorum in vanas diras suas religio pudorem illi exprimere debuisset, si aliquem harum rerum habuisset sensum, nisi periisset omninò frons. Author est Euripides in Oreste, generalem legem apud Argos fuisse, ne quispiam commercium iniret cum iis, qui publicas detestationes meruissent.

Sancitum est porrò Argis hisce neque nos tectis,
Nec igne recipiendos, neque ALLOQUI *quêquã debere*
Matricidas.

De aditu, sermone, & communicatione quacumque, levi etiam tactu defugiendo ejus, qui Sacris arcendus fuisset, ita in Platonis[B] legibus cautum comperimus: *Si quis verò ex liberis hominibus cum tali viro, vel comederit, vel biberit, vel re aliâ quâcumque cum eo communicaverit, atque adeò si ei obviam*

(B) *Lib. 9. prope fine.*

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

obviam factus eum suâ sponte TETIGERIT, *neque* IN TEMPLUM INGREDIATUR, *neque in forum*, *neque omninò in urbem*; *priusquam* PURGETUR. *Putet enim se cum homine scelesto communicavisse*. Itaque quicumque diras illas non servasset, absque aliâ sententiâ & ipse tanquam diris devotus, & in impietatem lapsus habebatur; plectebaturque severissimè exilii specie quadam, templo, foro, urbe depulsus. Platonis testimonio Marsilii Ficini [A] observationem annectimus: *Ad impietatem etiam pertinet familiaritas, & communio omnis, seu in cibis, seu in verbis cum iis inita, qui ob nefaria scelera arcentur à Sacris; qui & contaminati* CÆTEROS QUOQUE VEL IPSA PROPINQUITATE CONTAMINANT.

Interdictos à Druidibus Cæsar testatur [B] ab omnibus religiosè vitatos, ne eorum impietatem alii pariter participarent; quæ contagis instar ipso commercio contraheretur: *Si quis aut publicus, aut privatus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, hi numero impiorum ac sceleratorum habentur. His omnes decedunt, aditumque sermonemque defugiũt, ne quid* EX CONTAGIONE INCOMMODI ACCIPIANT, *neque his petentibus jus redditur, neque bonos ullus communicatur*. De omnibus ferè gentibus eadem, aut similia literis scriptores prodiderunt: de Taprobane insulâ Plinius [C]: de Germanis Tacitus [D]: de Romanis passim alii, Plutarchus [E], Tullius [F], Livius [G], Horatius [H], Lucanus [I], Minucius Felix [K], idemque aliàs Plinius [L].

Quàm terribilis in Judaicâ Ecclesiâ Excommu-

(A) *In argum. in lib. 10. Platonis de leg. post princ.*

(B) *Bell. Gall. lib. 6.*

(C) *Hist. natur. lib. 6. cap. 22.*

(D) *Lib. 6. Hist. sive de Morib. Germ.*

(E) *In Crass., & in Alcib., & quæst. Rom. 44.*

(F) *De Divinat. lib. 1.*

(G) *Lib. 27. 36. et 40.*

(H) *Epod. od. 5.*

(I) *Pharsalia lib. 3.*

(K) *In Octavio pag. mihi 6. Qui dialogus creditus olim est lib. 8. Arnob. contra gentes.*

(L) *Lib. 28. cap. 2.*

municatio fuerit, doctissimus Morinus [A] ostendit. Hinc est quòd Christum *cum publicanis & peccatoribus manducantem* Pharisæi criminati sunt [B]. Nil credibilius quàm Platonem, aliosque gentilium Sapientes à Judęorum disciplinâ ejusmodi institutum accepisse: Etenim, *Quis Poëtarum*, ut Tertullianus ait, *quis Sophistarum, qui non omnium de Prophetarum fonte potavit* [C]? Libenter hìc in simili dicta à laudato Minutio Felice usurpem [D]: *Animadvertis Philosophos eadem disputare, quæ dicimus, non quòd nos simus eorum vestigia subsequuti, sed quòd illi de divinis prædicationibus Prophetarum umbram interpolatæ veritatis imitati sint .... ad propositum satis est, etiam in hoc Sapientes* Ethnicos *in aliquem modum nobiscum consonare*.

Metfis in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

Dum memoratis deliramentis agitatus Spalatensis ad Innocentii Decretalem accessit, quid ab eo, quæso, expectasses? De illius intelligentiâ non dubitat; sat clara ei visa est: Sed *Theologos, ac Canonistas*, qui *veram esse docent*, & *defendere volunt*, dicteriis proscindit, ac Pontificis censorem se gerit arrogantissimum. O sapientissime Innocenti, *Academiarum in Urbe, Parisiis*, aliisque locis, quibus literis bonisque artibus insudasti, decus primùm & gloria; deinde per hos doctrinæ, & virtutis gradus in Petri sedem evectus, Orbis universi Magister & Doctor: Qui *in ferendis sententiis tantùm sapientiæ, rectique specimen explicuisti, ut omnes admiratione tui percelleres*; unde ex remotioribus mundi regionibus ad Apostolicam Sedem *pro excipiendo in suis controversiis* arbitrio tuo confluere

con-

(A) *Exercitat. Eccles. lib. 2. exercit. 29.*

(B) *Matth. 9. v. 11., Marc. 7. v. 34.*

(C) *Apolog. cap. 47. Vid. hac de re idē Tertullian. ibid. cap. 18. & seqq., & ibi notata per Pamelium, Clem. Alexandr. 1. & 5. Stromat., Augustin. lib. 8. de Civitat. Dei cap. 11., Eufeb. de præpar. Evangel. init. lib. 11., & toto lib. 12., Minut. Felix loc. cit. pag. 28.*

(D) *Loc. cit.*

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

consuevere [A]: Qui tot Constitutiones, tot responsa edidisti, *& ea quidem tam cautè, doctè, ac luculenter posita, ut omnium jurisconsultorum judicio nihil possit decerni vel juri, & æquitati conformius, vel rectæ rationi, & honestati magis consentaneum* [B]: Nihil ergo tibi tot eruditionis, ac humanæ divinæque doctrinæ præsidia [C], nihil summi Pontificatûs authoritas profuit, ne ad flagrum ab inverecundo apostatâ vocareris? Sed inter eximias laudes tuas hæc quoque laus recensebitur illi displicuisse, à quo laudari probrum, vituperari gloria est.

(A) *Anonym. de gest. Innoc. III. in princ., Panuin. in vit. ejusd. Rayn. ann. 1198. n. 27.*

(B) *Gesner. in Bibliot. in Innoc. III.*

(C) *Alia Innoc. III. elogia vid. apud Rigord. in Philipp. Aug., Paul. Lang. in Chron. Citizensi ad ann. 1198., Authorē vet. catalog. PP. Roman. ex cod. 1437. Biblioth. reg. relat. à Baluz. epist. Innoc. tom. 1. post ejusd. gesta pag. 88.*

§. 2.

Doctorum sententiæ exquiruntur, conciliantur, & , siquæ contrariæ sunt, confutantur.

A Divo Thomâ utpotè aliorum antesignano exordium ducendum; & primò quidem videbimus, levenè, an grave crimen existimet excommunicatis communicare: deinde quomodo Decretalem interpretetur. Edisserens quodlib. 11. art. 9., quis directè, quis indirectè cum excommunicato participare censendus sit, *Directè quidem*, ait, is participare dicitur, qui communicat *in his quæ sunt fidelium, & sic ille, qui hoc modo ei communicat, peccat* MORTALITER. *Et hoc contingit tripliciter; putà si communico secum in* DIVINIS, *sicut si orem pro eo, vel audiam Missam cum eo, & in aliis*

spi-

ſpiritualibus. Item ſi ex contemptu, & hoc in quocumque communicat quis cum eo QUASI CONTEMNENS *mandatum Eccleſiæ, peccat mortaliter. Item quicumque participat ſecum in crimine, & in causâ. Indirectè verò communicat quis cum eo in his, quæ ſunt hominis, ſicut in verbo, in cibo, & in his, quæ ſunt ſimpliciter humanæ converſationis; & ſecundùm hoc non peccat mortaliter, ſed venialiter niſi fiat ex contemptu.*

Metûs in materiâ Excommunicationis excuſatio improbatur.

Diſertiùs Sanctus Doctor ſententiam ſuam circa gravitatem profani cum excommunicato conſortii aperit in 4. diſtinct. 18. art. 4., & in Supplement. quæſt. 23. art. 3., ubi problematicè quæſtionem retractat: *Reſpondeo dicendum, quòd quidam dicunt, quòd quandocumque aliquis participat excommunicato, vel* VERBO *vel* QUOCUMQUE DICTORUM MODORUM, *ſecundùm quos ei communicare non licet, peccat mortaliter . . . . ſed quia hoc videtur valdè grave, quòd homo pro* UNO VERBO LEVI, *quo excommunicatum alloquitur, mortaliter peccet . . . ideò* ALIIS *probabilius videtur, quòd non* SEMPER *peccat mortaliter, ſed ſolùm quando in crimine illi participat, vel in divinis, vel in contemptum Eccleſiæ.*

Qui lapis non ſit, ex his quæ Thomæ doctrina ſit, quàm lucidiſſimè videt. In humanis nempe cum excommunicato communicantem NON SEMPER *peccare mortaliter*; peccat enim venialiter, ſi UNUM VERBUM LEVE dixerit. At ſi QUASI CONTEMNENS mandatum Eccleſiæ communicaverit, aliud dicendum eſſe. Quis adeò ineptire velit, ut per illud QUASI CONTEMNENS eam impietatem ſubaudiat,

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

quam monstrosus ille Soti formalis contemptus importat, & non potiùs licentiam & frequentiam quandam communicandi?

(A) *Loc. cit.*

Si ita sanè Thomam intellexeris, optimè inter ipsum, & Divum Bonaventuram de causâ convenire comperies. En Bonaventuræ verba [A]: *Dicendum, quòd secundùm aliquos conclusio conceditur*, criminale nimirum esse etiam in humanis cum excommunicato communicare. In hâc ipse sententiâ non quiescit; ideoque subjungit: *Dicere quòd sit tantùm peccatum veniale* NON VIDETUR CONVENIENS, *cùm communiter parvam vim faciant homines in peccatis venialibus. Dicere iterum quòd* PRO QUOLIBET VERBO HUMANITATIS, *quod amicus amico dicit, peccet mortaliter, durum videtur: & ideo* DICENDUM, *qui communicat in actu exteriori in contemptum sententiæ, quòd tunc peccat mortaliter. Aut non communicat in contemptum, sed* TANTÙM RATIONABILITER TIMERI POTEST, *quòd sententia* VENIAT *in contemptum: adhuc credendum est eum* MORTALITER *peccare: Aut probabiliter creditur, quòd ex hoc* NUNQUAM *sententia contemnetur; & ipse cùm* TIMORE HOC FACIT, ET EX QUADAM AFFABILITATE, VEL SOCIETATE ALIQUA VERBA *præter necessitatem dicit, vel alio modo in casibus non exceptis communicat; tunc credendum est circa tales sententiam temperari. Unde si quis quærat, utrùm homo debeat magis dimittere* SE INTERFICERE, *quàm* ALIQUOD VERBUM *dicere; dico quòd si ex hoc in contemptum* VENIRET *sententia;* DEBERET *utique*. Subdit denique *venire in contemptum* sententiam oportere, cùm sæpius violatio iteratur. VIX POTEST

FRE-

FREQUENTARI SINE CONTEMPTU. Ut ad harmoniam canunt Sancti Doctores! qui veram sapientiam inquirunt; quibus differentibus nulli adblandiri, nullius gratia cordi est, sed divina caritas, & veritatis obsequium. Scires utrumque ejusdem Alensis, immò Crucifixi Præceptoris doctrinam ebibisse.

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

Tot autem distinctionibus opus non est, cùm de communione in Divinis agitur. Hanc numquam omninò gravi culpâ vacare, quin *per se malam* arbitratur Thomas [A], Magistrum suum in hoc sequutus, *qui non tantùm de communicatione in Sacris, sed absolutè de communicatione cum excommunicato loquens, ita* INTRINSECE MALAM *esse putavit, ut propter nullum metum licere possit*. Quod Suarius notat [B]. Septem verò Collegæ non contenti Thomam, ad commercium profanum quod attinet, à verâ ejus sententiâ detorsisse, semper leve crimen ab eo existimatum asserendo, hæc etiam, quæ de communione in Sacris docet, longè majori temeritate aut improbare audent: „Displicet nonnullis interpretatio Divi Thomæ, si in sensu generali recipienda sit:„ Aut quaque arte corrumpere: „Judicio nostro, cùm Sanctus Thomas ait, „*participantem cum excommunicato mortaliter peccare audiendo Missam cum eo*, intelligi debet notando verbum illud, *Cum eo*, quòd scandalum ferat, idest inducendo excommunicatum ad secum audiendam Missam, aut si induci se patiatur ad Missam cum eo audiendum in contemptum formalem clavium, Potestatis, ac jurisdictionis Ecclesiasticæ„.

(A) Cit. quodlib. 11. art. 9. ad 2.

(B) De Censur. citat. disp. 6. sect. 3. n. 1.

 Theo-

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

Theologos, & Canonistas se præstare hoc est, an Theologiæ,& Canonum eversores? Ut Thomę hâc in re verba eludantur, Canonum, Patrum, totiusque Ecclesiæ doctrina eludenda erit. Joannes Apostolus [A] præcipit, ne excommunicatus IN DOMUM RECIPIATUR. Can. 11. inter eos, qui Apostolici nuncupantur statuitur: *Si quis cum excommunicato*, LICET IN DOMO *preces conjunxerit, iste communione privetur*. Præcedenti Can. eadem exterior communicatio cum excommunicato in privatâ quoque oratione prohibetur. Quod Binius, Coriolanus [B], aliique notarunt. In suprà citato Can. *Sicut Apostoli* idem decernitur: *Qui* SALTEM IN DOMO *oraverit cum excommunicato communione privetur*. In Can. *Cum excommunicato* 11. quæst. 3. *Si quis cum eo* PALAM, AUT ABSCONSE LOQUUTUS FUERIT, *cum eo communem Excommunicationis contrahit pœnam*. Can. 2. Antiocheni: *Non autem licet communicare excommunicatis, neque cum his* PER DOMOS INGREDI, *& cum eis orare*.

De excommunicato defugiendo intelligens Christus Dominus, *Erue*, inquit, *eum, & proiice abs te* [C]. Apostolus verò, *Tollatur de medio vestrûm* [D], *subtrahatis vos* [E], *declinate ab eo* [F], *hos devita* [G], *alioquin debueratis de hoc mundo exiisse* [H]. *A communicatione orationis, & conventûs, & omnis sancti commercii* RELEGETUR, ait Tertullianus [I]. *Abstinuimus de Ecclesiâ* EFICIANTUR, Cyprianus [K]. DE ECCLESIA PELLITUR, *ut notatus ab omnibus erubescat*, Hieronymus [L]. *Exulatum* ABIGAS *ab orationibus tuis, & tamquam præconis voce* PROCLAMA REJECTUM .... *à precibus*.

(A) Epist. 2. vers. 10.

(B) In not. ad Can. 10. & 11. Apost.

(C) Matth. 5. v. 29.

(D) 1. Corinth. 5. v. 2.

(E) 2. Thessal. 3. v. 6.

(F) Roman. 16. v. 17.

(G) 2. Thimoth. 3. v. 5 Tit. 3. v. 10.

(H) 1. Corinth. 5. v. 10.

(I) Apolog. cap. 39.

(K) Epist. 39. alias 16. lib. 5., & epist. 62. alias 11. lib. 1.

(L) Citat. Can. Audi denique 11. q. 3.

bus EIICIAS, ET EXCLUDAS, Basilius [A]. Numquam finis esset, si omnia veterum Scriptorum testimonia congerere hic vellemus ad luculentiùs hoc argumentum illustrandum, ut nimirum fideles omnes, nedum excommunicatorum consortium non quærerent; verùm etiam omnes eos abhorrerent, omnes ut putrida membra & secanda fugerent; ut cum iis rationem aliquam inire, aut rem ullam contrahere nefas esset; nemo eos salutatione, nemo fratris appellatione, nemo convivio, nemo alloquio, nemo aspectu eos dignos judicaret; nec quisquam esset, qui modis omnibus non aversaretur, aut non extremè abominaretur, quò cogerentur hoc pacto excommunicati de emendatione suâ, & reconciliatione cum Ecclesiâ cogitare, & eò faciliùs eorum pertinacia vinceretur.

Metùs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

(A) *Epist.* 244.

Dicite modò, Glossographi præstantissimi, *judicio vestro* adducta quoque testimonia, ut Divus Thomas, erunt interpretanda? *Proiice, tollatur de medio vestrûm &c.*, idest ne inducas ad preces? Neque *in domo, neque per domos orare licet*, nec *palàm*, nec *absconsè loqui*, idest cum scandalo, & in contemptum Clavium? Si contemptum formalem, & scandalum requiritis, ut consortium etiam in Divinis cum excommunicato damnetis, oportet illud seclusis his circumstantiis innoxium opinemini. Quàm longè ergo erit vester iste error ab exploso Spalatensis errore? in hoc Spalatensem vos prætervehitis, quod is de communicatione in humanis tantùm loquitur: vos autem etiam in Divinis: An hanc illâ leviorem putatis? Profectò

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

ut ita credamus, argumento estis, dum „ Metu urgente, pronunciatis, poterunt fideles cum excommunicato communicare non solùm in Divinis; „ sed etiam in humanis „.

Ad Sotum modò nostra recurrat Dissertatio. Ut ipse Decretalis determinationem vel effugiat, vel convellat, negat *Sanctum Thomam eam opinionem tenere, ut usque ad metum mortis sit lex illa observanda*. Et quod multò majus est, idem de universis Theologis fabulatur, tametsi de communicatione in Divinis agatur. Qui utroque oculo captus sit, & per omne ætatis suæ tempus à Theologorum placitis vel audiendis abhorruerit, Soto hìc fidem adhibeat.

Quippe discrepare Theologi plerique à Canonistis videntur: sed facili quidem negotio ad concordiam revocantur. Canonistæ docent, Pontificem ad Sacrorum Canonum sensum, atque absolutè de communicatione cum excommunicatis loquutum, nedum de eâ quæ in Sacris, sed etiam de eâ, quæ in civilibus exercetur, esse intelligendum, & consequenter hanc quoque sub gravi culpâ prohiberi. Ex alterâ parte Theologis nullum de communicatione in Sacris dubium est; verùm de communicatione in humanis dissentiunt, non quòd eam semper venialem, sed quòd non semper mortalem esse contendunt. Venialem siquidem volunt, cùm quis non *frequentiùs*, non *quasi contemnens* excommunicato communicat, sed in casu aliquo *ex affabilitate, & societate quâdam leve aliquod verbum excommunicato dixerit*; ex quo nulla

suspi-

ſuſpicio eſt, *cenſuram in contemptum venire poſſe*, ut Divi Thomas, & Bonaventura diſputabant. Cæterùm, ſive de utrâque communicatione Decretalis accipienda ſit, ſive de eâ dumtaxat, quæ in Sacris eſt: ſive veniale, ſive mortale habeatur cum excommunicatis in humanis communicare, nullo metu excuſari apud omnes ferè in confeſſo eſt, cùm nullum peccatum etſi minimum propter metum utcumque graviſſimum licitum eſſe poſſit, dummodò metus ab extrinſeco, & ad hoc directè incuſſus ſit, ut ad cenſuræ violationem, & per hanc ad peccatum inducat.

Metûs in materiâ Excommunicationis excuſatio improbatur.

Ut autem hanc communem doctrinam eſſe probemus, ſingulorum ſaltem ex principalioribus Scriptorum placita in medium proferemus. Ita quantùm ſua Sotum obſervatio fefellerit, evincemus: ita ſeptem Theologos, & Canoniſtas Canoniſtarum, & Theologorum pariter præſidio deſtituemus, ex iis etiam, quos ipſimet, aut alii ab eorum parte appellant; quâ in re non poterant infeliciùs ſuis ſe armis confodere; meliùs partes noſtras obire. Dum de negotio hoc Doctores conſuluerunt, quam propinant opinionis perniciem, adduxiſſe neceſſe eſt, minimè verò ex eorum dictis deduxiſſe. Meminerint ergo qualem Hilarius [A] lectorem deſiderat. *Optimus*, inquit, *lector eſt*, *qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potiùs, quàm imponat, & retulerit magis, quàm attulerit; neque cogat id videri dictis contineri quod ante lectionem præſumpſerit intelligendum.*

(A) Lib. 1. de Trinit.

Non in uno, ſed in ſingulis tribus jam indicatis

Metas in materia Excommunicationis excusatio improbatur.

catis locis Capituli *Sacris* decisioni suffragio suo obsequitur Thomas. In quodlib. 11. art. 9., ubi voluit leve peccatum esse intra modum, quem suprà vidimus, in humanis cum excommunicato communicare, cùm sibi prædictum Capitulum objecisset: *Quædam Decretalis dicit, ubi consulebatur Summus Pontifex, utrùm possit participare excommunicatis, quòd hoc etiam pro vitando dispendio* MORTIS *non debet facere*, Hoc pacto respondet: *Dicendum, quòd Decretalis illa intelligitur de illis, qui directè communicant excommunicatis*. In 4. dist. 18. art. 4. ad 1. idipsum repetit: *Decretalis illa loquitur de participatione in divinis*. Neque verò Decretistarum interpretationem hìc ipse reiicit. In Supplem. quæst. 23. art. 3. ad 1., id tertiâ vice inculcatum invenies. Tum addit: *Vel dicendum est, quòd similis ratio est de peccato mortali, & de veniali quantùm ad hoc; quòd sicut peccatum mortale non potest bene fieri, ita nec veniale; & ideò, sicut homo debet priùs sustinere mortem, quàm peccet mortaliter; ita etiam, quàm peccet venialiter*. Vix ex posterioribus Scriptor est, qui Thomæ expositionem aut non sequatur, aut non referat.

Beatus Raymundus in Summ. lib. 3. tit. de Sentent. præcept. &c. §. 40., *Est expressa*, inquit, *Decretalis Innocentii, cujus verba hæc sunt*. Postquam autem integram Decretalem recitavit, hæc subdit: *Plerique tamen dicunt contrarium volentes blandiri peccatoribus, in stragem magnam, & periculum animarum*. Cavete, septem Collegæ, ne vos petat sagitta Raymundi ab arcu excussa. Eodem

loco

loco gloſſam ſuam aſſuit Joannes de Friburgo: *Hoc intelligunt quidam de metu, qui non cadit in conſtantem virum . . . . Magiſter tamen videtur hic ſentire, quòd nullus metus excuſat, quin communicans cum excommunicatis in* LOQUUTIONE, ORATIONE, ET SIMILIBUS *incidat in Excommunicationem minorem.* Utrumque ergo commercium tum ſacrum, tum profanum cum excommunicato nullo metu excuſari, nec Raymundus elinguis fuit in docendo, nec diſcipulus in ediſſerendo.

Metûs in materiâ Excommunicationis excuſatio improbatur.

Antoninus Summ. 3. part. tit. 25. cap. 1. ita ſcribit: *Si autem talis participatio* (cum excommunicato) *fieret per metum, ut quòd tyrannus cogit per metum mortis Sacerdotem celebrare, etiamſi culpa attenuetur per talem metum, nec tamen ſimpliciter excuſatur ſecundùm Hoſtienſem: ſed ſecundùm Guilel., & Hugonem metus, qui cadit in conſtantem virum excuſaret in hujuſmodi.* Ne putes, Antoninum hiſtoricè tantùm quæſtionem pertractaſſe, aliorum placitis enarratis, ſuo tamen ſuppreſſo: jam nos ſuperiùs adduximus alium Antonini locum, ab Adriano, & Soto ipſo allegatum; in quo ex propriâ loquitur opinione. Nunc autem tertium ſuperaddimus. Summæ ead. part. 3. tit. 29. cap. 1. §. 8., dum *excuſantia à culpâ & Eccleſiaſticis pœnis* enumerat, hæc habet: *Secundum eſt coactio, quæ ſi fuerit abſoluta, excuſat à totâ; ſi conditionata, excuſat à tantâ.* Coactio conditionata idem ac metus eſt. Quid ergo queris? Hiſtoricus hîc eſt Antoninus, an Dogmatiſtes?

Joannes de Friburgo, etſi in Summ. Confeſs.

lib.

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

lib. 3. tit. 35. quæst. 165. à Magistri sententiâ, quam iterum recenset, vel deflexerit, vel deflexisse videri possit, humaniorem Hugonis opinionem putans, quòd casus *necessitatis*, aut *utilitatis* communicationem in humanis cum excommunicato excuset; nihilominùs tamen à D. Thomâ nequaquã recedit: *Thomas*, & *Pe: respondent, quod Decretalis illa loquitur de participatione in divinis: vel dici potest quòd, sicut nequaquam mortale peccatum; ita nec veniale debet homo cõmittere metu mortis, eo modo debiti, quo debet veniale vitare*. Quod de Friburgensi dictum est, de Astesano [A] quoque dicimus. Uterque enim in Hugonis opinionem inclinat, qui de communicatione in humanis loquitur, & de metu intrinseco, minimè verò de illato ab extrinseco, ut infrà videbimus. Jo: Tabiensis [B], & Gabriel Biel [C] iisdem ferè verbis memoratæ D. Thomæ doctrinæ succinunt. Nec verò quidquam in contrariũ facit Tancredi [D], atque Sinibaldi Flisci [E], sive Innocentii sententia; qui communicare cum excommunicato in Divinis perinde habent, ac communicare in crimine, tametsi primoribus tantum labris rem attigerint.

(A) *Summ. Astes. lib. 7. tit. 11. q. 21.*

(B) *Summ. Tabiens. v.* Excommunicatio 8. *q.* 10.

(C) *In 4. sent. disp.* 18. *quæst.* 3.

(D) *Apud Ioann. de Friburg. loc. cit.*

(E) *In cap.* Si verè *de Sent. Excomm.*, *& in cap.* Sacris *de his quę vi &c.*

Goffredus Tranensis non longè multùm à Raymundi, & Alensis temporibus abfuit, sed cum eisdem convenit prorsus opinione [F], mortali enim vertit excommunicatum participare communionis etiam in humanis; & de hâc juxtà atque de communione in Divinis Decretalem accipit. Contemptum vetustissimi hi Summistæ aut non spectant, aut, si spectant, nil aliud per ipsum intelligunt,

(F) *Summ. tit. de Sent. Excomm.* 5. *ult. vers.* Quæritur.

gunt,

gunt, quàm *scienter* præceptum transgredi. Neque verò hanc ipsi somniarunt notionem, sed à Cap. *Si celebrat* de Cler. excomm., & à Can. *Excellentissimus* 11. q. 3. eruunt [A].

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

Displicuit horum sententia Joanni Andreæ [B], qui Theologis maluit, quàm Canonistis se adjungere, dum metum quidem nunquam excusare astruit, sed communicantem excommunicato in his tantùm sex casibus criminaliter damnat. 1. *Quando id facit in contemptum clavium*. 2. *Quando in contemptum Superioris, &* CONTRA IPSIUS MONITIONEM. 3. *Quando in crimine*. 4. *Quando ille excommunicatus erat cum participibus*. 5. *Quando in Divinis*. 6. *Quando* NIMIS FREQUENTER.

Fatetur Panormitanus [C] Joannem Andream cum cummuniori differere, *Sed ego*, ait, *multùm dubito, nam pro primâ opinione Goffredi &c.* MULTÙM *faciunt* JURA ... *Et si diceretur oppositum*, EVACUARETUR EFFECTUS EXCOMMUNICATIONIS. Ingeniosè ac doctè excogitata diversitatis ratio est, quam Panormitanus assignat inter periculum, quod ab ipsis rerum angustiis oritur, & quod ex intentione inducendi ad violationem offertur: *Ideò non excusatur in metu, sed in necessitate famis sic; quia maleficia distinguuntur voluntate in Cap.* Cum voluntate *de Sent. Excomm., & in l.* Qui injuriæ *ff. de furt.*; *Is autem, qui communicat excommunicato propter necessitatem famis, non agit communicare excommunicato, neque committere iniquitatem, sed* PRINCIPALITER *subvenire necessitati suæ. Is autem qui communicat propter metum, agit committere iniquitatem; quia*

(A) *Vid. concord. Can. hoc eod. cap. §. 1. Differt., & adducta cap. 2. q. 3., nec non Raym., & Alens. loc. cit.*

(B) *In cit. Cap.* Sacris *n. 10. & seqq.*

(C) *Ibid. n. 7. & seqq.*

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

quia ad hanc committendam impellitur, quam non debet ipse committere PROPTER MALUM CORPORIS. Hoc idem aliis verbis explicant alii, dum in primâ specie transgressionem *per accidens* dicunt: in secundâ verò *per se*. Verior tamen ratio est, quam aliàs [A] nos reddidimus, præcipuè ex justitiæ tutandæ; & publici boni conservandi obligatione, juxtà illud, quod ex Cypriano protulimus: *Actum est de Episcopatûs vigore, & de Ecclesiæ gubernandæ sublimi, ac divinâ potestate; nec Christiani ultrà aut durare, aut esse jam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas, atque insidias pertimescamus.*

(A) *Vid. dicta hac eadem par. 2. cap. 1. & 2.*

Nemo Adriano diligentiùs Capitulum *Sacris* de metu directè ad violationem extorquendam incusso interpretatur. In quæst. quodl. 1. ad 5. hæc habet. *Aliter tamen solvo textum, qui loquitur, ubi directè per metum agitur ad hoc, ut quis communicet excommunicato.* Eamdem interpretationem tradit in 4. tit. de Clavibus §. *Quoad materiam*; ubi Altissiodorensis, Antonini, Panormitani suffragia cumulat, & expendit, à Sacris Literis, & utroque jure rationes, & argumenta deducit, objectiones quascumque facili negotio dispergit.

Hinc ad aliam quæstionem progreditur, *Si non licet pro morte comminatâ communicare cum excommunicato, an ergo sit peccatum mortale.* Ubi secluso etiam contemptu, quem variè variis in locis intelligit, vix cunctabundus & hæsitans proferre audet, *non excedere metas venialis culpæ*, modò extrà Divina sit, *& ad horam, seu modicum tempus*. *Dubiam* ejusmodi *propositionem* appellat, quia nempe

nempe *ex communione nostrâ excommunicatus animatur ad pertinaciam*, VEL *per nostræ societatis abstractionem confusus resipisceret*, VEL *deterrerentur alii à simili delicto*, VEL *nostro exemplo agendi vilipenduntur claves Ecclesiæ*. Utcunque tamen se res habeat, neque in minimis culpis metûs patrocinium admittit Adrianus: *Sequitur quòd nec pro metu ad hoc elicito liceat* QUODCUMQUE *aliud præceptum præterire*, QUAMVIS LIGET AD VENIALEM. Dicam uno verbo, testem infensiorem non habent Adversarii.

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

Angeli Clavasii sententia verb. *Excommunicatio* 8. num. 18. subobscura videri potest, nisi alter ejus locus, ut ipsemet monet, in verb. *Caritas* §. 5. consulatur; ubi in eo tantùm discrepat ab Adriano; quòd hic autumat, dum mortis metus ad censuræ violationem extorquendam infertur, præceptum naturale, quo ad vitæ conservationem tenemur, ex vi caritatis elidi, ne justitiam deseramus: *Caritas solvit & elidit præceptum conservandi vitam, cùm ad justitiam promovendam utilis fuerit mors hominis. Convenienter ergo solvitur argumentum, quòd hoc casu præceptum illud majus non concurrit cum minore* (hoc est, præcepto humano censuram observandi) *sed perdit vim suam ex inclinatione caritatis ad contrarium* [A]: Angelus verò multò severiùs opinatur, caritatem ipsam obligare in eo casu, ne legem, aut censuram transgrediamur. Itaque qui metui cedit, juxta Adriani sententiam unum tantùm peccatum committit, nimirum adversùs legem, aut prohibitionem humanam, quæ in suo robore manet, præcepto naturali vitam

(A) *In 4. cit.* §. Quo ad materiam.

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

servandi per caritatem eliso: juxta Angelum verò duplex peccatum committit, & contra humanam prohibitionem, & contra dilectionis præceptum. Cùm enim quæsiisset, *Utrùm homo teneatur* EX CARITATE *subire mortem, Responde*, ait; *secundùm S. Bonaventuram* (in 3. distinct. 27. quæst. 11.) *Aut adest necessitas vel deserendi justitiam, aut omittendi vitam; & sic quilibet* TENETUR *magis mori dilecto Deo, quàm* EO OFFENSO *vivere. Et hoc dico, si datur optio, vel quòd justitia deseratur, vel quòd vita perdatur. Addo quòd, cùm quis videt, quòd per mortem suam potest fides servari*, VEL JUSTITIA, *& persecutio non est personalis, sed universalis, tunc tenetur* DE PRÆCEPTO *sustinere mortem*. An non pro *justitiâ servandâ* certat qui pro Ecclesiæ judiciis servandis patitur? An non *universalis persecutio* est, cùm laicis pariter, ac Clericis integri Regni minæ, & sævitia intentatur, ut Ecclesiasticas censuras conculcent? En quod denique concludit Clavasius: *Unde Prælatus tenetur se morti exponere, quando videt quòd ex fugâ suâ sequetur dispendium in fide*, VEL IN JUSTITIA IN ECCLESIA, *& similiter* QUILIBET, *sicut fecit S. Thomas Cantuariensis*.

(A) *Summ. Armill. v.* Excommunicatio 6.

(B) *Instit. moral. lib.* 1. *cap.* 11.

Bartholomæus Fumus[A], & Joannes Azorius[B], pariter ut de aliis vidimus, Adversariis ipsis negotium facessunt. Primus, etsi indiligenter satis quæstionem, neque in suis circumstantiis agitet, Divos tamen Bonaventuram, & Thomam duces sequitur. Secundus congruam adhibet distinctionẽ. Si metus intrinsecus sit, tunc excusare voluit Azorius: *Si quis fame, aut extremâ inediâ laboret, potest*

cibum

cibum quærere inter homines anathemate affectos. Aliud tamen juris esse docet, *si quis metu mortis imperaret, ut Sacerdos Missæ sacrificium faceret coram aliquo, qui esset notoriè excommunicationis vinculo obstrictus.*

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

Licèt Suarius inter eos imprimìs sit, qui in septem Collegarum tractatu, ejusque corollario utramque faciunt paginam, nesciam tamen an confutandus nobis hìc veniat, vel à contradictionibus vindicandus. Utrum ipsi velint, præstare parati sumus. Equidem sublimioris ille ingenii Theologus obviam Capituli *Sacris* interpretationem eam esse, quam defendimus, rectè notavit[A]. At, cùm ex una parte non germanam Pontificis mentem, & negotii, in quo respondit, conditionem, resque circumstantes ex antiquis collectionibus, & monumentis, ut par erat, pervestigare curasset; sed totus contrà fuisset in diversis recentiorum opinionibus conquirendis, qui à primis Magistris, captiosis & garrulis argumentis, recedendo, in sensus adeò varios Decretalem distraxerant, ut integri libri, quo singulorum placita recenseret, exploderetque, materiam *Fœderico Surdo*[B] præbuerint: Ex alterâ verò, cùm nec ipse se omninò castum integrumque ab aliorum contagione servasset, & nonnihil in hisce rebus propriæ indulgeret subtilitati, in verâ interpretatione constans non fuit; & quoties ad Decretalem considerandam se contulit, toties novam expositionem adduxit. Quinque nos hìc illìc per ejus opera traditas numeravimus[C]. Usque eò nulla ex illis ei quadrare videbatur.

(A) *De leg. lib. 3. cap. 30. n. 19.*

(B) *Repetit. celeberr. cap.* Sacris *edit. Bonon. ann. 1606.*

(C) *De leg. loc. cit., de censur. disput. 6. sect. 3. num. 10., & seq., & disp. 15. sect. 2. n. 13.*

 Ni-

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

Nihilò tamen minùs in tanto opinionum & suarum ipsius, & aliorum conflictu, & confusione, ex quâ nemo ita facilè se extricasset, eximius vir pertingit ad veritatem. Toties commemorata distinctio inter metum ab intrinseco, & à rebus ipsis provenientem; ac metum ab extrinseco incussum, ab eo nimirum, qui legis aut censuræ observationem impugnare conatur, minimè Suarium latuit; quinimò sæpiùs iterando ingerit, & ex eâ generalem regulam constituit, tunc metum non excusare, cùm directè ad violationem extorquendam intenditur: etsi ab hâc re aliquantulùm implicandâ non penitus abstinuerit. Antiquiores Doctores pro inconcusso habuerant, metum ab extrinseco, & directè ad censuræ violationem intentum *non excusare*. Suarius de suo addidit, *regulariter*. Quid aliud hoc est, quàm regulam illam firmissimam disputationis discrimini exponere?

Hâc ipsâ tamen Suarii sententiâ suam meticulosi Clerici non effugiunt damnationem: corruit enim *proverbium*, in quo defensionem constituunt, stante ex adverso regulâ, censuram violantes metu ipsis facto non excusari. Neque verò, dum hæc disputat, formalem contemptum, sed materialem tantùm requirit; ideoque vult eo casu metum non excusare, non quòd ex odio Religionis inferatur; sed quòd in Potestatis despectum redundet, & gravissima ex eo injuria legi, aut censuræ irrogetur [A]: *Extrinseca coactio, cùm ex directâ intentione inducat ad transgressionem legis*, NATURA SUA *majorem vim infert ipsi legi*, & QUASI INJURIAM

(A) De censur. disp. 6. sect. 3. n. 13.

QUAN-

QUANDAM: *altera verò necessitas, quæ ex ipsis rebus oritur, non ita directè infertur propter transgressionem legis.* Idipsum rursus is explicat [A]: *Quando verò metus infertur posteriori modo* (idest, ab extrinseco) *regulariter non excusat, quia* CEDIT *in contemptum Fidei, vel Religionis.*

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

(A) *Lib.3. de leg. cap. 30. n.9.*

At suspectus judex in hâc est causâ Suarius, qui pro Pauli V. Interdicto scripsisse fertur. An exceptioni erit in controversiâ Ecclesiasticâ ab Apostolicâ Sede stetisse? Sed qui sunt testes, quibus suspicio figitur? Rem quidem narrat Antonius Ignatius de Scamps [B], & ex hujus fide Philippus Alegambe [C], qui manuscriptum in Bibliothecâ Barberinâ extare voluerunt. Sed utrumque deceptum fuisse oportet. Manuscriptum in Barberinâ Bibliothecâ reconditum, tantùm abest ut ad illam controversiam pertineat, ut sexennio antè fuerit exaratum, & de materiâ prorsus ab Interdicto diversâ inibi agatur. Quod dicitur ergo, perperam omninò dicitur.

(B) *In vit. Suarii par.3. cap.10.*

(C) *In Bibliot. Scripp. Soc. Iesu in Suar.*

Suario Sanchium subnectimus. Ut Suarius antiquiorum doctrinam, ita Sanchius Suarii enervare conatus est, dum regulam ab illo traditam laudat quidem, sed rem iterum ad formalis contemptûs casum videtur reducere, tali innixus rationi: *Ecclesiæ non est tanta potestas ad obligandum cum eo rigore in legibus communibus, vel quia, etiam si sit, ex suavi tamen, & prudenti providentiâ non utitur, nec ad commune bonum pertinet, ut illâ utatur* [D]. Id ipse ad verbum à Suario in tractatu de censuris [E] transcripsit, minimè advertens, quòd eam

(D) *In Decalog. lib.1. cap.18.*

(E) *Disput. 6. sect. 3. num.8.*

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

opinionem Suarius, re diligentiùs perpensâ in tractatu de legibus [A], quem pòst deinde commentatus est, retractavit: *Dicendum est primò, non deesse potestatem in Magistratu civili, & idem* A FORTIORI *de Ecclesiastico ad obligandum suis legibus & cum periculo vitæ, si necesse sit. Sententia est communis, & mihi certa.* Unde cautior factus Suarius pedem retulit, ibi Sanchius oscitanter fixit.

A Cajetano semel atque iterum quæstionem excitatam observamus [B]; & utrâque vice, non tantùm aqua igni, aut ignis aquæ, quãtùm ipse Adversariis contrastat, qui duobus hisce locis nil pensi habitis tertium [C] indicant. Si quæ ibi de contemptu formali Cajetanus differit, rectè considerentur, notionem ab ipsis traditam evertunt planè: sed citra fastidium non potest hujusmodi res ulteriùs refricari.

Occidit miseros crambe repetita Magistros.

Quorum placita expendenda restant, aut dubia sunt, aut si contraria, flocci omninò pendenda. Sylvester [D] in utramque partem refert opiniones. Adversùs Henricum de Segusio, *Ostiensem* dictum, inter primos nostrarum partium authores (qui *Auream Summam utriusque Juris*, & *Expositionem in Decretalium libros* non multò antè editos exaravit, tantam scientiam & existimationem adeptus, ut *Fons & Splendor Juris* denominari meruerit) Hugonem, & Friburgensem allegat; quorum neuter refragatur. Capitulum *Sacris* de participatione directâ intelligit [E], quæ procul dubio communicationem in Divinis amplectitur [F], unde

(A) *Lib. 3. cap. 30. num. 4.*

(B) *1. 2. cit. quæst. 96. art. 4., & 2. 2. q. 125. in princip.*

(C) *In Summ. verb.* Contemptus.

(D) *Verb.* Excommunicatio 5. q. 14.

(E) *Verb.* Metus q. 7.

(F) *D. Thom. cit. quodl. lib. 11. art. 9.*

unde Suarius[A] Sylvestrum vix in contrariam opinionem *inclinare* notat. Covarruvias[B] autem ab eorum parte, qui Decretalem de communicatione in Divinis, vel in crimine explicant, cum allegare nil hæsitavit.

Navarrus pluribus in locis[C] controversiam attingit; sed nusquam in propriis terminis, in quibus à nobis proposita est, resolvit. Præterea licèt non infimæ notæ is Doctor sit, in hâc tamen signanter censurarum materiâ inter morales Theologiæ relaxatores à Comitulo[D] recensetur.

Didacus Covarruvias, ut in aliis scriptis, ita in cap. *Alma Mater* labe immunis non fuit: laudari hoc opus meruit à novatoribus eo imprimis titulo, quòd *utrùm Interdictum censuræ nomine venire debeat, & valdè ambegerit, & negarit prorsùs*[E], contra expressam Innocentii III. Decretalem[F]. Quidquid autem de hoc sit, ad rem nostram quod attinet, nemo qui integram Didaci disceptationem excuratè percurrerit, illi sibi fidendum putabit. Primò enim veriorem sententiam exponit fusè, & sectari etiam videtur[G]: adeò validis eam argumentis confirmat: *Metus autem mortis non tollit malitiam actûs in hâc prohibitione communicationis cum excommunicato; nec eam cessare facit; nam, licèt metus instet, nibilominus ipse communicans cum excommunicato consentit in illam communionem probibitam, & in peccatum: qui quidem consensus adesse nequit absque malitiâ, quam habet communicatio cum excommunicato; cùm coacta voluntas voluntas sit.* Quid disertius, ut causæ nostræ faveret, dicere potuis-

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

(A) *De leg. loc. cit. num. 2.*

(B) *In cap.* Alma Mater *p. 1. §. 3. num. 9.*

(C) *In cap.* Inter verba 11. *q. 3. in prælud. n. 4., in Manual. cap. 27. n. 36., in Summ. verb.* Excommunicatio *n. 5.*

(D) *Confut. del lib. de' 7. Teologi proposit. 17. pag. 119.*

(E) *Vid. Ziegl. de Episc. lib. 3. cap. 52. n. 10.*

(F) *Cap.* Quærenti *20. de V. S.*

(G) *Loc. cit.*

Metùs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

tuisset? Sed statim è manibus effluit, novamque interpretationem recenset de communione *in Divinis, vel in crimine, & his similibus*; quam iis rationum momentis suffulcit, ut veriorem ab ipso haberi arbitreris. Mox tamen aliò confugit, tertiamque Decretalis explicationem in medium profert, quæ ex adverso allegari solet. Postremò iterum ad secundam interpretationem inclinare, in eaque videtur quiescere. Quapropter Suarius[A], qui benè Covarruviæ disquisitionem excusserat, eum vel inconstanter loquutum, vel pro communi sententiâ cum Adriano, aliisque sensisse arbitratur: *Idem tandem tenet Covarruvias dicto §. 3. num. 9. referens aliquos, quamvis aliis locis infrà citandis vel hoc limitare, vel non satis consequenter loqui videatur*. Alium Covarruviæ locum ex epitome IV. Decretalium[B] nos addimus, ubi communi sententiæ longè clariùs astipulatur.

(A) *De censur. citat. disput. 6. sect. 3. n. 1. in fin.*

(B) *Par. 2 cap. 3. §. 4. num. 3.*

Eò tandem devenimus, ut certos, iuratosque formidolosorum fautores compertos habeamus. Qui autem ii sunt, vel quàm multi? Joannes Major, & sæpissimè laudatus Sotus. *Vel duo, vel nemo turpe, & miserabile*. Opinionis istorum ortus, & progressus, quantùm nobis observare licuit, est exponendus. Joannes de Friburgo, qui per initium XIV. seculi floruit, adversùs Raymundum, qui communicationem cum excommunicato neque in humanis, neque in Divinis metu gravi excusari docuerat, Hugonem tantùm allegat. Divus Antoninus, qui sub medietatem XV. seculi claruit, Hugonem, & Gulielmum. Quisnam fue-

fuerit hic Hugo, penitus latet. Doctissimus Antonius Augustinus [A] id tantùm de eo prodidit, *eumdem esse qui H. notatur in scholis*. Baluzius [B] *vetustissimum interpretem* nominat. Mastrichtius [C] Vercellis natum, & Ferrariæ Antistitem facit; sed utrumque perperam. Tres Ugones fuerunt in Sede Ferrariensi, sed nemo ex iis noster [D]. Ugo Vercellensis diversus etiam est, ut longè priùs Gesnerus [E] distinxerat, qui candidè viri conditionem se ignorare fatetur; atque ita nos jussit, ne ulteriùs de eo inquireremus. Nec nomen certum est, dum modò Hugo, modò Hugutio, vel Uguccio citatus legitur. Id tantùm scimus, glossas in Gratiani Decretum scripsisse; quas ferè integras in suas transfudit Turrecremata: qui, quæ ejus doctrina fuerit in Can. *Quoniam multos* 11. quęst. 3. (quem locum Doctores allegant) ibidem fusè edisserit. In verb. *Simplicitate juris* hæc habet: *Quia licèt sciant*, CREDUNT *tamen sibi licere, & non esse peccatum* TIMORE DOMINICO, *vel patriæ potestatis; aliter non videntur excusari, qui timore communicant;* QUIA DEBENT POTIUS MORTEM ELIGERE, QUAM MALO CONSENTIRE, HUGO. Paulò verò post: *Similiter dico, quòd* PATER TENETUR *filium excommunicatum vitare, nisi accipiat ab eo alimenta, vel ei tribuat, cùm de facili iste, vel ille non possint habere aliunde*, HUGO. Deinde: *Licitè ergo indigens accipiet eleemosynam ab excommunicato, & datur indigenti*, HUGO. Denique: *Licitè potest quis hospitari excommunicatum, qui ad Papam vadit absolvendus, & ei vendere, & præstare necessaria tantùm*, HUGO. Quis hinc non videt

Metus in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

(A) *De emendat. Gratiani lib. 2. dialog. 9.*

(B) *In not. ad citat. Augustin. loc.*

(C) *Histor. Iuris Eccles. n. 334.*

(D) *Vid. Ugh. in Ital. Sacr.*

(E) *In Biblioth. t. 1.*

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

videt, Hugonem de communicatione in humanis, & metu intrinseco tantùm fore intelligendum, atque eos solos excusasse, qui à Gregorio VII. excepti fuerant; quin ne patrem quidem cum excommunicato filio conversantem, nisi alimentorum ab eo accipiendorum necessitas urgeat, culpâ immunem existimasse? Cęteros *debere potiùs mortem eligere, quàm malo consentire*.

Gulielmum, Ochamum videlicet, virum ardentissimi ingenii fuisse, nec tam ad veritatem assequendam, quàm ad dissidia natum, venalemque Theologum se gessisse, potentioribus nil veritum scriptis suis velificari, etiam cum Religionis discrimine, constans Scriptorum judicium est. Cùm regius Professor esset in Academiâ Parisiensi, in exortâ tum controversiâ adversùs Apostolicã Sedem operam suam navavit. Sed anathemate à Pontifice perculsus, nec ampliùs tutum in Galliâ stabulum habens, ad Ludovicum Bavarum, excõmunicatus ad excommunicatũ, dignumque tali patellã operculum, ita eum interpellans confugit: *O Imperator defende me gladio, & ego defendam te verbo*. Ab eo libentissimè exceptus Joanni Janduno Perusino, ac Marsilio de Menandrio Patavino notissimis hæreticis se adjungens ita scriptionibus suis in Joannem XXII. debacchatus est, ut à Pontifice hæresi notatus meruerit denuntiari[A]. Cùm talis Ochamus fuisset, & adeò tam ob propriam, quàm alienam causam excommunicationi infensus; nihilominùs Capitulum *Sacris* de communicatione in Divinis intelligendum esse non dubitavit[B]: *Innocen-*

(A) *Briet. in Chron. ann.* 1324., & 1328., *Tritem. in Chron. Ducum Bavar.*, & *de Scripp. Eccles.*

(B) *Dialog. part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 67. *apud Gold. in Monarch. tom.* 2. *pagin.* 730.

centius III. in Decretali prædictâ de communicatione CORPORALI *nullam facit penitùs mentionem. Et ideò pro morte vitandâ licitum est cuique excommunicato communicare* CORPORALITER. Fusè non multò antè [A] probaverat, communicantem in Divinis neque *metu mortis* mortale peccatum evadere; unde Adrianus [B] cum Divo Thomæ adjungit: *Nam, ut dicit Thomas dist. 18. in 4., & Ocham 1. part. Dialog. quæst. 16.* [C] *Capitulum illud loquitur de participatione in Divinis*. Itaque in eo tantùm Ochamus à Divo Thomâ discessit, quòd hic etsi definitionem Capituli *Sacris* de communicatione in Divinis intellexerit; idem tamen dicendum voluit de communicatione in humanis: Ochamus verò in humanis metum excusare arbitratus est.

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

(A) *Ibid. cap. 60. pagin. 729.*

(B) *In quodl. 1. ad 5.*

(C) *Falsa hæc allegatio est, quam ex modò notatâ restitues.*

Jacobus Almainus, qui pariter in Sorbonâ professor fuit, & adversùs Apostolicam Sedem cum Cajetano decertavit; unde Flacio in suo *catalogo testium veritatis*, rectiùs dicas falsitatis, dignus visus est, qui recenseretur; in eadem Ochami vestigia ingressus est [D]: *Timor cadens in constantem virum totaliter excusat peccatum in his, quæ mala sunt, quia lege humanâ probibitâ; unde dicit Ocham in Dialogo, quòd communicans cum excommunicato* IN ACTIBUS CIVILIBUS *propter metum cadentem in constantem virum non peccat.*

(D) *De Volunt. cap. 3. propos. 4.*

At quia opinionum pestes serpunt primò leviter; mox adeò se attollunt, ut ad extrema deveniant, Joannes Major, qui perequè ac Almainus, & Ochamus in Achademiâ Parisiensi, atque adversùs Romanæ Sedis authoritatem certavit [E], utrumque

(E) *Vid. ejus Dissert. contra Pontif. authorit. inter opera Gerson. tom. 1. pag. 876.*

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

(A) In 4. distinct. 18. quæst. unic. petit. 8.

que temeritate, ac protervia hâc in re anteivit[A]: *Si* (metus) *fuerit cadens in constantem virum* OPINIONE MEA *talis non est excommunicatus, sive participet in Divinis, sive extra Divina; nec Cap.* Sacris *in præfatâ rubricâ est in oppositum: fugere ab isto, est constitutio humana: ut reor in articulo mortis, vel salvandæ vitæ non obligat: non intendit me Ecclesia in illo casu excommunicare, nec intendere debet.* Seculo XVI. claruit Major, nec tamen ex tot Theologis, & Jurisperitis, qui eum ab Innocentii III. ævo præcesserant, unum habuit quem allegaret: *opinione meâ*, dixit, non aliorum. Insuper non obligationem injunctam, sed obligandi potestatem in Decretali desiderat: *ut reor non obligat*. Interpretatio hæc est, an purum putum venenum?

Ab eo tamen Sotum, qui paulò recentior Majore fuit, malè sibi cavisse comperies, si duas partes ejus disquisitionis conjungas. Una est: *Dubium tandem hìc præcipuum restat, utrùm metus mortis hominem excuset, ut citra peccatum liceat cum quocumque excommunicato communicare; & causa dubitandi est*, QUIA VIDETUR INNOCENTIUS *Cap.* Sacris *de iis quæ vi metusque causa fiunt* PARTEM NEGATIVAM DEFINIRE. Altera verò: *Neque Sanctus Thomas in 4. ubi Cap.* Sacris *citat, neque ullus Theologorum illam opinionem tenet, ut usque ad metum mortis* SIT LEX ILLA OBSERVANDA. Quid hoc est de Decretali interpretandâ, *an observandâ* contendere? Pontificis intentionem inquirere, an authoritatem in controversiam vocare? Ut aliquid supra Joannem Majorem de suo adderet Sotus, non solùm obligationem

nem

nem servandi Decretalem sustulit; sed præterea consultiùs aliquando eam non observari desipuit.

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

Innocentianam ergo definitionem, Divinis oraculis, Conciliorum statutis, prædecessorum Pontificum decretis, atque Ecclesiæ praxi, & communi persuasioni adamussim respondentem, ut suprà ostendimus, Jurisconsultissimi Raymundus, Ostiensis, Goffredus, Panormitanus, cæterique omnes Jurisperiti: Alexander Alensis, Divi Thomas, & Bonaventura (quos duos potissimùm gloriosos Doctores schola omnis reveretur) Antoninus insuper, Adrianus, Cajetanus, aliique scholastici omnes, & scholasticorum prima, atque clarissima capita & favorabili expositione interpretati sunt, & venerabundi exceperunt. Sotus tantùm, & Major non tam à vero sensu avertere, quàm evertere omninò conati sunt. Quid aliud ergo erit horum absonam opinionem pro communi Jurisperitorum, ac Theologorum sententiâ venditare, quàm nugas meracas venditare? Quid aliud, detortum utriusque placitum cum sanâ cæterorum omnium doctrinâ in unam allegationem congerere, quàm lolium & avenam cum tritico, urticam cum rosis, allia cum nardo confundere ac permiscere?

An è recentioribus alii, ex Casuistis præsertim, quibus vel unius Doctoris dictum firmissimæ rationis vice est, post Majorem, ac Sotum sese demiserint, nulla cura nos afficit vestigandi. Equidem nonnullos indicant septem Collegæ. At si

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

Suarius, Azorius, Gonzalius, aliique, quos patronos præcipuos appellarunt, hostes eis infensissimi detecti sunt, quid de aliis dicendum erit? Inter tot, qui de morali disciplinâ agere aggressi sunt, fortè non deerunt qui incautè eidem succinant opinioni. Hos tamen ex iis esse oportet, quos *Theologos ascriptitios* doctissimus Canus [A] appellat: *Qui universas quæstiones theologicas frivolis argumentis absolverint, & vanis invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes ediderint in Theologiam commentaria vix digna lucubratione anicularum, & cùm in his sacrorum bibliorum testimonia rarissima sint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis Sanctis oleant, nihil ne ex gravi philosophiâ quidem, sed ferè è puerilibus disciplinis: scholastici tamen, si superis placet, Theologi vocantur. Nec scholastici sunt, nedum Theologi, qui sophismatum faces in scholam inferentes, & ad risum viros doctos incitant, & delicatiores ad contemptum.* Prætereunda non est ea causa, quam vir præstantissimus addit, cur hujusmodi Theologi persæpè longissimè à recti tramite, verâque disputandi ratione aberraverint: *Tum optimè disseruisse se putant, cùm contra doctiores dixerint, ut non tam verum invenisse velle videantur, quàm adversarios convincere; concertationibusque, & rixis totas chartas implere.* Hos quidem neque adversarios moramur, nec adstipulatores quærimus.

(A) De loc. Theolog. lib. 8. cap. 1.

§. 3.

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

§. 3.

Communis, & vera Capituli Sacris *interpretatio ab ejus historiâ, & occasione confirmatur.*

SED quid iis faceres, qui doctissimorum virorum authoritati non acquiescunt, rationum vim versatili ingenio ludificant, & non Decretali opiniones suas, sed opinionibus Decretalem accomodare satagendo, varias ejus interpretationes effutiunt pro suo cujusque libito comminiscentes, Pontificem de metu levi, de metu ex contemptu formali Ecclesiæ & odio Religionis incusso, de communicatione in crimine, vel in Divinis dumtaxat loquutum, neque ullo pacto ejus responsum communicationem in humanis spectare? Ludicræ speculationes hæ sunt, quibus nullus supererit locus, si negotium, quò Decretalis attinet, ab oblivione & tenebris vindicabimus.

Id ipsum præstare tentarunt septem Theologi, & Canonistæ, sed omninò infeliciter, ad Anglicum eam referentes Interdictum. Quid ad Nidrosiensem Archiepiscopum, cui Decretalis data est, de eo Interdicto consulere faciebat? Num Norvegia, ubi Nidrosia sita est, in Angliam transmigraverat?

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim?

Ad Gonzalii judicium ipsi provocant: verùm clarissimi viri crassior & patentior lapsus non sequendus fuerat, sed emendandus.

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

A Norvegiæ ipsius historiis,& Innocentii III. gestis lux, quantamcumque exoptes, Decretali explicandæ affulget. Suerus Tyrannus Norvegiæ coronam legitimi hæredis sanguine stillantem rapuerat; ac crudelitate dirissimâ, qui ejus tyrannidi resisterent, exercebat: alios ferro prostraverat, alios in exilium exegerat, nonnullos etiam suis fraudibus circumvenerat;ut enim pios ad obsequiū alliceret,Cælestini Pontificis literas adulteraverat, inque sui favorem corruperat; licèt verò in omnes nullo conditionis discrimine ferociret; maximè tamen in Ecclesiasticos immanem se gerebat. Ad reprimendam ejusmodi afflicti illius Regni procellam Apostolicâ solicitudine Innocentius exurrexit, & nedum à piorum cœtu Suerum abegit, Oratoresque, quos is Romam legaverat, repulit; sed insuper Nidrosiensi Archiepiscopo, aliisque Norvegiæ Præsulibus provinciam injunxit, ut terras, quæ Tyranno parebant, Interdicto percellerent, defigerent anathemate, qui se illi immiscerent, aut ejus partes quoquo modo sequerentur; literasque Apostolicas, quas depravaverat,adulterinas pronunciarent. Principum etiam opem adversùs eum imploravit, ad Daniæ, ac Sveciæ Reges literis missis. Rem totam ab Innocentii epistolis hausimus[A], ab ejusdem Pontificis vitæ Scriptore[B], ab Alberto Crantzio[C], à Spondano[D], ac denique à Raynaldo[E]; in quo tamen id emandatione indiget, quòd Clementis falsatas epistolas dicit, cùm fuerint Cælestini III. Innocentii prædecessoris[F].

(A) *Epist.381., 382., 383., 384. lib.1., et epist.73. lib.14. alias lib. 2. reg. 14.*

(B) *Num. 59. edit. Baluz.*

(C) *Norveg. lib. 5. cap.13.*

(D) *Ann.1198.n.11.*

(E) *Ann. 1198. n. 7. & seqq.*

(F) *Vid.cit.epist.382. Innoc.III., ibique notata per Baluz.*

Au-

Audiamus Pontificem ipſum de Sueri ſævitiâ peracerbè conquerentem, dum Nidroſienſi Archiepiſcopo, univerſis Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis in Norvegiâ conſtitutis memoratas Interdicti, & Excommunicationis ſententias mandat promulgandas [A]: *Uſque adeò in vos, & totum Regnum Norvagiæ tyrannica Sueri crudelitas, & violentia deteſtanda prævaluit, ut & Regnum nec electione Principum, prout accepimus, nec ratione ſanguinis occuparit, & in viros Eccleſiaſticos ipſe quondam Eccleſiaſtico (ſicut dicitur) functus officio debacchetur, Eccleſias opprimat, Clericos perſequatur, affligat pauperes, & ſæviat in potentes . . . . Ne autem ejus perverſitas deſæviat diutiùs in inſontes, Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenùs Norvagiæ populum diligentiùs moneatis, ne ipſum ulteriùs* SEQUI PRÆSUMANT, *aut ei* PRÆSTARE AUXILIUM, VEL FAVOREM: *alioquin* UNIVERSOS SEQUACES IPSIUS *Excommunicationis nuncietis ſententiâ innodatos, & claudentes Eccleſias, & nullum in totâ terrâ Norvagicâ, quæ ipſum* SEQUITUR, *Sacramentum Eccleſiaſticum præter Baptiſma parvulorum, & Pœnitentias morientium celebrantes fautoribus ejus decedentibus ſepulturam Eccleſiaſticam denegetis.*

Metûs in materiâ Excommunicationis excuſatio improbatur.

(A) Ead. epiſt. 382.

Etſi tanta fuerit Sueri immanitas, minimè tamen eam cauſſari in cogitationem cecidit Nidroſienſi Archiepiſcopo, ne illi reſiſteret, & Pontificiis obtemperaret mandatis. Quàm paratũ, & obvium cuicumque perſecutioni pectus habuerit; quaſque

Metùs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

invictâ fortitudine promeruerit laudes, dictis haud meliùs complecti poterimus, quàm si Innocentii ipsius verbis utamur [A]: *Examinatam tuæ fidei puritatem, & fervoris constantiam, quam* NEC PERSECUTIO, NEC GLADIUS, NEC FAMES, NEC EXILIUM DIUTURNUM *à caritate Christi separare potuit, vel deiicere à statu libertatis Ecclesiasticæ conservando: quem etiam* NEC TERROR COEGIT, NEC MINÆ MOVERUNT, NEC DEMULSERUNT BLANDITIÆ, NEC PROMISSIONES *potuerunt inducere, ut Suero sacrilego, & apostatæ, qui Regnum Norvagiæ per effusionem sanguinis, & violentiam occupavit, in matris infamiam se asserens de Regali progenie descendisse,* VEL LATENTER ANNUERES, *vel expressè faveres, dignis in Domino laudibus commendamus; & tantò ampliùs ex hoc tuæ fraternitatis fortitudini congaudemus; quantò in te potiùs persecutor exarsit: sed* CONSTANTIA TUA EJUS TYRANNIDEM SUPERAVIT. Qui exilium diramque persecutionē improbæ prętulit felicitati, Apostolicâ protectione non caruit. Tradit Innocentii vitæ Scriptor [B], illum Pontificis jussu à Lundensi Archiepiscopo benignè exceptum; Regnique invasore extincto Ecclesiæ suæ felicissimè restitutum.

Sicut hujus virtutem & laudibus, & patrocinio prosecutus est Innocentius; ita severum, & pro meritis ultorem se præstitit Bergensi Episcopo, qui Cælestini III. mandato, & ejusdem Nidrosiensis Metropolitæ sui interdicto contempto, magnâ dignitatis suæ labe ac dedecore, cum excommunicato Suero humanum, sacrumque commercium ini-

(A) Cit. epist. 384.

(B) Cit. num. 59.

iniverat. Propterea Pontifex jussit, ut, rei veritate indagatâ atque excussâ, ab eodem Metropolitâ è gradu suspenderetur, ac impietate notatus solemni ritu denuntiaretur [A]: *Ferre non possumus, non molestè, quòd Bergensis Episcopus suffraganeus tuus contra bon. mem. Cælestini Papæ prædecessoris nostri mandatum, & contra tuum etiam interdictum castra ipsius sequi non dubitat*, CELEBRANS EXCOMMUNICATO DIVINA, *& in ejus præsentiâ universa exercens Ecclesiastica Sacramenta; qui, licèt à te fuerit sæpiùs evocatus, tuo tamen se noluit conspectui præsentare. Quia verò tanta præsumptio severiori debet animadversione puniri, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenùs Episcopum ipsum, si præmissis veritas suffragatur, ab officio, beneficioque suspendas; nec priùs sententiam suspensionis relaxes, quàm nostro se conspectui præsentarit. Quòd si forsan sententiam tuam servare neglexerit, eum anathematis censurâ percellas, & singulis diebus Dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis extinctis, excommunicatum facias publicè nuntiari, ut quem timor à malo non revocat, rubor saltem, & pœna compescant.*

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

(A) Eadem epist. 384. lib. 1.

Occasione hujusmodi turbarum, quæ Norvegiam divexaverant, & anathematis contra Sueri sequaces omnes excussi, Ecclesiasticæ disciplinæ zelantissimus Præsul Nidrosiensis dubia quamplurima Innocentio proposuit; ad quæ sua responsa reddidit Innocentius in epist. 381. lib. 1. collectionis Baluzii: quæ invicem separata sub di-

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

diversis titulis Gregorianæ compilationis leguntur. Pars prædictæ epistolæ est Cap. *Quod in dubiis* 8. de renunciat., Cap. *Quod in dubiis* 3. de consecr. Eccles., Cap. *Quod in dubiis* 5. de pœnis, & demum Cap. *Quod in dubiis* 30. de Sentent. Excommun.. Hanc responsionem alia luculentior excepit *Doctoribus Decretorum Bononiæ* data, quæ in Cap. *Inter alia* 31. eodem de Sentent. Excomm. titulo habetur. Ad quos omnes textus rectè interpretandos, ut ad eamdem historiam spectantes, laboris à nobis suscepti utilitas se se diffundet.

Ex hactenus autem dictis menda nonnulla, quæ in Decretalium collectionibus irrepsere, nec animadverterunt Interpretes, veniunt expurganda. I. In Raymundi collectione corrigendum est Cap. *Quod in dubiis* 30. de Sentent. Excommun., quod *Strigoniensi Archiepiscopo* inscriptum refertur, cùm tria alia Capitula, quæ idem initium habent, Nidrosiensi in ipsâ eâdem collectione legantur directa. II. Eâdem curatione indiget Cap. 9. eodem tit. in tertiâ collectione [A]. III. Emendandum est prædictum Cap. *Inter alia*, ubi Nidrosiensis consultationem memorans Pontifex, *Inter alia*, inquit, *quæ Ven. Frater noster Nidrosiensis Archiepiscopus dudum Apostolatui nostro proponi fecit, humiliter consulendo*: sed pro *Nidrosiensis* Raymundus item mendosè habet *Strigoniensis*, aliàs *Mendiosiensis*, ut etiam tertia collectio. Perperam autem his restituendis manus adhibuit Gonzalius [B], qui pro *Mendiosiensis* iterum subrogavit *Strigo-*

(A) *Quam nempe ex jussu Innoc. III. Petrus Beneventanus côcinnavit; & Ant. August. in lucem edidit.*

(B) *In cit. cap.* Inter alia *lit. b.*

gonienſis, hanc ſuæ lectionis rationem reddens, quòd præcedens Cap. 30., ad quod Cap. *Inter alia* refertur, Strigonienſi datum ſit; cùm ipſemet in Cap. *Quòd in dubiis* 8. de renunciat. notaſſet, memoratum Cap. 30. partem eſſe epiſtolæ ad Nidroſienſem exaratæ. Sed tam facile eſt in ejuſmodi rebus allucinari. Alteſerram ipſum, nedum Fagnanum, alioſque qui in Decretales gloſſas ſcripſere, doctiſſimos alioquin viros menda hæc fugerunt.

Metûs in materiâ Excommunicationis excuſatio improbatur.

Conſuluerat inter alia Nidroſienſis, *quæ pœna bis fuerit injungenda, qui excommunicatis volentes communicant, vel* INVITI [A]. Reſponſio in dicto Cap. *Quod in dubiis* 30. de Sentent. Excommun. continetur: *Illi qui nominatim excommunicatis præſumptuosè participant, præter perſonas dicto Canone* (Quoniam multos 11. quæſt. 3.) *denotatas, niſi ab eorum participatione commoniti fortè deſtiterint, Excommunicationis ſunt vinculo* INNODANDI: *ſecùs autem ſi ei communicant ſcienter, qui cum participibus ſuis eſt vinculo Excommunicationis innodatus; tunc enim & ipſi ſententiam Excommunicationis* INCURRUNT. In hoc Capitulo prælegendo parumper ſubſiſtamus.

(A) *Vid. citat. epiſt.* 381. *Innoc. III., ibiq; notata à Baluz.*, *cap.* Quod in dubiis 8. *de renunc., ubi Gonzal. epiſt. reſtituit, denique Raynald. ann.* 1198. *n.* 38.

Ad XI. uſque ſeculum multò ſeverior in Excommunicatione obſervandâ fuerat Eccleſia. Exemplo eſſe poteſt quod aliàs de Roberto Rege ex Petro Damiani [B] meminimus. Quem cùm *Galliarum Epiſcopi communi excommunicaſſent ſententiâ*, hujus *Sacerdotalis edicti tantus undique populum terror invaſit, ut ab ejus* UNIVERSI *ſocietate recederent*, *nec*

(B) *Cit. epiſt.* 34. *ſive epiſt. ad Deſiderium Abb. Caſſin. cap.* 6.

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

nec præter duos sibi servulos ad necessarii victûs obsequium remanserunt: qui tamen & ipsi omnia vasa, in quibus Rex edebat, vel bibebat, percepto cibo abominabilia judicantes pabulum ignibus exhibebant.

(A) *Cit. Can.* Quoniã multos 11. *q.* 3.

Gregorius VII. turbulentissimam suorum temporum conditionem spectans, cùm integræ alicubi urbes Henrici partibus addictæ Excommunicatione tenebantur, *devictus misericordia*, ut ipse ait[A], *anathematis sententiam* AD TEMPUS (*prout potuit*) TEMPERAVIT: ejus *vinculo subtrahens*, dum excommunicatis communicarent, *uxores, filios, servos, ancillas, seu mancipia, nec non rusticos, & servientes, nec non & omnes alios, qui* NON ADEÒ CURIALES *sunt, ut eorum* CONSILIO *scelera perpetrentur, & eos, qui* IGNORANTER *excommunicatis communicant*. Addit insuper: *Quicumque orator, sive peregrinus, aut viator in* TERRAM *excommunicatorum devenerit, & ibi non possit emere, vel non habeat unde emat: ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis in sustentationem, non superbiæ, sed humanitatis causà dare aliquid voluerit, non probibemus*. Se dolentem cernere præfatur Pontifex, *multos pro causâ Excommunicationis quotidiè perire, partim ignorantiâ, partim nimiâ simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate*; sed pristinum ipse rigorem mitigavit non cum iis, qui *consilio* sive scienter, aut *timore* sive minis, aut *superbiæ causâ* sive contemptu sententiam violassent; sed qui *necessitate, ignorantiâ*, aut *humanitatis causâ, in sustentationem* scilicet ejus, qui fortè egestate premeretur, excommunicatis communicassent.

Non

Non perpetuam, sed tempori accomodatam eam moderationem fuisse, Bertholdus contemporaneus Historicus comprobat [A]: *Unde Gregorius Papa facto Concilio mense Martio, in quo Concilio facta est exceptio quarumdam personarum de Henricianâ Excommunicatione, & hoc utique* AD TEMPUS, *idest uxorum, filiorum, servorum, & reliquorum, qui* NON SCIENTER, *vel saltem* NON LIBENTER *excommunicatis sociantur, idoneos Legatos destinavit.*

Metùs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

(A) In cit. Chron. ad ann. 1078.

Antiquorum Canonum decretum erat, ut qui excommunicato communicassent, *simili sententiæ subjacerent, cum eo communem Excommunicationis pœnam contraherēt*, denique *etiam ipsi abstinerentur.* In Romano Concilio Gregorius cum his etiam humaniùs agendum putavit, impunè eis communicari permittens: siquidem *& illos anathemati subtraxit, qui communicant cum illis, qui excommunicatis communicant.* Atque ita communicantes cum excommunicato non vitandi facti sunt, eorumque pœna quæ *similis*, & *communis* cum ipso excommunicato fuerat, minor evasit.

Nil tamen magis à Gregorii VII. mente abfuit, quàm ut meticulosis quoque indulgeret, quò licitè fideles ob intentatas minas ab Ecclesiasticis censuris, & legibus observandis deficerent. Nemo Gregorio constantiorem adversùs quæcumque pericula se unquam gessit; nemo efficaciùs & exemplis, & scriptis procul arcendum timorem docuit. Actum fuisset de Ecclesiæ, ejusque jurium tuendorum ratione, in causâ præsertim investiturarum, quæ tunc temporis multosque per annos exarsit,

in

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

in quâ & Gregorius ipse, aliique Sanctissimi Pontifices, & Episcopi ad extremum usque decertarunt, & quamvis multis laboribus steterit, Ecclesiæ tamen cessit demum victoria: actum, inquam, fuisset, si censuras, quæ ejusdem arma sunt, metu ferocium Tyrannorum, cum quibus negotium erat, suâ observatione frustrari permissum foret. A casibus nihilominus in memorato Canone expressis, quos *à jure permissos* Summistæ appellant, nonnulli deinde recentiores Theologi parùm disciplinæ cognoscendæ studiosi ineptas consequentias deduxere, à casu necessitatis ad casum metûs arguendo. Non item antiquiores, qui ad Conciliorum, & Patrum mentem, veritatemque assequendam propiùs accessere.

Canonicam severitatem in memorato Concilio suspensam restituendam postmodum curavit Lateranense II. sub Innocentio II.[A], dum iterum excommunicati, & cum eo communicantis pœnam ad pristinam regulam exæquavit: *Qui verò excommunicato, antequam ab eo, qui eum excommunicaverit, absolvatur, scienter communicare præsumpserit*, PARI *sententiæ teneatur obnoxius*. Sed hoc non obstante quod semel indultum fuerat, in posterùm etiam firmitatem obtinuit, tametsi nunquam prioris disciplinæ vestigia delerentur: etenim qui prædictâ minori Excommunicatione non satis ab excommunicatorum conversatione compescerentur, majori ab Ecclesiâ vinciri: & in gravioribus quibusdam causis non unus reus, sed quicumque etiam communionis eum participarent, eâdem sententiâ percelli consuevere. Con-

(A) *Can.* 3.

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

Consultori Episcopo Innocentius satisfacturus ad vetus pariter & novum jus, quorum peræquè callentissimus erat,& ad Norvegicas etiam res, unde dubium insurrexerat, unâ respiciens, duo excommunicatorum genera distinguit. Alterum eorum, qui *ei communicant* SCIENTER, *qui cum participibus suis est vinculo Excommunicationis innodatus*, qualis Suerus fuerat; atque hoc casu respondet: *Et ipsi sententiam Excommunicationis*, majorem nempè, *incurrunt*. Alterum verò eorum, *qui nominatim* dumtaxat *excommunicatis præsumptuosè participant*; & de his decernit: *Præter personas dicto Canone* (Quoniam multos) *denotatas, nisi ab eorum participatione commoniti fortè destiterint, Excommunicationis sunt vinculo innodandi*, majoris nimirum, cùm minoris jam innodati sint.

Ex his tria animadverti velim. I. Optimè Innocentium de illis, *qui excommunicatis volentes communicant vel* INVITI, judicium laturum Canonem *Quoniam multos* appellasse, atque intra ejusdem terminos se continuisse; utpotè in quo de iis Gregorius egerat, *qui non* SCIENTER, *vel saltem* NON LIBENTER *excommunicatis sociantur*. II. Innocentium juxtà, ac Gregorium ita de communicatione cum excommunicato loquutos, ut communicationem in humanis etiam comprehenderint: uterque enim alienæ obligationis nexibus exemit *uxores, filios, servos*, aliosque, qui victui necessaria aut accipiant, aut *humanitatis causâ* impertiantur; quod cõmunicare in humanis tantùm importat. III. In humanis etiam communicantes excommunicato

Mensis in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

secundùm veterem pariter ac novam disciplinam mortalem culpam cõtrahere, cùm veteres Canones majori Excommunicationi jam *obnoxios* esse voluerint: Capitulum autem *Quod in dubiis* innodandos decernat, si prioris jam assignati generis excommunicatus, quîcum communicant, sit; *innodatos* verò, si secundi. De quâ specie loquens Divus Thomas[A], *Tunc non est dubium*, inquit, *quòd* QUICUMQUE *participat ei*, *est excommunicatus* MAJORI *Excommunicatione*. Neminem autem latet Excommunicationem majorem nonnisi ob mortale peccatum infligi.

(A) Supplement. cit. q.23. art.2.

Fortassè minùs perspicua Nidrosiensi Archiepiscopo, cujus summa erat in censuras observantia, ad sua dubia penitùs dissolvenda visa est Innocentii responsio. Propterea hìc ei secundò rescripsit epistolâ, quam in tria Capitula sectam apud Raymundum habemus, in Cap. *Sacris* 5. de his quæ vi metusve causâ fiunt, in Cap. *Sacris* 12. de sepultur., in Cap. *Sacris* 38. de Sentent. Excommun.: quæ conjungenda esse, haud equidem indiligenter Gonzalius[B], & nonnemo etiam ex antiquis[C] notarunt. Secundum rectè *Nidrosiensi Archiepiscopo* inscriptum legitur. Primum mendosè quidem *Vidronensi*. Tertium non meliùs *Strigoniensi*. Quòd autem hæc ad enarratas Norvegiæ turbas pertineant, præter ea quæ dicta sunt, multa in citato Cap. *Sacris* de Sentent. Excomm. confirmant, ut consideranti patebit.

(B) In cit. cap. Sacris n.9.

(C) Io: Andr. ibid. in fin.

Ex adductis tribus Capitulis in primo, quod nostrum est, rem luculentiùs edisserendam suscepit

pit Pontifex; utque antè duplex excommunicatorum genus, ita deinde duplex eorum, qui *inviti* communicant, statuit. Labe absolvit *per coactionem attractos*, ut si quis violenter domi detineatur, quò excommunicatus ad convivium, seu conversandum advenerit. Damnat *per metum inductos*, quales sunt, qui potiùs intentata mala, quàm excommunicati consortium vitare eligant.

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

Quicumque alienas nostri Capituli *Sacris* interpretationes sectetur, paucis modò hìc eum velim. Dic age, quo pacto Decretalem exponis? De participatione in crimine, neque verò in Divinis, ait Navarrus [A] ad se trahens Sylvestrum. At in crimine participantes in eâ causâ, ob quam Decretalis prodiit, *Sueri* nimirum *sequaces præsumentes aut ei præstare auxilium, vel favorem*, ut Norvegiæ Regnum legitimo hærede expulso occuparet, hi principales excommunicati erant, ut vidimus [B]: in textu autem Innocentius loquitur de eo, *qui communicat excommunicatis*. Deinde Bergensem Episcopum, qui non equidem absque metu malorum, quæ Nidrosiensem aliosque jactaverant Ecclesiasticos, ferocissimo Suero communicavit *celebrans excommunicato Divina, & in ejus præsentiâ universa exercens Ecclesiastica Sacramenta*, ex hoc præcipuè gravissimas pœnas luere oportuit [C]: Quod tamen communicare in Divinis est, non in crimine.

(A) *In Manual. citat. cap. 27. n. 36.*

(B) *Cit. epist. 382.*

(C) *Cit. epist. 384.*

De communicatione in Divinis, minimè verò in humanis, inquit Almainus, & prior ipso Ochamus; etenim *Innocentius III. in Decretali prædictâ*

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

de communicatione corporali nullam facit penitùs mentionem. Sed 1. Nihil omninò id refert, dum Pontifex absolutè de communicatione cum excommunicatis loquitur, de eâ scilicet, quâ fideles à Sacris Canonibus prohibentur, quæ utramque procul dubio comprehendit, ut ex Vernensi, innumerisque aliis ostendimus. 2. De communicatione in Divinis in aliis duobus Capitulis *Sacris* seorsim agit Innocentius, non generalibus, sed disertissimis verbis, eamque speciatim exprimentibus usus. 3. Decretalis nostra refertur ad Capitulum *Quod in dubiis*, ad cujus lucidiorem explicationem processit. Capitulum *Quod in dubiis* ad Canonem *Quoniam multos*. In hoc verò item, ut in illo de communicatione etiam in humanis agitur. Neque obstat, quod Decretalis de mortali peccato mentionem faciat; cùm in humanis quoque communicare excommunicato ad hujus culpę gravitatem pertingat, ut notatum est.

De metu levi, respondet Baptista Trovamala [A], & Joannes Major. Scilicet levis metus est *à tyrannicâ Sueri crudelitate, & violentiâ detestandâ* factus; qui *in viros Ecclesiasticos debacchabatur, pauperes affligebat, sæviebat in potentes*: qui Nidrosiensem Archiepiscopum ei morem gerere recusantem *fame, exilio diuturno, gladio* quoque insequutus est [B].

(A) Summ. Rosell. v. Excommunicatio 6.

(B) Cit. epist. 382., 383., & 384.

De metu ex contemptu formali Ecclesiæ, & odio Religionis incusso interpretatur Sotus. Sed tantum nefas nunquam concepit Suerus. Ut *sacrilegum, nefandum, apostatam* eum exagitat Innocen-

centius, non quòd à fidei integritate, sed quòd à Clericali militiâ defecerat; etenim *Ecclesiastico officio functus* ferebatur. Quòd si Pontificiæ Potestatis, & Ecclesiæ formalis contemptor erat Suerus, cur Cælestini literas, & Apostolicæ Sedis authoritatem, ut Regnum sibi pararet, quæsijsset? Cur supplices Legatos misisset ad Innocentium? Cur *universa Ecclesiastica Sacramenta in suâ præsentiâ exercenda* curasset [A]?

Metûs in materiâ Excommunicationis excusatio improbatur.

(A) *Ibidem*.

En quomodo tot, ac tam variè efflictæ interpretationes ad facti, & veritatis lucem ultrò dispereunt! Quomodo Decretalis historiâ ostentâ, veluti exigui pulveris jactu, omnis contrariarum opinionum motus, Scriptorum rixæ omnes, quæque tamdiù flagraverant dissidia quiescunt! Ibi loci res sita est, septem Theologi & Canonistæ, ut nisi novos theologicos locos excogitetis, novas Decretales, nova Canonum statuta cudatis; hastam clypeumque abiiciatis oporteat. Interea nos cum Sanctissimo Leone dicemus [B]: *Nimis ergo hæc improba, nimis sunt prava; quæ Sacratissimis Canonibus inveniuntur esse contraria*.

(B) *Epist.* 80. *aliàs* 53. *ad Anatol. cap.* 3.

CAPUT VI.

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

§. I.

Pericula quævis pro Ecclesiæ, & Canonum tuitione contemnenda esse, Patrum testimoniis, & exemplis evincitur.

LIBERIOR modò nostra expatietur oratio, censurarum quidem fines egressa, causæ tamen minimè oblita. Sive de Ecclesiæ dignitate, ac libertate tuendâ, ejusque juribus negotium sit, sive generaliter de Sacrarum Legum observantiâ asserendâ, inane phantasma illud, quod, ubi timor non est, timorem repræsentat, longè latèque pergimus amoliri. Et verò quid recta, & legibus consona gerentes timeamus, si, ut Cyprianus [A] ait, *Cùm nocentes innocentibus injuriam faciunt, illi patiuntur injuriam, qui facere se credunt.* Non de Religionis summâ, sed de disciplinâ non prævertendâ agit, dum magnanimo hoc cujuscumque injuriæ, ac turbinis contemptu opus esse prædicat Cyprianus [B]: *Non idcircò relinquenda est* ECCLESIASTICA DISCIPLINA, *aut* SACERDOTALIS *solvenda* CENSURA, *quoniam conviciis infestamur, aut erroribus quatimur.* In præmissâ sententiâ Minutius Felix eum præiverat, dum scripsit [C]: *Christianus miser videri potest, non potest inveniri.* Utrique consonan-

(A) *Epist.55. alias 3. lib.1. circa med.*

(B) *Ibid. post princ.*

(C) *In cit. Octav. circa fin. pag. mihi 29.*

nantem Hieronymum aliàs attulimus. Nec Senecam tametsi ethnicum ea veritas latuit, cùm & ipse[A] pronunciarit, *Bonus vir potest miser dici, non potest esse*. Sicubi calamitas nobis offertur, non ea futura est prævaricationis tutela, sed constantiæ incitamentum, *disciplina virtutis, virtutis occasio*[B].

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

(A) De provid. cap. 3.
(B) Minut. Felix ibid. Senec. loc. citat. cap. 4., Salvian. de gubernat. Dei lib. 1., Chrisost. in psalm. 50.

Cùm Christianos omnes, immò quemcumque *bonum virum* dedeceat, nullos tamen turpiùs quàm Ecclesiasticos commaculat metus; *quo* nimirum *suasore nunquam Sacerdotes Dei esse solent in ardua & excelsa pro Religione, & Ecclesiasticâ libertate vel aggrediendo fortes, vel perficiendo constantes*. Quales se gerere debeant, quibus regendarum Ecclesiarum, & de Canonum observatione curandâ onus impendet, Ambrosius edoceat, Episcopalis fortitudinis, ac sedulitatis speculum nitidissimum, & imago[C].

(C) Innoc. XI. epist. die 11. Iun. 1682. apud Sfondrat. Gall. vindic. dissert. 1. §. 8. documum. 49.

Gemebat Theodosius & suam ipsius deplorabat conditionem, mente complectens quàm facilis ad sacrum templum aditus servis & mendicis pateret: sibi verò Excommunicatione devincto & ad templum, & ad Cælum ipsum præclusus esset. Ut eum consolaretur Rufinus, *Curram*, inquit, *si placet, ad Episcopum: ei supplicabo, persuadeboque, ut tua solvat vincula*[D]. Sed nequaquam his dictis acerbior Imperatoris dolor levatus est; etenim probè noverat, *ut* Ambrosius non esset *metu Potestatis Imperatoriæ legem divinam violaturus*. Quæ istæc lex erat, quam *divinam* appellat Imperator? Quæ violanda erat, ut pœnitens Deo reconciliaretur?

(D) Theodoret. lib. 5. cap. 18.

tur?

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

tur? A quâ custodiendâ nullo metu Sanctissimus Præsul deterreretur? Quippe non alia, quàm Ecclesiasticus Canon, ut non nisi prope Paschale tempus publicè pœnitentes ab Episcopo communioni restituerentur, aut simile aliud statutum [A], quo cavebatur, voluntarium homicidam longè seriùs fore recipiendum [B].

(A) *Concil. Ancyr. Can. 21.*

(B) *Vid. Baron. ann. 390. num. 23.*

Perrexit nihilominùs confidentior Rufinus; &, ut pòst paulò sequeretur, Imperatorem promissis suis induxit. Ut ad se venientem Rufinum vidit Ambrosius, perfricti oris redarguit. Cùm verò & Theodosium adventurum audivit, *Ego*, inquit, *Rufine prædico, me illum ab ingressu sacri vestibuli probibiturum. Quòd si imperium mutaverit in tyrannidem*, CÆDEM LUBENS *quidem* EXCIPIAM. Jam in medio foro Imperator erat, ubi horum nuntium accepit, quo etiam, ne veniret, admonebatur. Verùm neque indignatione ipse commotus est, neque iter suum reflexit; sed mirâ augusti animi submissione, *Eo*, ait, *illùc nibilominùs, quò justas debitasque contumelias subeam*. Cùm ejus adventum ad Dei leges proterendas spectare, dixisset Ambrosius, hęc supplex reddidit religiosissimus Imperator: *Non obstinato animo leges sancitas impugno, neque sacra vestibula per nefas introire cupio; sed oro, ut mibi solvas vincula*. Meritò hæc enarrans *utrumque admiratur* Theodoretus, *alterum propter ingenuam loquendi libertatem, alterum propter facilem obedientiam: & illum propter divini zeli ardorem, bunc autem propter sinceram fidem*.

Ad

Ad alia magnanimitatis suæ spectacula nos idem vocat Ambrosius, dum ad tradendam Basilicam à Valentiniani ministris ex Justinæ instigatione conveniretur: *Dicentibus Imperatorem suo jure uti, eò quòd in potestate ejus essent omnia, Respondi*, ait Marcellinæ sorori scribens, *Si à me peteret quod meum esset, idest fundum meum, & argentum meum, jus hujusmodi meum, me non refragaturum* (Attende tamen quàm sanctè refragetur) *quamquàm omnia, quæ mei sunt, essent pauperum: verùm ea, quæ sunt Divina, Imperatoriæ Potestati non esse subjecta. Si patrimonium petitur, invadite: si corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati est mihi* [A]. Intexuit hæc Decreto suo Gratianus [B], ubi Glossa [C] Prælatis Ecclesiæ jura desensuris ejusmodi proponit imitandum exemplum. Cui aliàs [D] illud Naboth adjungit, qui ab Achab vexationibus *vineam* Patrum suorum hæreditatem *cruore defendit* [E]: nimirum *non minor Episcopis obligatio incumbit, libertates ac jura Ecclesiæ, quàm fidei dogmata propugnandi*, ut à nupero Scriptore peculiari lucubratione, quæ an publici juris facta sit, ignoramus, *sòlidè ostensum* clarissimus vir testatur [F].

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

(A) *Epist.20. num.8. class.1.*
(B) *Can.* Convenior *23. quæst.8.*
(C) *In verb.* Pro altaribus.
(D) *In cap.* Clerici de *Immunit. Eccles. in 6. verb.* Æternam.
(E) *3. Reg. cap. 21.*
(F) *Vid. Sfondr. loc. cit. docum.39. in fin.*

Pergit Ambrosius quod sustinuerat certamen enarrare [G]: *Allegàtur Imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo: Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea, quæ Divina sunt, Imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutiùs imperare, esto Deo subditus. Scriptum est: Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem* pala-

(G) *Cit. epist. 20. n. 22.*

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium jus commissum est, non Sacrorum. Cùm imperterrito Sacerdoti contemptæ Imperialis dignitatis falsum crimen intendisset Calligonus Cubiculi Præpositus, atque exasperatus [A], *Caput tibi tollo*, intonuisset; calumniatori, ac minaci aulico id reposuit Ambrosius: *Deus permittat tibi, ut impleas quod minaris. Ego enim patiar quod Episcopi: tu facies quod spadones.*

(A) *Ibid. n.28.*

Verebantur Mediolanenses, ne à Patre & Pastore suo desererentur; audierant enim illum ad Imperatoris consistorium vocatum. Ut populum eâ sollicitudine liberaret Ambrosius publicam habens concionem, *Fugere* [B], ait, *& relinquere Ecclesiam non soleo*, NE QUIS GRAVIORIS PŒNÆ METU FACTUM INTERPRETETUR. *Scitis & vos ipsi, quòd Imperatoribus soleam deferre, non cedere*; SUPPLICIIS ME LIBENTER OFFERRE, NEC METUERE QUÆ PARANTUR. Et paulò post [C]: *Deinde consulere etiam me Imperatoris saluti; quia nec mihi expedit tradere, nec illi accipere; accipiat enim vocem liberi Sacerdotis, si vult sibi esse consultum: recedat à Christi injuriâ. Hæc plena* HUMILITATIS *sunt, &, ut arbitror, plena* AFFECTUS *ejus, quem Imperatori debet Sacerdos.*

(B) *Serm. contra Auxentium de tradendis Basilicis post epist. 21. cit. class. 1. n. 2.*

(C) *Ibid. n. 5. & 6.*

Quem in Sanctissimo Præsule demiraris, hic verus est, & incontaminatus zelus, quem, ut Bernardus ajebat, firmat constantia, informat scientia, inflammat charitas. *Cui timorem, timorem, cui honorem, bonorem* reddere jubet Apostolus. Deo *timorem* debemus: *nec metuere quæ parantur* ab iis, qui sacras leges impugnant. Principi debemus

mus *honorem* ac fidem; debemus *humilitatis* obsequium. Neque verò, dum obligationem, quâ Deo tenemur, implemus; alia, quâ Principi astringimur, contemnenda est. Ita Dei, & Ecclesiæ causæ agendæ, ut non cæcus impetus rapiat, sed ratio ducat. Non religio erit, sed animi sibi malè imperantis immoderantia: non vitalis calor, sed ex morbo febrique proveniens, quo debita Principis Majestati reverentia subtrahatur. Ex alterâ verò parte nec Episcopos, nec Pastores se meminere, nec *affectus* erga Principem, nec *consulendi* illius *saluti* studium eos tenet, qui, ubi eloquendum fuerit, intempestivè obmutescunt. Quàm infelix Principum conditio esset, si, cùm errare ipsi, & seduci ab aliis possint, & Divinæ etiam legi adversa præcipere, Sacerdotum Dei, qui Pastores ac medici animarum præpositi à Christo sunt, cura illis, & sedulitas desit, quâ cognoscendi emendandique erroris authores sint! Hoc præcipuè amoris, & fidelitatis luculentissimum argumentum in Principes suos edere tenentur Episcopi, ut, si malè aliquid agant jubeantve (quod in Ecclesiam præsertim ex pravis ut plurimùm consiliis, ac præter intentionem faciunt) Sacerdotali libertate admoneant, nec efficacioribus remediis, ut ad recti tramitem revocentur, abstineant. Ita profectò de munere ac dignitatis suæ gradu benemerentes, & Regali favore dignos se ostenderint. Ut eundem Ambrosium mittamus, quo nemo majori in existimatione, nemo carior & venerabilior Imperatoribus fuit, abundant planè cùm sacræ, tùm profanæ

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

fanæ historiæ Episcoporum, Procerumque Regiorum exemplis; qui, cùm Dominis iniqua imperantibus generosè obstitissent, gratiâ apud eos magis magisque floruerunt: ut è contrà sæpe præcipiti lapsu summo loco excidisse compertum, qui perpetuis eum adulationibus quærendum, retinendumque crediderant. Et sanè quid boni sibi de hoc hominum genere Reges promittant? Quam ab iis fidem expectent? Cùm expeditum sit suspicari, eâdem impudentiâ, quâ Deum & conscientiam, Principem quoque, si res tulerit, exuturos, Sirenas in cantum juxtà, ac naufragium paratas.

§. 2.

Multiplex illustrium, sanctorumque Virorum animi firmitas, & constantia proponitur.

NUNQUAM Sancta Dei Ecclesia præcellentibus virtute viris non claruit, ad affectuum impetum quemcumque irretortis, & ad veram Sacerdotalis constantiæ normam formatis. Almificus Moguntinæ Ecclesiæ Præses, ubi Othonem patrem suum Germaniæ Regem, qui postmodùm Imperiale etiam decus obtinuit, ab Ecclesiæ statutis aberrantem vidit, acriter primùm increpuit, & quàvis carceri ob eam causam astrictus esset, *à correctione linguam terroris vinculû non ligavit*. Deinde, *cùm exivit, zelo Sacerdotalis accensus authoritatis non quievit; sed mox in patrem jaculum publicæ Excommunicationis intorsit*.

Pe-

Petrus Damiani, qui hæc literis commendavit [A], se continere non potuit, quin exclamaret: *O verè dignum Regio genere Sacerdotem*[A], *qui in causâ Dei, non Imperiale fastigium, non paternum recognovit affectum: sed, dum paternam ac Regiam authoritatem in solo Deo constituit, hunc hominem ejus legibus resistentem à se prorsus extraneum deputavit.*

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

(A) *Citat. opusc.* 34. *cap.* 7.

Ad Lucensem Ecclesiam revocatus Anselmus statim Canonicos suos ad regularem observantiam juxtà Leonis IX. decretum ducere studuit. Id illi ægerrimè ferentes dirissimam in Anselmum persecutionem pararunt; verumtamen ipse non persecutionis, sed Pontificii tantùm decreti, quod executioni mandandum erat, sancto affectus timore, nunquam munus suum implere cessavit: *Cujus Sancti Leonis decreti quoties vidit, aut recordatus est præceptum, expavit, nec tacere ausus fuit* [B].

(B) *Ejus vitæ scriptor apud Baron. ann.* 1074. *pag.* 454.

Apostolicam Legationem sibi ab Urbano II. delatam suscipere aversabatur Hugo Lugdunensis Archiepiscopus, quòd ob Philippum Regem pellicis amoribus illaqueatum Galliæ malis se mederi posse desperaret. At illi ita animos, & faces subdebat Yvo [C]: *Mihi dictum est te in tantâ perturbatione humerum huic oneri nolle supponere .... licèt in Regno Italico surrexerit alter Achab, in Gallico autem altera Jezabel .... licèt ad placitum Herodis saltet Herodias, petat caput Joannis, concedat Herodes: dicat tamen Joannes, Non licet tibi uxorem tuam inordinatè relinquere: Quia scilicet quantò studiosiùs perversorum temeritas, & audacia rectitu-*

(C) *Epist.* 18.

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

dinis statum labefactare conatur, eò vehementiùs est eorum improbitati resistendum.

Invictam hanc fortitudinem, quam in aliis excitabat, quam benè ipse Yvo præseferebat! Non modò quamcumque persecutionis flammam se minimè perhorrescere, sed insuper nihil sibi antiquius esse, quàm eam propter justitiam perpeti profitebatur [A]: *Ut summoperè exoptem mihi occasione justitiæ aliquam inferri violentiam.*

(A) Epist. 17.

Cùm Stephanus Palatii Comes, qui gratiâ, opibus, & potestate omnes aulæ Regnique Proceres facilè superabat, nonnihil damni Carnotensi Ecclesiæ intulisset, datis ad eum literis anathematis minas intentavit Yvo, nihil se non pati pro Ecclesiæ suæ juribus tuendis paratissimum offerens [B]: *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos quicumque præsumpserit adversùs Ecclesiam parvitati meæ commissam transcendere, parati sumus pro potestate nobis collatâ usque ad damna rerum, usque ad exilium contradicendo resistere, & gladio Sancti Spiritûs usque ad dignam satisfactionem contradicendo ferire.* Id quoque addit constantissimus Carnotensis acutissimi hujus gladii vim quocumque regio ense penetrabilioris nec per expilationes revocari, aut eludi posse, nec per carceres, nec per exilia: *Hic gladius penetrat turres, deiicit propugnacula, & omnem altitudinem adversùs humilitatem Christi se erigentem, & hæreditatem, quam sibi suo sanguine acquisivit, injustè pervadentem.* HIC GLADIUS IN EGESTATE FORTIOR EST, IN EXILIO NON FRANGITUR, CARCERE NON ALLIGATUR.

(B) Epist. 117.

Lu-

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

Ludovico Crasso Galliarum Rege in Episcopum Parisiensem atrociùs desæviente, Bernardus Clarevallensis, Stephanus Cisterciensis, aliique Abbates ejusdem Ordinis ultrò se in eamdem procellam coniicere, regiamque indignationem incurrere nil verentes, Episcopi patrocinio suscepto, Regem ipsum aggressi sunt deterrere ab infestatione tantâ Ecclesiæ, cujus se desponderat fore defensorem: ut Sponsa Christi non jam ad Christum pro Rege preces & sacrificia ut priùs, sed querelas tantùm posset allegare [A]. Subdunt denique fortissimi Abbates, si sua ipsorum monita contemnerentur, injuriarum, quæ Episcopo inferebantur, se Pontificem ultorem interpellaturos; cùm minimè possent à caritatis obligatione deficere illum pro viribus contutandi: *Alioquin si nos non meremur exaudiri . . . . ex hoc jam noveritis, parvitatem nostram, in quibus valuerit*, NON POSSE DEESSE *Ecclesiæ Dei, & Ministro ejus, Venerabili videlicet Patri, & amico nostro Episcopo Parisiensi; qui nostram adversùs Vos humilitatem interpellans, nostras pro se ad Dominum Papam* JURE FRATERNITATIS *literas requisivit.*

(A) *Inter epist. Bernard. epist.* 145.

Cùm Abbatum interventio irrita cecidisset, intervenerunt & Episcopi. Cùm & horum ludibrio haberentur preces, ad minas ventum est, Interdicto intentato. Tunc verò territus Rex cælestis vindictæ solâ ostentatione pollicitus est, quæ invasisset, Ecclesiæ restitutum iri [B]. Paulò pòst in Senonensem Archiepiscopum regalis iræ turbo detonuit. Sed præstò illi fuerunt Cistercienses

(B) *Inter Bernard. epistolas epist.* 47.

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

Abbates, qui pro eo adversùs Regem apud Honorium II., sicut pro Parisiensi effecerant, literis zelo, ac fervore conspersis egere [A]: *Gravibus contumeliis & injuriis Episcopi Parisiensis innocentia* PULSATA EST, SED NON QUASSATA: *quia Dominus supposuit manum suam, cùm vestram opposuit. Hinc & nunc Domini bujus Senonensis* CONSTANTIAM *concutere, & labefactare conatur*. Querebantur ipsi Regem in Episcopos infestum se præstare, quòd fortes & zelantes agnosceret, & nihilominus hâc ipsi fortitudine illi resistebant, timore quòcumque contempto: *Fidenter proinde, atque fideliter vestræ Paternitati suggerimus quæ in Regno nostro eidem Matri nostræ dolentes cernimus adversari. Quantùm quidem nos sentimus, qui vicini sumus, Rex Ludovicus non tam Episcopos, quàm in ipsis justitiæ persequitur zelum, pietatis cultum, habitumque religionis*.

(A) Ibid. epist. 49. & 50.

Ne autem quis putet, Episcoporum tantùm, aliorumque Ecclesiæ Prælatorum eam debere esse constantiam pericula aspernandi pro Ecclesiæ tuitione, audiat iterum Bernardum ipsum pro Comite Theobaldo, ac Petro Bituricensi Archiepiscopo consuetâ magnanimitate decertantem, ac in Joslenum, aliosque Regios Consiliarios ita calami sui inclementiam convertentem [B]: *Etenim consulere talia manifestè schisma fabricare est, Deo resistere, Ecclesiam ancillare, & novam in servitutem Ecclesiasticam redigere libertatem. Si quis* DEI FIDELIS, *si quis* ECCLESIÆ FILIUS *est, profectò stabit, & opponet se, quoad poterit, murum pro Domo Domini*.

(B) Epist. 222.

Quid.

Quid aliud vita omnis fuit Hugonis clarissimi Lincolniensis Episcopi nisi perpetua fluctuatio? Quoties illi pro Clericorum immunitate, & libertate Ecclesiæ fuere in Magistratum censuræ evibrandæ? Quoties vicissim Regii Administri ejus bona invaserunt, & Reges ipsi impotentiori irâ commoveri faciles, in quorum tempora inciderat, asperrimè illi succensuerunt? Sed fortissimus Præsul *non minis, non armis à rectâ sententiâ deducebatur* [A].

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

(A) *Polyd.cit.lib.15.*

Cùm Bononiam Interdicto supposuisset Martinus V., nec malum foret, quod non promitterent Bononienses, si quis illud Urbi indicere auderet, Conradinus Brixiensis è Divi Dominici familiâ, vir Sanctitatis laude illustris, Pontificiæ sententiæ literis lanceæ alligatis, ac equo vectus Urbem ingressus est, medioque in foro illas publicare non dubitavit, paratior ipse ad mortem accipiendam, quàm Bononienses forent ad inferendam [B]. In carceres ex hoc conjectus, & deinde liber dimissus, quoniam in Magistratûs pervicaciam in publicis concionibus invehi non desinebat, iterum vinculis mancipatus, & capitis sententia in eum lata est; quam nihilominus cùm evasisset, infortunii id loco habens amaras fundebat lacrymas, quòd ea sibi fuisset occasio prærepta ostendendi sanguine effuso suum in Christi Sponsam obsequium.

(B) *Briet. ad annum 1428., Ioannes Michael Piò vit. vir.illustr.Ord.S. Dominici part. 1. lib. 3. pag. 405. & 406.*

Quò Caroli Borromæi pro Ecclesiæ tuendis juribus, & collapsâ disciplinâ restituendâ ardentissimum studium, & flecti nesciam constantiam

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

linquam? Quæ calumniæ in eum conflatæ non sunt? Quæ non paratæ insidiæ? Quæ minæ non intentatæ? Regis indignationem in se suosque exarsuram, nisi anathema in Regios Ministros excussum solveret, intellexit; nec tamen è gradu quidquam dimotus est. Non tantùm secularis Potestas, sed nefarii etiam Religiosi, ac Canonici, quòd disciplinæ rigorem assereret, in eum conspirarunt. Postquam bellici tormenti ictu à perditissimo homine orans percussus est, & illæsus divinâ ope servatus, cùm de se custodiendo inpostorum moneretur, *Facturum se dicebat, sed eâ cautione, quæ pastorali muneri obeundo impedimento non esset; vereri enim, si secùs fecisset, ne tum rebus Mediolani incœptis, tum iis, quæ in aliis Ecclesiis fortè agenda essent, magnum afferret detrimentum* [A].

(A) Bzov. vit. Pij V. ann. 1567. n. 56. & seqq., & ann. 1569. n. 52. & seqq.

§. 3.

Divi Thomæ Cantuariensis gloriosum certamen exponitur.

CAUSAM revolvendam aggredimur illustriorem sanè, quàm ut quemquam lateat, verùm ad propositum nostrum opportuniorem, quàm ut aliis leviter transeundam interseremus. Vix eam attigimus, cùm vastissimus ilicèt patuit campus, non ex unius Divi Thomæ, sed ex Alexandri etiam III., quin ipsorum insuper secularium Principum clarissimis exemplis, rebusque aut invictè & fortiter toleratis, aut

su-

supremâ authoritate decretis, aut generosâ pietate gestis: ut de cæteris eximiis viris taceamus, quorum constantia ac virtus eminuit, vel in eâdem cum Divo Thomâ exilii fortunâ, regiæque indignationis calamitate ferendâ, vel nunquam interituris scriptis; unde tot in rem nostram testimonia suppetunt, atque argumenta, ut si vel summatim singula perstringere libeat, longè difficilius, quàm initium, finem dicendi invenire sit [A]: ex quo intelligas meritò de ejusmodi causæ monumentis dictum [B], *Ibi inveniri* DIGITO DEI FABRICATAM ARMORUM COPIAM: IBI POSSE SACERDOTALEM DIGNITATEM, ET AUTHORITATEM EPISCOPALEM IN SUÆ MILITIÆ SPECULO SESE RECOGNOSCERE, *ut obsequium reddant Cæsari debitum, & Deo bonorem. Nec opus erit ampliùs longiùs evagari, ut quærat quis,* QUOMODO ECCLESIÆ LIBERTAS DEBEAT DEFENSARI.

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

Imbres, nimbi, procellæ, turbines, & quidquid facundiores quique, si quando tempestas describenda incidit, summâ exaggerant cõtentione, malè dirissimam persecutionem exprimerent, quæ Sanctum Præsulem, diù, ac tam variè jactavit: *Abundaverunt mala,* ipsemet Hyacintho Cardinali scribit [C], *super capita nostra, contumeliis & injuriis supra modum afficimur, saturati sumus opprobriis. Et qui insurgunt in nos fortè vivos deglutissent nos, nisi quia ad summi consilii Angelum, & S. Romanam Ecclesiam confugimus, in quâ post Deum spei nostræ summa consistit.* In epistolâ verò [D] ad Summum Pontificem: „ De die, ait, in diem malitia invalescit, „ multiplicantur injuriæ, non nostræ, sed Christi: „ immò

(A) *Vid. in collect. epist. S. Thom. ejus* Coëxulum *nomine epist.* 22. *&* 23. *lib.* 5., *ejusdem* Amicorum, & Nuntiorum *epist.* 6., 7., 8., 158. *lib.* 1., Hervei Clerici *epist.* 9., Hugon. 87., Ernulph. 86. *&* 178. *ibid.*, Jo: Saresber. *epist.* 93., 94., 95., 107., 150. *usque ad* 157., 167., *& seqq. lib.* 1., *epist.* 50. *& seqq. lib.* 2., *epist.* 64. *lib.* 3., *epist* 18. *lib.* 5. *&c.*. *Ex eadem collect. quærendæ erunt aliæ epist. hoc Cap. allegandæ, tametsi Auth. divers.*

(B) *Edd. collect. tom.* 2. *in fin., & vit. S. Thom. pag.* 174

(C) *Epist.* 22. *lib.* 1.

(D) *Epist.* 18. *ibid., & inter epistol. Alex. III. Concil. Labb. tom.* 10.

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

„ immò quia Christi, eò magis nostræ, succedentibus sibi invicem more fluctuum procellis solùm „ nobis videmus imminere naufragium. Nec „ aliud consilium superesse, nisi ut ipsum quasi „ dormientem in navi pro viribus nostris excitan„ tes dicamus: *Domine salva nos, perimus*.

Quò magis magisque in eum recrudesceret infestatio; eò firmiorem ipsius virtus, & adamantinum pectoris robur se exerebat, illustri Alexandri Pontificis testimonio commendatum [A]: *Molestias & angustias & anxietates, onera & gravamina, quæ Venerabilis frater noster Thomas Cantuariensis Archiepiscopus* PRO HONORE ET LIBERTATE ECCLESIÆ *invictâ fortitudine sustinuit, & æquo animo toleravit, quoties ad memoriam nostram reducimus, toties super ejus admirandæ virtutis, & patientiæ constantiâ noster animus hilarescit*.

(A) Lib. 5. epist. 31. Senon., & Rotomag. Archiepp.

Ægrè ferens Sanctus Præsul, duos ex iis, quos ipse ligaverat, Romæ flagitantibus Henrici Oratoribus censuris explicatos esse (quos tamen in suam Excommunicationem revocavit postmodùm Pontifex, cùm conceptam ex illorum promissis restituendæ Ecclesiæ spem abscissam jam, fallacemque comperit [B]) etsi propterea de nonnullis Romanæ Curiæ ministris acerbiùs aliquando quereretur, se nihilominùs promptum ad mortem etiam pro Apostolicâ Sede, & Ecclesiæ causâ oppetendam testabatur: *Pro eâ mori parati sumus .... arment non modò Regem Angliæ, sed totum, si possunt, orbem in perniciem nostram: ego Deo propitiante* NEC IN VITA, NEC IN MORTE AB ECCLESIÆ FI-

(B) Epist. 66. lib. 5.

DE-

DELITATE RECEDAM[A]. Et rursus[B]: *Nos per gratiam ejus sive vivi, sive mortui ipsius sumus, & erimus parati* PRO LIBERTATE ECCLESIÆ *exilium, proscriptionem, & omnia mundi incommoda, quamdiu ipsi visum fuerit, sustinere. Utinam inveniamur digni, qui persecutionem pro justitiâ patiamur.*

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

(A) Epist.20. lib.5.
(B) Epist.21. ibid.

Ut propriam Cantuariensium Præsulum ejusmodi laudem aliàs Bosoni Cardinali scribens[C] gloriabatur, Divo Anselmo, aliisque Prędecessoribus suis, pręcipuè autem novissimo, Theobaldo scilicet, *viro omni sanctitate, & religione conspicuo*[D] in exemplum adductis: *Ut taceamus de aliis Decessoribus nostris, quorum doctrinâ, virtutibus, & exemplis illustratur Ecclesia, qui jam miraculis, Deo meritis eorum respondente, coruscant, novissimus Decessor noster, vester quidem amicus,* ET ROMANÆ ECCLESIÆ DEVOTISSIMUS FILIUS, BIS À SEDE PROPRIA PRO FIDE, ET OBEDIENTIA EXCLUSUS EST, *Rege Stephano hoc in eo persequente, quòd contra probibitionem ejus vocatus à Domino Papâ Eugenio ad Concilium Rhemense venerat.... Alia autem, ut scitis, causa persecutionis ejus extitit, quòd contra probibitionem Romanorum Pontificum filium Regis Eustachium noluit coronare*. Addit pręterea Thomas memoratum Theobaldum per ea discrimina, ut Pontificiis mandatis obtemperaret, ad Rhemense Concilium properasse, ut de illo dixerit Eugenius III., *Natando potiùs, quàm navigando venisse*.

(C) Epist.136. lib.1.

(D) Memoratur in vitâ D. Thom. lib.1. cap.6.

Ut eamdem animi fortitudinem in cęteris Episcopis excitaret, cùm eos à jurejurando absolvisset, quo in Clarendunensi Conventu ad Angliæ

con-

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

consuetudines contra Canonum statuta servandas se obstrinxerant, illarumque exactores, aliosque Ecclesiæ perturbatores Excommunicatione perculisset, *Fratres mei dilectissimi*, inquit, *quarè non consurgitis mihi adversùs malignantes? Ut quid non statis mecum adversùs operantes iniquitatem? An ignoratis, quoniam dissipabit Dominus ossa eorum, qui hominibus placent? Confundentur, quoniam Dominus sprevit eos. Satis novit discretio vestra, quoniam error cui non resistitur, approbatur*. Hæc quidem in epistolâ omnibus Episcopis Cantiæ Provinciæ [A]. In aliâ verò [B] ad universos Episcopos Angliæ datâ, summum Sacerdotem, & Pontificem in ęternum Christum Dominum, qui Patri obediens fuit usque ad mortem; ac Populi Hebręi Prępositos, qui adversa ferendo, & Moysi constanter obsequendo eo gradu se dignos probarunt, imitandos proponit: *Si curamus esse quod dicimur, & nostri nominis, qui appellamur Episcopi & Pontifices, nosse volumus significationem, oportet nos jugi solicitudine considerare, & imitari vestigia illius, qui Pontifex in æternum à Deo constitutus se ipsum pro nobis Patri obtulit in arâ Crucis .... Si Scripturas perscrutemur attentiùs, inveniemus hos Hebræorum Præpositos extitisse, quos ab exactoribus Pharaonis in Ægypto legimus flagellatos, adeò ut tædio affecti, & variis attriti suppliciis nomina sua coram Ægyptiis fœtere quererentur. Quia tamen patientiam habuerunt, & Moysi obtemperantes acquieverunt verbo Dei, hoc præeunte gratiâ per fidem, & jugem laborum experientiam meruerunt, ut cum Moyse præficerentur*

(A) Epist.96. lib.1.
(B) Epist.97. ibid.

Po-

Populo, cujus salutem procuraverunt. Postquam his aliisque adductis fusiùs inculcasset Romano Pontifici, cujus ipse authoritatem cum Legatione gerebat, per quævis rerum discrimina obedientiam pręstandam, *Si quis*, subdit, *Ecclesiæ suæ Justitiam promovens, & Apostolicæ Sedi fidem servans dispendia reformidat, meminerit quoniam Ecclesiæ virtutes, quàm momentaneas opes longè tutius, & utiliùs thesaurizat*. CHRISTUS, QUI ECCLESIÆ ROMANÆ PRÆSIDET, *omnes adversarias cohibet Potestates. Et qui potentes potenter puniet*, OMNEM DECREVIT PUNIRI INOBEDIENTIAM. Ita Sanctus Pręsul orat, suadet, monet; monitisque pœnarum minas adjungit, atque intermiscet, ut hæ vincant socordiam, quam fortè nobiliores stimuli non fregissent: atque eas quidem minas, quas ad effectum perducere haud pepercerit in contumaces [A].

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

(A) *Epist. 98., 99. & 100. ibid.*

Jocelino Saresberiensi Episcopo inhibitum fuerat, ne Clerico cuidam vili aulæ mancipio Ecclesiæ suæ Decanatum conferret: Ille autem, ne quid mali ipse aut sui incurrerent, si negasset, indigno dignitatem impertijt. Re ad Thomam delatâ Jocelino literas dedit, in quibus cùm hanc ei salutem nuntiasset, *Statim resipiscere à malo, & de cætero constantiùs facere bonum*, attentatam collationem irritam pronunciavit, atque ita ejus ignaviam redarguit [B]: *Quamvis propter fallentium argutias, propter animi tui debilitatem*, PROPTER PROPOSITUM TIBI CORPORIS TUI, ET TUORUM DISCRIMEN *videaris aliquatenus excusabilis* APPARERE; NON IDEÒ MINUS RATUM HABEMUS TE GRAVITER COMMISISSE IN DOMINI

(B) *Cit. epist. 100.*

PA-

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

PAPÆ MANDATUM, MERITÒ INCIDISSE IN INTERDICTI NOSTRI SENTENTIAM, *rem talem egisse*, *pro quâ* TOTUS MUNDUS *habet clamare post te*. Licèt ergo & illusus, & timore eversus Jocelinus Pontificis, Legatique inhibitionem egressus esset, nec culpam tamen, nec sancitas pœnas evasit.

Adversùs degeneres hosce Prelatos, & in Pontifice, qui par fuerat zelus, & Apostolica redarsit severitas, modò paternè adhortando, modò acriter increpando, tùm autem pro meritis animadvertendo[A]. Clarendunensis Conventûs lapsum eis aliquando obiiciens[B] ,, Oportuerat vos, inquit, ,, erigere oculos vestros ad Cælum, & ascendere ,, pro domo Domini ex adverso, ut non posset in ,, oculis vestris, tacentibus vobis, Ecclesiastica Dignitas naufragari. Et quidem si ullus vos pro ,, pastorali curâ zelus rectitudinis tenuisset, cognovissetis vos super gentes constitutos, & Regna, ,, ut in majoribus & minoribus evellere plantaria ,, vitiorum, & germen delectabile Domino inferere debeatis. Nunc autem quia plùs in vobis terreni Principis reverentia, quàm timor Domini, ,, & Episcopalis honor valuit dignitatis, pro vili ,, lentis edulio, quòd mœrentes dicimus, contempsistis primogenita cum Esau, & implevistis in ,, vobis quod in populo Judeorum Jeremias lamentatur dicens: *Sederunt in terrâ*, *conticuerunt* ,, *Senes*, *consperserunt cinere capita sua Virgines Filiæ Juda*.,,

(A) Epist. 32., 39., & 74. lib. 1., epist. 66., 67., 68., 69., & 71. lib. 5.
(B) Cit. epist. 66.

Deinde quod neque post factum crimen suum emendare fategissent, illos perstringit Alexander:

Sanè

Sanè si terroribus, & minis exterriti ad recipiendas, & juramento firmandas iniquas illas consuetudines processistis, nunquid non decuerat post tanti temporis spatium Sacerdotalem resumere firmitatem, & contra tantas enormitates cum prateritæ transgressionis pœnitudine sacerdotaliter reclamare? Cęterùm vos detestabili facto pertinaciam adjungentes & in illarum usurpationum observantiâ permanetis, & ita in depressionem Ecclesiæ præfati Regis votum sequi videmini, ut quasi proscriptæ jam de Regno vestro ex magnâ parte leges Ecclesiasticæ videantur [A].

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

Ibid. (A)

Alia post hęc in eosdem inertes Pręsules congerit crimina; cùm enim in Henrici junioris coronatione, quæ de Cantuariensis Archiepiscopi in exilio tum degentis juribus erat, sese inseruissent, *nullâ de servandâ Ecclesiæ libertate præstitâ, vel etiam exactâ cautione*, eos ut authores omnium quæ sequerentur malorum, & in Ecclesiam injuriarum damnans juxtà Leonis Magni sententiam, cujus etiam verba recitat, in eorum caput suspensionis censuram ejaculatur: *Nunc igitur, quia secularium culpæ nullos magis quàm desides Prælatos, negligentesque respiciunt, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam adhibere negligunt medicinam; & post expectationem diutinam nullo dolore contra vos ipsos, & nullo fervore contra illas iniquas usurpationes exurgitis, nos de commissâ nobis à Deo potestate, de auctoritate Apostolicæ Sedis, cui licèt immeriti Deo disponente servimus, ab omni Episcopali vos suspendimus dignitate*. In quosdam ex prędictis Episcopis, & in Gaufredum Ridel Cantuariensem Ar-

In aliis materiis metûs excusatio rejicitur.

chidiaconum, quòd magis eâ in re peccassent, gravior etiam fuit punitio anathemate, aliisque pœnis inflictis, nihil eis metûs excusatione patrocinante [A].

(A) Ibid.

Eboracensi, & Dunelmensi Episcopis, qui præ cæteris exorbitaverant, omnium maximè succensuit Pontifex [B]. „ Non debemus, ait, omittere „ quin ea, quæ perpetrata & incorrecta generant „ mortem, & requiramus in vobis & zelo rectitu- „ dinis corrigamus, dicente Domino per Prophe- „ tam: *Si loquente me ad impium, morte morieris,* „ *non annunciaveris ei, neque loquutus fueris, ipse* „ *siquidem in peccato suo morietur; sanguinem autem* „ *ejus de manu tuâ requiram* „. Se quidem haud ignarum ostendit Alexander eos pavore correptos, cùm objurgandum fuerat, obmutuisse; &, quod eorum muneris erat, tubâ canere non audentes, adulari ac citharâ ludere maluisse: *Plectendum* (Rex) *judicavit ut hostem quicumque vellet ab iniquis illis consuetudinibus dissentire*. Verùm ob hanc ipsam ignaviam vehementissimè commotus tonat Pontifex, cùmque suspendat jam, se eos dignitate prorsus etiam discincturum interminatur, nisi melioribus curis & resumptâ virtute inertia corda acuissent: „ Et si multùm prænominati Re- „ gis vehementia nos conturbat; ampliùs tamen „ de vestrà, & aliorum Coëpiscoporum vestrorum „ possumus infirmitate moveri; qui, quod dolen- „ tes dicimus, *facti sunt arietes non habentes cor-* „ *nua*: *Abiistis absque fortitudine ante faciem subse-* „ *quentis*.... Ne, si diutiùs tacuerimus, unâ vo-

(B) Epist. 67. ibid.

bis-

„ biſcum in die Judicii damnationis ſententiâ in- „ volvamur authoritate Sacroſanctæ Romanæ,cui „ Deo authore miniſtramus, Eccleſiæ,ab omni offi- „ cio Epiſcopalis vos ſuſpendimus dignitatis, ſpe- „ rantes quòd ſub diſciplinâ ſaltem, & paterno „ verbere conſtituti redire tandem ad cor, & de „ tuendâ debeatis libertate ſatagere. Si verò nec „ ſic Epiſcopalis officii zelum reſumpſeritis, nos „ adhuc authore Domino, quod nobis imminet, „ faciemus. Vos videte ne illud vobis dicatur „ quod cuidam dictum eſt per Prophetam: *Quia „ tu ſcientiam repuliſti, repellam te ne Sacerdotio „ fungaris mihi* „.

In aliis materiis metûs excuſatio reiicitur.

§. 4.

Magnatum, ac Principum pro Eccleſiaſticâ libertate tuendâ invicta pietas, & excellens.

OPORTUERAT afflictatę Eccleſiæ eorum generoſam opem,& præſidium non deeſ- ſe,quorum officii ac dignitatis eſt Chriſti Sponſam tutari ac defendere; ut vel hoc luculen- tiſſimo exemplo inertiam dediſcerent Eccleſiaſtici. Cùm in Angliâ hoſtis loco ab Henrico Sanctus Thomas haberetur, Galliam ei nedum ut amico, SED TAMQUAM IN REGNO SOCIO Ludovicus VII. obtu- lit[A], *auxilium* prętereà, & *ſe ſcripturum, & acturum* quæcumque potuiſſet pollicitus[B]. Verùm Sanctus Præſul decentiorem ſedem eligens Pontiniacum pe-

(A) *Suus Nuntius D. Thom. epiſt. 23. lib. 1.*

(B) *Io: Sareſber. epiſt. 24. ibid.*

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

petiit nobile Cisterciensis Ordinis Monasterium. Regis minis contemptis perhumaniter eum Pontiniacenses excepere; quâ de re grates sibi à Pontifice, qui illum commendaverat, persolvi meruerunt [A]. Sed ferociùs deinde strepentibus Henrici minis, omnia Cisterciensium in Angliâ,& Neustriâ Monasteria excisum iri, nisi præceps Cantuariensis Pontiniaco eiiceretur [B], nonnulli ex Monachis expavefacti in quâ eò usque permanserant virtute excidisse visi sunt. Eorum irreligiosum timorem summoperè damnans Alexander ne à cœpto desisterent, districtè inhibuit [C]: *Super eo* NON POSSUMUS NON MIRARI, *quòd* VESTRÛM QUIDAM *Venerabilem fratrem nostrum Cantuariensem Archiepiscopum virum religiosum pariter & honestum, & Deo ac nobis nec non & Ecclesiæ universæ charum omnimodis, & acceptum, à Pontiniacensi Monasterio removeri, sicut audivimus, voluerint, & eidem* AD MINAS ET TERRORES QUORUNDAM *totius Ordinis vestri solatium denegari. Unde, quoniam vera caritas foras mittit timorem,* NEC VIRI RELIGIOSI EST HUMANUM TIMOREM DIVINO ANTEFERRE, *Universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, ne tale quid de cætero attentetis,* NE, QUI OPPRESSORUM, ET PRO ECCLESIÆ LIBERTATE EXULANTIUM REFUGIUM ESSE DEBETIS, ALIIS EXEMPLUM IN HOC PERNICIOSUM PRÆSTETIS. Tametsi loci Abbas, aliique Monachi Pontifici sub quocumque discrimine obedire parati essent [D], Sanctus nihilominus spontè abire decernit,& ad Ludovicum confugere, cui, quæ acciderant, nuntiavit.

Ubi ea intellexit Ludovicus, mirum quàm alie-

(A) Epist. 81. ibid.

(B) S. Thomas epist. 129. lib. 1.

(C) Epist. 82. ibid.

(D) Cit. epist. 129.

alienum & absonum visum sit eum timorem in Monachos cadere potuisse! quantùm id fuerit detestatus! quæque ipse regiæ pietatis ediderit argumenta! *Plurimùm admiratus est*, narrat Historicus [A], *& mox suis, qui aderant, totum retulit quod audierat. Et iterando sic omnibus audientibus inquit*: „ O RELIGIO, O RELIGIO UBI ES? ECCE ENIM „ QUOS CREDEBAMUS SECULO MORTUOS, SECULI MINAS TI- „ MENT! Et pro rebus caducis, quas se propter „ Deum contempsisse profitentur, à Dei opere „ quod cœperant, convertuntur retrorsum, Dei „ causâ exulantem proiicientes à se „. *Et convertens sermonem ad eum qui missus fuerat, inquit* „ Saluta Dominum tuum Archipręsulem, & fiducialiter ipsi meo nomine nuntia, quòd si mun- „ dus, & etiam qui videntur mundo mortui eum „ deserant, EGO TAMEN EUM NON DESERAM, sed quan- „ tacunque Rex Anglorum, etsi Dominicus homo „ meus sit, adversùs ipsum moliatur & exerceat; „ EGO TAMEN SUSCIPIAM PROPTER DEUM EXULANTEM, „ ET PROPTER JUSTITIAM ADVERSA PATIENTEM. Nun- „ tiet ergo nobis ad quemcunque ditionis nostræ „ locum divertere maluerit, & paratum inve- „ niet.

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

(A) *Vuillhelm. Cantuar. vit. S. Thomæ lib. 2. cap. 17.; Vid. etiam epist. Ludovic. Gall. Reg. ad S. Thom. quæ est 84. lib. 1.*

Oratores suos & Henricus miserat ad Ludovicum, quibus denuntiaverat, siquam opem proscripto Archiepiscopo contulisset, hosti suo collatam se habiturum [B]. Neque verò ex hoc sententiam mutavit optimus Princeps, quin hæc Legatis reddidit: *Certè sicut Rex Anglorum, ita & ego Rex sum; veruntamen minimum de Clericis mei Re-*

(B) *Heribert. de Bosaham in ead. vit. cit. lib. 2. cap. 7.*

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

gni deponere ego non valerem[A]. Quid aliàs simili Henrici Legatione acceptâ responderit, Thomas ipse literis consignavit[B]: „ Se hoc jus hęreditarium ab Antecessoribus contraxisse, & semper „ fuisse consuetudinis Regni Francorum, ut omnes „ pro Justitiâ exulantes benignè recipiat, & eis debitæ humanitatis solatia impendat. *Et dixit*, se „ nunquam tam laudabilem hæreditatem & Deo „ gratam ex causâ quâlibet deserturum. *Adjecit* „ *etiam*, quòd nos receperat de manu DOMINI PAPÆ, „ QUEM SOLUM IN TERRIS HABET DOMINUM; & ideò nec „ pro Imperatore, nec pro Rege, nec pro aliâ mundi Potestate dimissurum; quin foveat nos & causam nostram, quandiù necessè fuerit. „

(A) *Idem loc. cit.*

(B) *Epist. 79. lib. 3.*

Equidem talis erat Henricus, ut summis quoque Principibus formidabilis videretur. Disertè eum describit Ernulphus Lexoviensis Episcopus[C]: *Porrò adversùs eum vobis agendum, cujus astutiam remoti*, VICINI POTENTIAM, *severitatem subditi* REFORMIDANT. *Quem adeò crebri successûs, & fortunæ gratia fecit delicatum, ut quidquid non obsequitur, ducat injuriam*. Ad hæc tamen minimè respexit Ludovicus, quem in Ecclesiæ causâ vera pietas constantem fecerat, & securum.

(C) *Epist. 85. lib. 1.*

Verbis opera responderunt. Quò invitatus fuerat venientem jam Thomam comitate summâ, *& in ulnis caritatis excepit*. Agendicum Senonum Urbem adjudicavit; providitque ut ex fisco splendidè admodum, & *regiâ magnificentiâ* tractaretur. Sæpe eum consolaturus invisit; atque ejus partes cum Pontifice, & Henrico ipso diligenter egit; nec unum

unum alterumque ob id negotium convenire renuit. Non munificentiâ, non patrocinio, non illi defuit obsequio; idque ita ex animo & summâ voluntate, ut ei *pauci viderentur dies & parvi sumptûs præ amoris magnitudine, quos Sacerdotis Christi, & Apostolici viri impendebat obsequiis*: suamque in illum benevolentiam declarans, *quasi in sinu confovere constanter se dispofuisse* prædicaret [A]. Adeò verò nil in eo fucatum aut simulatum, sed pura ac syncera omnia, ut non aliis nexibus se Thomæ partibus illigatum denuntiaret, quàm *justissimæ causæ, quam fovebat, intuitu*, dum *pro justitiâ, & Ecclesiæ libertate exulabat; ejus probitatis contemplatione, amore etiam Domini Papæ, qui satis instantiùs pro eo rogaverat* [B].

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

Cùm in ejus notitiam devenissent quæ Joannes Oxenefordiensis Henrici Nuntius, homo malitiosè nequam in vulgus sparserat, eos nempe Legatos Româ in Angliam missos, qui Regi morem gesturi essent, metuens ne ex hoc Ecclesiæ libertas, quæ tantæ sibi curæ erat, detrimentum acciperet, id *non esse sibi minùs molestum protestatus est, quam si ad coronam sibi auferendam destinarentur* [C]. Certior tùm factus falsos eos rumores fuisse, & Legatos *non venisse, ut libertati Ecclesiæ præjudicarent*, sed ut de rebus componendis agerent, *lætatus est, prudentiæ, justitiæ, ac sanctitatis* Pontificiæ *gloriam prædicans, & extollens* [D].

Dignam tam pii Regis conjugio, nec degenerem Theobaldi religiosissimi Principis filiam se probavit Adela, in Apostolicæ Sedis honorem, &

(A) *Io: Saresber. epist. 95. & 102. lib. 2., Vvillhelm. Carnot. epist. 74. ibid., Ludovic. ipse epist. 84. lib. 1., & epist. 18., & 22. lib. 4., D. Thom. epist. 86. lib. 2., vit. ejusd. lib. 2. cap. 19.*

(B) *Lombard. Roman. Eccles. Subdiac. epist. 166. lib. 1.*

(C) *Idem loc. cit.*

(D) *D. Thom. epist. 30. lib. 2.*

In alijs materiis metûs excusatio reiicitur.

& Ecclesiæ tutelam studium quoque suum conferendo. Prudentem Alexandri erga Henricum longaminitatem mollitiem nonnulli interpretabantur. Literas ad Pontificem scribens Regina eâ de re reverenter admonuit: quantum ex eo offendiculum Gallicana Ecclesia pateretur, quot secutura essent ob exempli perniciem mala; quæque & ipsa & Rex maritus pro Ecclesiæ causâ discrimina contempsissent, in memoriam illi revocat, retegitque, & acutos addit stimulos, ne diutiùs in contumacem Anglum Vaticana frigescerent fulmina [A]: *Verbis sicut Patri loquar &* DOMINO, *cujus honorem Dominus meus Rex, & Ego, &* TOTUM REGNUM NOSTRUM *desideramus, ut proprium.... Qui vos in Patrem suscepimus, &* DOMINUM; *& in circuitu nostro* FREMENTIUM REGUM, *& animam vestram quærentium* PRO DEO, ET VOBIS CONTEMPSIMUS INIMICITIAS. *Audite ergo, si placet, filiam vestram, & in eo, quod dictura sum, non sexum contemnatis fœmineum, sed amantis attendatis affectum.... Obtinuit Rex Angliæ literas, si tamen adulteratæ non sunt, patentes, quibus statuistis, ut Cantuariensis Archiepiscopus, qui jam quadriennio pro justitiâ exulavit, non possit in eum, vel terram ejus, nec gravamen inferre alicui personæ de terrâ suâ, donec in ipsius gratiam restituatur. Nonne, Pater, ex his literis habere videtur autoritatem impunè peccandi, & Archiepiscopum perpetuò proscribendi? Nam de cætero in arbitrio ejus eum erit recipere. Hinc adeò scandalizata est apud nos tota Ecclesia, ut magis turbari non possit:* QUIA MALUM EXEMPLUM OMNIBUS PRINCIPIBUS DATUM EST.

Do-

(A) Epist. 19. lib. 4.

Dominus meus Rex, cui Archiepiscopum tradidistis, turbatur plurimùm, quòd inter manus ejus, si tamen in hâc sententiâ perstiteritis, innocens jugulatur. Multis fortissimè gestis, nedum scriptis epistolis, quarum partem jam antè vidimus, diluit Alexander memoratum ab Adelâ scandalum, & conflatam sibi calumniam. In aliis materiis meris excusatio reiicitur.

Ex his Regnantium curis Regni totius studia, & Religionis ardorem metiri licet. Quòcumque clarissimus Exul adventasset, instar cælestis Genii à venerabundis Populis, atque in occursum egredientibus læto, & secundo clamore salutabatur [A]. Certatim Magnates eum, ejusque familiares, ac socios honore prosequi, ac apud se suscipere gestiebant, se & sua pro tam laudabili causâ parati exponere. Joannes Saresberiensis qui *necessitatibus Ecclesiæ*, suique Prælati *utiliter, & fideliter deserviendo relegationis pœnam primus ob hoc sustinuit* [B], iter suum in Gallias enarrans [C] visum sibi esse scribit, *lenioris auræ temperiem sensisse*, statim ac *partes attigit cismarinas*. Vix enim *egredienti de navi* præstò fuerunt *servientes Comitis Epmensis*, qui *ex mandato ipsius honorificè susceperunt*. Quà transiret, quòve diverteret, passim regionum Domini aliique nobiles viri famâ præeunte admoniti se alacres ei in viâ, & quibus dominabantur loca in obsequium offerebant, itaut *felix exilium* ille suum vocaret. Alter Sancti Thomæ Nuntius hæc ei de Suessionum Comitis magnaminâ humanitate significavit [D]: *Multis interpositis juramentis asserebat quòd Comitatum Suessionensem, & ipsius redditus uni-*

(A) *Vit. cit. cap. 19. Vvillhelm. Carnot. cit. epist. 74. lib. 2.*

(B) *Io: Pictaviens. epist. 2. lib. 1. in fin.*

(C) *Epist. 24. ibid.*

(D) *Epist. 23. lib. 1. in princip.*

In aliis materiis merits excusatio reiicitur.

universos in usus vestros conferet. Tot erant, qui se officiosos, & magnificè habituros ultrò pollicebantur, ut in consultationem vocare oportuerit, cujus potiùs liberalitate utendum esset [A].

(A) Herveus Cleric. epist. 50. ibid.

Scotiæ Regi, & Philippo Flandriæ Comiti, ut Cantuariensem causam commendatam haberent, scripserat Pontifex [B] hoc in primis argumento ad eorum ciendam generositatem usus, quòd illius causa esset, qui *temporalium jacturam subire maluerit, quàm jussis Principum obedire* [C]. Promptissimè illi injunctum patrocinium suscepere, omnemque contulerunt operam, ut Henricum à tantâ Ecclesiæ infestatione revocarent [D]. Sed postquam infructuosas preces, cassa officia, & cassas ad eum Legationes experti sunt, Philippus sua ipsius, & aliorum Principum vota Alexandro exponens, ipse ei vicissim in adeò gravi negotio, animos subdit ac faces, ne justas ab Ecclesiæ oppressore pœnas deposcere dubitaret [E]: *Jam dictum Cantuariensem omni gratiâ* METUQUE *postposito diligatis, & foveatis.... Exurgatis in irâ vestrâ*, ET INIMICOS ECCLESIÆ DEBELLATE.... NOS VERÒ OMNES ET REGNI FRANCORUM PRINCIPES *expectamus, & desideramus, ut isti, qui propter honorem Dei & vestri nominis exulat, dignum, prout meruit, tribuatis auxilium*; & ECCLESIÆ INIMICOS, *qui dolis & circumventionibus*, MINIS ETIAM QUÆRUNT JUSTITIAM SUBVERTERE, *& vestram deludere prudentiam, sicut justum est*, REPELLATIS. Ita verè pii Reges ac Principes nec æqualibus, aut potentioribus displicere curant, nec humanos respectus norunt, ut suum in Ecclesiam

(B) Vid. epist. 55., & 59. lib. 1., & 96. lib. 3.

(C) Cit. epist. 59.

(D) Jo. Saresber. epist. 33. lib. 1., Herv. Cler. cit. epist. 50., & Alexand. III. cit. epist. 55.

(E) Epist. 96. lib. 3.

per-

persolvant obsequium, & strenuè pro eâ dimicantes tutentur ac protegant. Ideò enim *potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam* MUNIANT. *Cognoscant*, Isidorus inquit[A], *Principes seculi se Deo debere esse reddituros rationem propter Ecclesiam, quam à Christo* TUENDAM *suscipiunt*.

In aliis materiis metûs excusatio reiicitur.

(A) *Can.* Principes 23. q. 5.

Ex tam multis, quos furentis Henrici æstus ex Angliâ hùc illùc jactaverat, cùm aliquot, Divi Thomæ signanter consanguinei Siciliam appulissent, datus ibi eis fuit laborum portus, & hospitale solum, Mathildis Reginæ favorabili aspirante benignitate. Stephani Siciliæ Regis Cancellarii, & Syracusani etiam Cleri erga tam nobiles exules pietas refulsit, ut *novus Lucifer* visus sit *ab Oriente in Orbem occiduum resplenduisse*[B]. Heu! tu modò, Sicilia, in materno Ecclesiæ sinu acerba aperis vulnera; quæ olim ab aliis inflictas plagas filialis caritatis fomento allevare satagebas.

(B) *Vid. S. Thom. epist.* 56., 57., & 58. *lib.* 1.

CA-

CAPUT VII.

De effectibus Interdicti.

§. I.

Celebriorum Interdictorum exitus exploratur.

NON modò an Ecclesiasticis servandi Interdicta obligatio incumbat, verùm etiam an Ecclesiæ servari expediat, ubi laici Magistratûs sævitia obsistit, in controversiam vocatum est. Dupinus æquè semper in Ecclesiasticam Potestatem malè affectus, illique ubilibet paratus detrahere, qui nihil de hâc censurâ scripsit, nisi infenso & amaro calamo, *Vix unquam*, fabulatur, *ex Interdictis aliquid boni Ecclesiæ accessisse, sæpè* ea *ab Ecclesiis spreta, atque contempta, coactosque Romanos Pontifices ad vanam resipiscentiæ umbram relaxare*. Etsi quæ sparsim hactenus dicta à nobis sunt [A], satis esse queant ad ejusmodi vanissima insomnia explodenda, haud abs re tamen fuerit in argumentum gravissimum peculiari disquisitione descendere.

(A) *Vid. quæ diximus par. 1. cap. 2. §. 1. & 2., & par. 2. cap. 4. §. 2. & seqq.*

Nunquid nihil boni accessit Ecclesiæ ex sententiâ à Gregorio VII. in Regnum, Regemque Poloniæ excussâ invictè ab Ecclesiasticis executioni demandatâ? an non summa inde Ecclesiasticæ Potestati reverentia conciliata? Illius verò contem-

De effectibus Interdicti.

temptoribus alterutrum relictum exemplar, aut terribilis divinæ ultionis, quod perrhorrescant; aut veræ consummatęque pœnitentię, quod imitentur? Sanè de Boleslao eâ sententiâ tacito testantur Historici, cùm se domi forisque contemptum, omnibusque exosum intelligeret, desperatione actum clam patriâ Regnoque relictis in Hungariam ad Sanctum Ladislaum Regem affinem, & alumnum suum divertisse: ubi tamen rerum suarum famâ diffusâ, nec se & ibi contemptui odioque haberi ferentem rursus in fugam se dedisse. Quis ejus extremus exitus fuerit, incertum est, aliis quidem perhibentibus, furore acerbo & infatigabili scelleratorum carnifice correptum mortem sibi ipsum conscivisse; aliis verò, pernici equo, quo per avias sylvas ferebatur, excussum, à propriis canibus discerptum ac laceratum: tametsi nos post Henschenii, & Papebrochii judicium magis vera putamus, quæ mitiora de eo narrant Carinthii apud Georgium Crugerium in triumphis Majalibus Regum Bohemiæ, errabundum nempe Boleslaum ad Benedictinorum Monasterium devenisse, in eoque receptum ac latentem quis esset post multos labores in vilissimo ministerio ultrò & in commissi parricidii pœnitentiam exantlatos, imminente jam morte, Regem se denique, & facti sui seriem Abbati revelasse, & sic in spe bonâ supremum diem obiisse.

Tunc verò Interdicto resoluta est Polonia, cùm Wladislaus (quem Hermannum etiam vocant) exauthorati Regis frater, duobus aliis natu

De effectibus Interdicti.

majoribus immaturâ morte absumptis, Principatum suscepit; regiisque fascibus, coronâ, ac titulo, juxtà quod Gregorius decreverat, abstinens, ac Regni tantùm hæredem se patiens nominari (quod Longinus se in ejus originalibus literis vidisse testatur) Legationem ad Sedem Apostolicam misit, ac de Sacris Poloniæ restituendis demissè admodum supplicavit [A]. Ad annum 1198. de Boleslao juniori tunc Poloniæ imperante, longèque à primo dissimili observat Spondanus [B], ad cohibendos Ecclesiasticis censuris adversariorum insultus, ab Innocentio III. ut *specialem S.R.E. filiũ* literas impetrasse, quibus tamen *Poloniæ Dux tantummodò, non Rex nominabatur*. Ita ad sera usque tempora Pontificiæ sententiæ viguit observantia.

(A) *Chromer de reb. Polon. lib. 4. et 5. Longin. in vita S. Stanislai lib. 1. cap. 12. & 13., ibique annotata per Bolland. in actis Sanctorum Maii tom. 2.*

(B) *Num. 11.*

Minæ tantùm Interdicti Philippo Gallorum Regi ab eodem Gregorio VII. fuerunt denuntiatæ. Profuerunt illæ nihilominùs; *eumque & providere sibi, ac suis invigilare compulerunt* [C]. Cùm gladius, à Gregorio ostensus tantùm, iterum ab Urbano II. ob novam causam in Claromontanâ Synodo districtus, & infictus jam esset, *Philippus*, ut Bertholtus Constantiensis [D] author est, *tandem Domino Papæ, dum adhuc in Galliis moraretur*, SATIS HUMILITER AD SATISFACTIONEM VENIT: *& abjuratâ adulterâ in gratiam receptus est*. Ad vomitum quidem, & Bertradæ amplexus is rediit: at censuræ item in eum Regnumque renovatæ [E]. Romam Legatos misit, quin ipsemet ire statuerat [F] pro absolutione obtinendâ; quę tamen nunquã cõcessa, nisi anno 1104. cùm malo juxta Yvonis consilium consultum est [G].

(C) *Briet. ann. 1073.*

(D) *Ad ann. 1096.*

(E) *Concil. Pictav. ann. 1100. Can. 1.*

(F) *Yvo epist. 49.*

(G) *Vid. ejusd. epist. 169., & Baron. ãn. 1104. pag. 35.*

Ro-

Robertus Rex, qui simili laboraverat morbo, idem omninò remedium à Gregorio V. adhibitum saluti suæ conducibile expertus fuerat. Hâc enim ratione Comitis Odonis filiæ nuntium remisit. *Quo facto* ABSOLVI CUM TOTO SUO MERUIT REGNO [A]. Ductâ deinde in uxorem Constantiâ Guillelmi Comitis Arelatensis filiâ, cum eâdem conjunctissimè vixit, *& sanctioris vitæ constantiâ priorum scelerum maculas eluit*.

(A) *Ex histor. Aquitan. fragment. in Tithœi collect., & cit. Briet. ad ann. 998.*

Interdicto triennali *emollitus est* Ludovicus VII., qui *jurejurando se constrinxerat* ne Petrum Bituricensem Archiepiscopum *unquam admitteret* [B]. Non tantùm autem perperam factorum veniam Pontificem petivit; sed præterea adeò acerbus fuit de iis doloris sensus, ut Divo Bernardo consolatore fuerit deliniendus; ac pro pœnitentiâ agendâ Pontifice imponente Hierosolymitanam expeditionem religiosus Princeps susceperit [C]. Quibus aliisque præclarè deinceps, & piissimè gestis rectè emendavit, quæ junior adhuc in Ecclesiam peccaverat.

(B) *Vid. Bernard. epist. 219., et Thomasin. discipl. par. 2. lib. 1. cap. 103. n. 6.*

(C) *Robertus sive Rupertus Montens. in append. ad Sigibert. ann. 1146. Paul. Æmil. Veronen. in Ludovic. VII., Briet. ann. 1142.*

Rex Legionensis, & filia Regis Castellæ, *licèt aliquanto tempore in suâ contumaciâ perdurassent, demum tamen redeuntes ad cor incestuosam copulam dissolverunt, & cùm fuissent ad invicem separati, præstito secundùm formam Ecclesiæ juramento meruerunt absolvi* [D]: cumprimis verò injuncto, ut Episcopus, qui ex Interdicti causâ expulsus fuerat, Sedi suæ damnis repensis redderetur [E]. Alterum dicti Regis cum Regis Lusitani filiâ simili vitio laborans conjugium eodem cuneo fuerat dissolutum. [F]

(D) *Script. Gest. Innoc. III. pag. 38. edit. Bosquet.*

(E) *Raynald. ann. 1198. n. 34., Innoc. III. epist. 125 lib. 1.*

(F) *Idem epist. 75. lib. 2.*

De effectibus Interdicti.

Interdictum in Gallias latum sub Philippo II. Augusto, *quod per octo menses duraverat*, tunc sublatum est cùm *in primis Ecclesiis, & Ecclesiasticis viris* DE DAMNIS, ET INJURIIS SATISFACTUM *congruenter fuit &c. Rex Reginam* RECEPIT *in animam suam juramento firmans, quod honorificè ipsam* UT REGINAM *tractaret, & absque judicio Ecclesiæ non dimitteret &c.. Superinductam autem à suis* SEPARAVIT *amplexibus* [A].

(A) Cit. Gest. Innoc. III. Script. pag. 35.

Tergiversatus est aliquandiù Rex Lusitaniæ Sanctius Portugalensem Ecclesiã, Episcopum, aliosque Ecclesiasticos exilio addictos plenè restituere. Satisfacere curavit denique: ex quo ei scribens Innocentius III.[B], *Is*, ait, *qui tangit montes, & fumigant, cor tuum tetigisse videtur ad pœnitentiam salutarem*.

(B) Epist. 58., 59., et seqq. lib. 2. reg. 14., Add. Spond. ann. 1210. n. 4. & 1211. n. 6.

Ad liberandum Theobaldum Cantuariensem Archiepiscopum à dirâ infestatione, & molestiis, quas illi Stephanus Angliæ Rex inferebat, nullam compendiariam magis viam fuisse eâ, quam Eugenius III. Pontifex inivit, censuras Regi Regnoque intentando, ejusdem Theobaldi in Episcopatu Successor literis prodidit [C]: *Rex Stephanus ab Antecessoris nostri persecutione non destitit, antequam piæ recordationis Dominus Eugenius omni cessante appellationis obstaculo in caput ejus anathematis*, ET IN TERRAM INTERDICTI SENTENTIAM *præcepit ab omnibus Episcopis autboritate Apostolicâ exerceri. Lupus enim ab ovili facilè non arcetur, nisi clamore canum terreatur, & baculo*.

(C) S. Thom. epist. 136. lib. 1.

Cùm easdem censuras decretas jam ab Alexandro III., nec ullum ampliùs sibi effugiendi spatium superesse cognovit Henricus, statim ad-

pa-

pacis ac pietatis studia conversus est, statim Sanctum Thomam, ejusque coexules in gratiam Regnumque recepit. Ubi in loco feriendæ paci destinato venientem Archiepiscopum vidit, caput aperuit, exiliitque in amplexum, & salutare parantem prævenit. Mox mutuis colloquiis,& gaudiis perfuncti, soli in partem secedunt; &, quod olim solebant, dum amicitia flagraret, diu multumque sermocinantur. De consuetudinibus ne quidem Rex mutit: articulos pacis, quales Alexander præceperat,subscripsit: omnia perversa in pristinum, Ecclesias Ecclesiasticosque omnes in integrum se restituturum spopondit, sua singulis reddendo. Cùm in discessu equo Thomas desiliret,ut Regem ejus pedibus advolutus veneraretur, ipse stapedem tenens iterum coegit ascendere; enixè tum rogans ut quàm primũ Angliȩ se redderet. Quæ omnia tanto amoris, & humanitatis sensu peracta, ut plerique ex spectantibus præ gaudio in lacrymas solverentur. Moræ deinde impatiens Rex datis ad Archiepiscopum literis iterum ad reditum maturandum urget: quòd obviam ipse non eat,se excusat; virum tamen familiarem suum à se mitti scribit,qui suas expleat vices; atque Henrico juniori filio à se injunctum, ut amicè admodum exciperet, & honorificè [A].

(A) *Inter epist. Divi Thomæ epist. 44., 45., & 47. lib. 5.*

Brevis quidem ea serenitas fuit; quin statim turbulentior eam tempestas excepit. Licèt tamen molesta Ecclesiæ ea fuerit concertatio; in summâ tamen compendiosa extitit & illustris. Iisdem armis, quibus se primùm defenderat,vicit demum,

De effectibus Interdicti.

Ecclesia, & quo majores tribulationes tulit, eò nobilior fuit palma, & Regis absolutior resipiscentia: qui sicut furens, scelerum atrocitate, ita sedatus, religione ac pietatis sensu vulgares fines trasmittere consueverat.

Statim enim ac Sanctus Præsul gregi suo septennio pastore jam destituto anno 1170. se reddidit, Regii Ministri, quibus ut scelestis odio non esse haud poterat, confestim ab eo exigunt, quæ nec dare vellet, nec posset: iisque de rebus delatis ab illis sæpe ad Regem querelis, hic (ut solebat furiosè & impotenter loqui) maledicit famulis qui de suâ victitarent mensâ, nec Dominum de Sacerdote ulciscerentur. Id tantùm satis fuit, ut quatuor aulici audaciâ, quàm sanguine nobiliores, Sanctum virum neci destinarent. Sed neque se defendi is curans, cùm posset, percussoribus collum, & caput obtulit eâdem constantiâ, quâ impio Principi restiterat, gaudens quòd meruisset pro Ecclesiæ libertate tuendâ martyrio coronari.

Exhorruit ad tantum facinus penitusque turbata est uniuersa occidentalis Ecclesia; itaut à Francorum Rege, aliisque piis Principibus Legati Romam missi sint Henricum accusaturi, & ad dignam patrato scelere exposcendam vindictam. Infelix autem, ac malè sanus Rex, *cùm audisset*, ut gestorum Divi Thomæ Scriptor enarrat [A] *gladiis suorum occubuisse Beatum Thomam, post paucos dies misit Clericos suos ferentes literas, qui Cantuariam venientes congregatis Fratribus dixerunt*: „ In„ fortunium, Fratres, quod penes vos accidit, eate-

(A) De gest. post martyrium cap. 1.

nùs

„ nùs Dominum Regem contristavit,ut ab introi-
„ tu Ecclesiæ per triduum abstinuerit, cibumque à
„ die, quâ audivit, usque in tertiam præter lac
„ amygdalarum non sumpserit, consolationem
„ non admiserit, nec in publicum prodierit, sciens
„ in suam redundare infamiam, quod suorum
„ actuum sęvitiâ.... A Curiâ latenter recesserunt
„ quatuor illi, qui flagitium perpetraverunt. Quod
„ cùm audisset, sciens eos ferocissimos omnium-
„ que nequissimos, qui infra terminos Regni sui
„ continentur, veritus nequid ageretur, quod in
„ regiam redundaret infamiam, è vestigio misit
„ expeditissimos, qui præoccupantes filiorum Be-
„ lial insaniam prohiberent. At illi aspirantium
„ obsequio ventorum in miseriam nostram tran-
„ sierant præter conscientiam ejus explentes, quod
„ in perpetuum oblivioni non tradetur.... Sed si
„ quid culpæ contraxit in eo quòd aliquid dixisse
„ videtur, quod ad facinus aggrediendum grassa-
„ tores invitaverit, vestris orationibus convenit
„ expiari. Et nunc corpus jubet honestè tradi
„ sepulturæ, ut apponatur ad Patres suos „.

Infra memorati tridui fines nequaquam luctus pœnitentis Regis sese continuit. *In Normandiæ oppidulo, quod Argentolium dicitur per quadraginta dies sedit mœrens.... lugentium cibos comedit, equum non ascendit, nulla jurgantium causa, nulla agendorum consultatio, nulla pulsantium querela ingrediebatur ad eum, nulla tot terrarum regendarum sibi cura proponebatur quasi omnia tunc postponenti præ dolore. Sedebat quippe solitarius super*

De effectibus Interdicti.

hoc quod acciderat ingemiscens semper & dolens; & sæpe sæpiùs iterans „ Heù, heù „ [A].

(A) *Idem Gestor. Scriptor cap. 3.*

Confestim tamen Henrici & Episcoporum quorumdam Angliæ legatio ad Apostolicam Sedem missa fuerat, quinque *viris magnis & industriis* ex primoribus aulæ selectis, qui ad Alexandrum excusationes perferrent. Primùm autem vix visi, vix auditi sunt, cùm jam statuisset Pontifex proximâ feriâ quintâ ante Pascha (quâ Romanæ Ecclesiæ mos est publicè absolvere, aut excommunicare) Henricum anathemate, ejus verò Terram Interdicto percellere. Quibus minis illi perterriti adeò demiserunt se se, tantamque Apostolicæ Sedi spoponderunt obedientiam; ut mitiùs agens Alexander Viri Sancti percussores dumtaxat tunc damnaret, & generaliter qui ejus mortis authores extitissent; & vicissim Legatos in Angliam mitteret, qui de Rege inquirerent, an sacrilega cædes ad eum utcumque pertineret [B].

(B) *Clerici Regis Angliæ Regi Angliæ epist. 83. lib. 5. inter eas D. Thom.*

Coram ipsis igitur multa pollicitus Henricus, quibus Romano Pontifici se verè subditum profitebatur, & multa opera bona, ut elueret furores suos, quibus causam dedisse tam impiæ neci videbatur, per juramentum se de illâ purgavit, obstrinxitque filium suum Henricum, ut hic impleret quidquid Pater perficere non potuisset. Inter leges autem à Legatis reconciliando dictas hæ fuerunt. 1. Ut binas militum centurias Templariis adversùs paganos traderet, amplis stipendiis pro certo tempore persolutis. 2. Ut non tantùm Clarendunenses, sed quascumque alias pravas Regni con-

consuetudines, malorum omnium caput, antiquaret, novas quidem statim, veteres verò postquam Pontifex discussisset. 3. Ut Cantuariensem Ecclesiam, & omnes, qui pro eâ dimicaverant, in jura, bona, & quos gesserant ante concertationem honores, & munera plenissimè restitueret, veram omnibus pacem redderet, quin & apertas & obscuras simultates prorsus oblitus in gratiam, & amorem reciperet. 4. Ut ipsemet sacræ militiæ se accincturus esset, atque in Hispaniam, ut eam à Saracenis liberaret, profecturus, ubi idem mandasset Pontifex. *Injunxerunt ei etiam secretiùs jejunia, & eleemosinas, & alia quædam quæ ad communem audientiam non pervenerunt. Ad hæc omnia Rex benignissimè assensum præstitit, ita quòd coram omnibus dixerit* „ Ecce Domini Legati corpus meum in manu „ vestrâ est: scitote pro certo quòd quidquid jusseritis . . . . . paratus sum obtemperare „ [A]; Magna quidem Regalis animi submissio; sed quam ejus scelus, & in Ecclesiam molitiones exigebant.

De effectibus Interdicti.

(A) *Gestor. post Martyr. cap.* 3. *epist.* de recôciliatione Regis 88. *lib.* 5. *inter eos D. Thom.*

Plerique ex amicis, quique Sancto adhæserant, & exilii comites fuerat, ad summos Ecclesiæ gradus provecti sunt: Hubertus Lombardus Romanis Infulis sub nomine Urbani III. potitus est, Heribertus Sacrâ Purpurâ donatus, Joannes Saresberiensis Carnotensem, Robertus Filioth Herefordiensem, Ghirardus Conventrensem, Gilbertus Roffensem Episcopatus adepti sunt, alii alias Dignitates. Contrà percussores ejus ita facti sunt omnibus odiosi, ut eorum aspectum omnes refugerent

rent

De effectibus Interdicti.

(A) *Ita in cit. gest. cap.9. apud alios verò Cosentia legitur.*

rent, ipsi etiam canes ex eorum manibus cibum sumere respuerent: petitâ tamen veniâ jussi sunt in Palæstinam peregrinari; sed dum eorum primarius Tusentiæ[A] moras nectit, toto corpore ita computruit, ut nervi ejus ossaque viderentur; & in auxilium Sanctum Martyrem appellans inter dolores acerbissimos interierit. Reliqui in loco, quem Montem Nigrum vocant, jussu Pontificis inclusi pœnitentes ultimum obiere diem inter lacrymas, ac ibidem donati sepulturâ cum epigraphe, quæ eorum scelus & pœnitentiam denotaret; omnibus infra triennii à commisso scelere intervallum è vivis sublatis.

Tertio etiam pòst anno Henricus gravissimis jactatus est procellis, filio ipso rebellante aliisque armatis in eum. Eorum impetum ut miser Princeps declinaret, ad Alexandrum Pontificem primùm confugit, ut excitatos motus sacris Ecclesiæ fulminibus inhiberet; quod & ille præstitit magis paterni officii, quàm injuriarum memor: tum à Sancto Thomâ opem malis suis implorat; etenim verè humiliatus pœnitentiam instaurans, in habitu pauperis, vili lacernâ, nudis pedibus, lacrymisque rorans in Angliam ad Martyris tumulum transit. Hìc iterum petitâ publicè criminis sui veniâ, à singulis Episcopis astantibus se quinquies cædendum, à Monachis, qui plùs octoginta erant, se ter flagellis verberandum curat, omnibus ad talem aspectum collacrymantibus. Quibus se placatum statim Deus ostendit. Henrici hostis capitalis Rex Scotus sine pugnâ captus

venit

De effectibus Interdicti.

venit in manus ejus: Cismarini, ac Transmarini motus bellici quievere, Regi ac Regno tranquillitas reddita. Hęc autem beneficia Henricus Martyris, cujus persecutor extiterat, accepta retulit patrocinio. Quæ omnia à Sancto Præsule dum adhuc in vivis & exilio degeret, prophetico spiritu pręvisa feruntur [A].

Quæ Joannes, pervicacis alioquin ingenii Princeps, ad emendationem revocatus præstiterit, non tantùm ad debitam Ecclesiæ satisfactionem implendam, sed ad ejusdem etiam Dignitatem perfectioris religionis studio adaugendam pertinentia, abundè aliâ ostendimus occasione. Hìc commemorare dumtaxat erit, ut jurans coram Legato Apostolico super Sancta Evangelia unà cum sexdecim ex primis Regni Proceribus scripto promisit, se Stephanum Cantuariensem, aliosque omnes Antistites, Clericos, Monachos, necnon & laicos eâ de causâ exules restituturum; &, ut liberè ac quietè bona sua possiderent officiaque exequerentur, permissurum; de damnis & injuriis illatis cumulatissimè satisfacturum; parsurumque sic omnibus, ut nulli fraudi foret, quòd ab ipso defecisset; legesque & mores omnes contrà Ecclesiasticam libertatem abrogaturum [B]. Hominibus sanè ac superis gratum spectaculum fuit Stephani, ac aliorum exulum in Angliam reditus. Rex qui eos Vintoniæ pręstolabatur, *appropinquantibus obviam factus, ubi propiùs accessit, prospiciens in Cantuariensem,* AD PEDES EJUS SUBITÒ JACET, AC SUPPLEX VENIAM PETENS *eum pariter, atque alios Episcopos rogat,*

(A) *Fusè hæc omnia narrant Heribertus, Alanus Saresberiēsis, Vvilhelmus, & ex iis cit. Scriptor Gestorum cap. 3. & seqq., aliique Historici passim.*

(B) *Paris ad annum 1213. pag. mihi 163., ubi instrumenta super his confecta habes, Gestor. Innoc. III. Scriptor pag. 141*

De effectibus Interdicti.

gat, ut infelicem patriæ statum miserantes, velint deinceps rebus publicis benè consulere. His dictis, obortis ex lætitiâ utrimque lacrymis, simul Urbem ingrediuntur, populo miro exultante gaudio, ac plaudente. Polydori verba hæc sunt [A]; qui post hæc Sacra Regno restituta, ac rerum, quas Rex promiserat, implendarum Cantuariensi in primis negotium datum pergit recensere.

(A) Cit. lib. 15.

Quid Paulus V. ex Interdicto in Venetam Rempublicã excusso retulerit, refert Spondanus [B]: *Controversia interventu, ac authoritate Henrici Francorũ Regis Christianissimi, & ministerio Francisci Cardinalis Jojosę ad hoc ab ipso ad partes Legati, & Cardinalis Perronii tunc Romæ agentis ope apud Pontificem in his paulò duriorem, composita est ita, ut Veneti legibus controversis se non usuros promiserint, quousque inter partes de iis convenisset: qui carcere ab iis detinebantur, in manus Delegati Pontificii traderentur, edicta contra Interdicta facta revocarentur; cuncti qui aut spontè abierant, aut dimissi fuerant, restituerentur: Vicissim Pontifex Interdictum revocaret, & pacem cum Republicâ coleret.* Pergit tum Historicus enerrare, ut Jojosa adducto secum Oratore Ordinario Regis ibi residente, corã Duce, & viginti quinque ex primariis Senatoribus, Interdictum juxta quod stabilitum fuerat, Apostolicâ authoritate voce præconis substulit; & Senatum, universosque subditos, & Ordines, qui in censuras incurrerant, ab iis absolvit; ac de his omnibus coram testibus peractis confectum instrumentum ad Pontificem miserit. Quòd si quis minùs plenè

(B) Ann. 1606. n. 2.

ejus-

ejusmodi conditionibus Ecclesiæ satisfactum dicat, huic nos meliores eas futuras fuisse reponimus, nisi pravis Pseudo-Theologorum consiliis Veneti fuissent à consuetâ pietate nonnihil deflexi; & quàmplurimi ex Ecclesiasticis in censuram peccassent; quod constantiores magis, quàm exilii calamitatem, reformidarunt, ut apud eundem Spondanum[A] testatum sit: *Fuere nihilominus ex Episcopis, & aliis Prælatis, qui jussioni Pontificiæ detulerunt, & Ordines Religiosi, qui post elapsum tempus præscriptum Interdictum observantes in suis Ecclesiis elegerunt è Venetâ ditione discedere, quàm in illud* PECCARE, *putà Jesuitæ, Capuccini, aliorumque recentiorum Ordinum professores, antiquis cum plerisque Præsulibus domi quietis remanentibus, & officiis suis, ut priùs, defungentibus.*

De effectibus Interdicti.

(A) *Ann. 1606. n. 2.*

Clariùs Venetorum Religio & virtus inclaruit integro seculo antè, cum Interdicto à Julio II. perculsi *nullum præstantius ad sananda accepta vulnera, lapsasque res instaurandas, remedium putarunt, quàm si illata Ecclesiæ damna injuriasque sarcirent. Damnarunt itaque conceptam ad futurum Concilium provocationem, interminâti Edicto anteà promulgato paruerunt; ac Legationem amplissimam, cujus princeps fuit Dominicus Trivisanus, is ipse qui anteà Faventiam non restituendam malè suaserat, ad Pontificem mittendum decrevere, quâ censuris solvi flagitarunt, demissa in posterum obsequia polliciti*[B]. Pactionum, quibus ad tuendum jus Ecclesiasticum, & ad Clericorũ immunitatem & libertatem inviolatam custodiendam se obstrinxere, publicas tabulas Autho-

(B) *Rayn. ann. 1509. n. 14. Cui add. Spondan. eod. ann. à num. 1. ad 5., Guicciard. lib. 9., Duchesn. in Iul. II.*

De effectibus Interdicti.

res referunt [A]. Qui missi fuerant Oratores in porticum Basilicæ Vaticanæ se contulerunt, atque ad Julii in solio ante æneas portas locato considentis, & Cardinalium Prçsulumque coronâ cincti, pedes se projecere, præsentibus Cæsareis, Gallis, Hispanis, & Anglis Legatis; ac supplices errati veniam poposcere, rituque solemni censurarum nexibus, quibus se irretierant, liberati sunt, eâ impositâ pœnitentiâ, ut septem Urbis Basilicas religiosè lustrarent [B]. Ubi Venetias perlatus est optatissimus nuntius de solutis Ecclesiasticarum censurarum nexibus, quibus diù impliciti luxerant, Senatus Populusque publicâ lçtitiæ signa ediderunt, atque in triduum decretas supplicationes fuisse, refert Petrus Justinianus [C]. Petrus autem Delphinus [D] ita de pace cum Pontifice initâ Leonardo Lauredano, Venetorum Principi, gratulatus est: *Omnis disciplina*, inquit, *in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris; posteà verò fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. Hujus justitiæ fructûs advenisse modò tempus opinor*, RECONCILIATO VOBIS SUMMO SACERDOTE, *& perceptâ ab eo benedictione: legimus nanque in Divinis voluminibus, ad tubarum Sacerdotalium clangorem olim dejecta fuisse mœnia Urbis Jerico; non est ibi contra eam directus aries, non tela vibrata, non contortæ sagittæ: tubis tantùm Sacerdotalibus admotis tantæ Urbis muri prostrati sunt, ut perspicuè agnoscamus in præsidio magis spirituali oportere belligerantes confidere, quàm temporali, atque terreno: nisi enim Dominus custodierit Civitatem frustrà vigilat, qui custodit eam.*

Di-

(A) *Idem Rayn. ann. 1510. num. 1. & seqq.*

(B) *Paris de Grass. tom. 3. Diar. Cæremon. n. 5. pag. 250. apud eund. Rayn. ann. 1510. n. 7.*

(C) *Hist. rer. Venet. lib. 11.*

(D) *Lib. 9. epist. 66.*

Dignissima hæc, ut Principum animis altè insideant, & identidem obversentur.

De effectibus Interdicti.

A reconciliatione cum Ecclesiâ Rempublicam restitutum iri sperare jubet Delphinus. Pontificiis censuris ascribit extremam illius depressionem, in quam eâ tempestate ceciderat, Baptista Egnatius[A], isque Venetus, & in patriâ bonarũ artiũ Professor, dum horrenti animo recordatur, *Civitatem mille & ampliùs annos de toto terrarum orbe optimè meritam, ac Pontificiæ Dignitatis assertorem Senatum, imperium tam latè patens, opes tam firmas atque orbi ipsi penè pares, & copias domesticas locupletissimas, in tantâ amplitudine gloriæ, in tantâ virtutis opinione, intra quartam & vigesimam diem repentè concidisse; ut præter stagna & paludes, de quibus trepidatum interdum sit, nihil ex tanto imperio superfuerit. Quis tum non credidit,* HOC A SUPERIS DATUM. PONTIFICIÆ IN NOS INDIGNATIONI? *Qui de piorum cœtu execratione illâ tam gravi nos exemerat.*

(A) *Exempl. Illustr. Vir. lib. 1. cap. 2.*

Cùm Frater Anselmus Ordinis Prædicatorum, Liguriæ Inquisitor, Philippum Turrianum, Genuæ Civitatis Præfectum, aliosque in administrandâ Republicâ socios anno 1256. diris devovisset, & Urbi Sacris interdixisset; quòd Constitutiones Apostolicâ, & Imperatoriâ Potestate editas contra hæreticorum perfidiam inter Civitatis leges reponere recusarent; Philippus, etsi ab Inquisitoris sententiâ ad Apostolicam Sedem appellasset, à quâ missis Legatis censurarum suspensionem ad præstitutam diem obtinuit; nihilominùs

De effectibus Interdicti.

(A) Bzov. ann. 1256. n. 7., Spond. eod. ann. n. 17., Foliet. hist. Gen. lib. 4. cit. ann.

(B) Spond. ann. 1204. n. 20.; Vid. etiam epist. 149. & 150. Innoc. III. lib. 7., Cap. 1. de postul. Prælat., ibique Gonzal. in verb. Interdictum.

antequam eadem dies advenisset, DICTIS ANSELMI OBSEQUENS, *omnes constitutiones eas .... tabulis legum Urbanarum inscripsit, & juxta earum præscriptum in malesanos animadvertit* [A].

Petrus Comes Antissiodorensis, Frater patruelis Regis Francorum ob diversa facinora ab Hugone Episcopo suo Excommunicatione multatus est, & ejus Terra Interdicto supposita. Aliquandiù contumax fuit Comes, & in Hugonem persecutione, & exilio est debacchatus. Demum talis fuit ejus pœnitentia, & Ecclesiæ præstita satisfactio, ut meritò cuique possit admirationem exprimere: *Dominicâ Palmarum, inspectante Clero & Populo, dum processio solito frequentior ageretur, nudus solâ indutus lineâ incessit; & cadaver, quod in Domûs Episcopalis camerâ, in Episcopi vituperium, qui Comitis homines in cœmeterio sepeliri prohibuerat, infodi jusserat, propriis manibus effossum, propriisque humeris in cœmeterium delatum rursus infodit, ac denique* ILLATA DAMNA PLENISSIME RESARCIVIT. *Fuit autem*, subdit deinde Historicus [B], *præmium hujus pœnitentiæ Petri imperium Constantinopolitanum, ad quod pervenit*.

Dissertationem scribimus, non Interdictorum historiam, ut plura in hanc rem cumulemus. Ex his verò, quæ hìc, aliisque locis adduximus, cuique judicium ferendum relinquimus, num contempta Interdicta fuerint, an formidanda adeò, & efficacia, ut solà sæpenumerò ostentatione intentum finem assecuta sint: num umbratilis tantùm resipiscentiæ, an verò incredibilis ferè pœnitentiæ

fru-

fructus consueverint operari: & quæ tortuosa fuerant, dirigere; quæ putrida, abscindere; quæ fœda, abstergere; quæque aspera, exæquare: & cervices duras inclinarint, & corda obstinata emollierint: eos denique ad frugem correxerint, quorum desperanda fermè emendatio videbatur. Siquando non æquè exundans fuit messis, id nonnisi operariorum ignaviæ, atque inobedientiæ tribuendum, pravisque in Christianâ Morali posteriorum temporum fæce subortis opinionibus, censurarum legumque nexibus laxandis perniciosissimis, quas sæpè Apostolicâ authoritate oportuit resecari. Exitus nihilominùs Interdictorum ii semper fuere, qui confirmarent quod firmissimum jam, & inconcussum erat, Ecclesiam & Justitiam oppugnari quidem posse, expugnari & vinci non posse.

De effectibus Interdicti.

§. 2.

Mala, quæ Ecclesiasticis ex Interdictorum observatione imminent, perpenduntur.

AT ejusmodi bona cum carceribus, cum exiliis, aliisque vexationibus, quæ constantibus ferenda sunt; quæque in Ecclesiæ ipsius injuriam redeunt, in considerationis suæ trutinâ suspendunt importuni Ecclesiasticæ Dignitatis Zelotæ: cùmque eorum judicio his illa præponderari videantur, Interdictorum usum, firmamque observationem parùm eidem Ecclesiæ

De effectibus Interdicti.

expedire pronuntiant. Magni scilicet referebat, ut qui Ecclesiasticæ militiæ nomen dederint, nullis affecti laboribus, nulla experti discrimina, sed lento otio, & securâ fruentes tranquillitate, stipendia sua mererentur. Pro sustinẽdis rationibus Principum hujus mundi expedit, ut quotidie tot hominum millia nec periculis, quæcumque mare habet, quæcumque terra, nec horribili cruentę mortis facie deterreantur: minimè verò expedit, ut sint qui Ecclesiæ causas amplexentur, cùm quidquam mali intentatur. Egregia verò regendi Ecclesiam hęc ratio fuerit, ut sũmus ejus Moderator Ecclesiasticæ jurisdictionis terminos, & *inviolata*, ut Ambrosius loquitur[A], *confinii jura* pręverti videat, videat Ecclesię Dignitatem, & Apostolicæ Sedis Majestatem cõtemni, palàm calcari Canones tanto studio elaboratos, tantâ à Patribus curâ defensos; nec tamen ipse vindex exurgat, nec mucronem à Christo acceptum exerere audeat, quò *saluberrimâ* censurarum *correctione*[B] prævaricatores cohibeat, & aberrantes in viam revocet, ne qui illas observare debent periculis exponantur, ne Ecclesiasticis tuta quies rumpatur. At alia documenta reliquit Christus, dum Pastorem in exemplum adduxit, qui *centum oves habens, si perdiderit unam ex illis, dimittit nonaginta novem* IN DESERTO, *& vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam*[C].

(A) *Epist.*44. *alids* 2. *class.*1. *n.*30.

(B) *Ex August. de corrept. & grat. cap.*15. *Can.* Corripiantur 24. q. 3.

(C) *Luc.*15. *v.*4.

Eugenio Papæ scribens Bernardus[D], *Non est*, inquit, *vir fortis, cui non crescit animus in ipsâ rerum difficultate*. Et deinde subjungit: *Quando autem magna bona mortalibus provenerunt, quæ non magna*

(D) *Epist.*256.

præ-

De effectibus Interdicti.

prævenerint mala? Non commodis, non secundarum rerum felicitate bona sua metitur Ecclesia; quinimo facit cum tentatione proventum: *Et ei quidem*, ut apposite Ernulphus Lexoviensis, *omnia cooperantur in bonum, dum ipsa tanquam aurum in fornace probatur, & ad augumentum coronæ cuncta proficiunt, cùm eam vis adversitatis* FORTIOREM REDDIT, *& malignitatis infestatio cautiorem*[A]. *Historias replica*, Joannes inquit Saresberiensis, *Tyrannorum gesta revolve, & planè reperies in pressuris dilatatam esse Ecclesiam, & quòd persecutio, quantò atrocior erat, tantò citiùs sedabatur*[B]. *Dum mare sævit, dum per insaniæ suæ fluctus erigitur, quia tamen virtutis intimæ ostensione calcatur*, SANCTA ECCLESIA PROFICIT, *atque ad statum sui ordinis per temporum incrementa* CONSURGIT: ita Gregorius Magnus[C]. Hieronymus[D] verò: *Fundendo sanguinem, & patiendo magìs, quàm faciendo contumelias Christi fundata est Ecclesia. Persecutionibus crevit, martyriis coronata est.*

(A) *Epist. de promotione suâ ad Alexand. III. Pontif. in Biblioth. PP. tom. 22. p. 1311.*

(B) *Inter epist. Div. Thom. epist. 18. lib. 5.*

(C) *In cap. 9. Iob lib. 9. cap. 5.*

(D) *Epist. 39. a ids 62.*

Da mihi cui caritas Dei in corde sit. Congere inde quotcumque, & quantacumque mala possint excogitari. Quàm levia omnia, quàm aspernanda videbuntur! Nihil in hanc rem exquisitius gravissimâ Antonii Marinarii oratione ad Patres Tridentinos habitâ[E]: *Quid est quòd de diffidentiâ mihi loquatur aliquis? Quis me separabit à caritate & fiducia Dei mei? qui suâ potentiâ omnia continet, suo imperio omnia regit, suâ sapientiâ omnia moderatur, suâ mente omnia complectitur, suo arbitrio omnia flectit .... Neque hujus seculi bladitiæ,*

(E) *Extat apud Labb. Concil. tom. 14. col. 1033.*

De effectibus Interdicti.

expedire pronuntiant. Magni scilicet referebat, ut qui Ecclesiasticæ militiæ nomen dederint, nullis affecti laboribus, nulla experti discrimina, sed lento otio, & securâ fruentes tranquillitate, stipendia sua mererentur. Pro sustinēdis rationibus Principum hujus mundi expedit, ut quotidie tot hominum millia nec periculis, quæcumque mare habet, quæcumque terra, nec horribili cruentę mortis facie deterreantur: minimè verò expedit, ut sint qui Ecclesiæ causas amplexentur, cùm quidquam mali intentatur. Egregia verò regendi Ecclesiam hęc ratio fuerit, ut sūmus ejus Moderator Ecclesiasticæ jurisdictionis terminos, & *inviolata*, ut Ambrosius loquitur[A], *confinii jura* pręverti videat, videat Ecclesię Dignitatem, & Apostolicæ Sedis Majestatem cōtemni, palàm calcari Canones tanto studio elaboratos, tantâ à Patribus curâ defensos; nec tamen ipse vindex exurgat, nec mucronem à Christo acceptum exerere audeat, quò *saluberrimâ* censurarum *correctione*[B] prævaricatores cohibeat, & aberrantes in viam revocet, ne qui illas observare debent periculis exponantur, ne Ecclesiasticis tuta quies rumpatur. At alia documenta reliquit Christus, dum Pastorem in exemplum adduxit, qui *centum oves habens, si perdiderit unam ex illis, dimittit nonaginta novem* IN DESERTO, *& vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam*[C].

(A) Epist. 44. alias 2. class. 1. n. 30.

(B) Ex August. de corrept. & grat. cap. 15. Can. Corripiantur 24. q. 3.

(C) Luc. 15. v. 4.

Eugenio Papæ scribens Bernardus[D], *Non est*, inquit, *vir fortis, cui non crescit animus in ipsâ rerum difficultate*. Et deinde subjungit: *Quando autem magna bona mortalibus provenerunt, quæ non magna*

(D) Epist. 256.

præ-

prævenerint mala? Non commodis, non secundarum rerum felicitate bona sua metitur Ecclesia; quinimo facit cum tentatione proventum: *Et ei quidem*, ut apposite Ernulphus Lexoviensis, *omnia cooperantur in bonum, dum ipsa tanquam aurum in fornace probatur, & ad augumentum coronæ cuncta proficiunt, cùm eam vis adversitatis* FORTIOREM REDDIT, *& malignitatis infestatio cautiorem* [A]. *Historias replica*, Joannes inquit Saresberiensis, *Tyrannorum gesta revolve, & planè reperies in pressuris dilatatam esse Ecclesiam, & quòd persecutio, quantò atrocior erat, tantò citiùs sedabatur* [B]. *Dum mare sævit, dum per insaniæ suæ fluctus erigitur, quia tamen virtutis intimæ ostensione calcatur*, SANCTA ECCLESIA PROFICIT, *atque ad statum sui ordinis per temporum incrementa* CONSURGIT: ita Gregorius Magnus [C]. Hieronymus [D] verò: *Fundendo sanguinem, & patiendo magìs, quàm faciendo contumelias Christi fundata est Ecclesia. Persecutionibus crevit, martyriis coronata est.*

De effectibus Interdicti.

(A) *Epist. de promotione suâ ad Alexand. III. Pont. f. in Biblioth. PP. tom. 22. p. 1311.*

(B) *Inter epist. Div. Thom. epist. 18. lib. 5.*

(C) *In cap. 9. Iob lib. 9. cap. 5.*

(D) *Epist. 39. a iis 62.*

Da mihi cui caritas Dei in corde sit. Congere inde quotcumque, & quantacumque mala possint excogitari. Quàm levia omnia, quàm aspernanda videbuntur! Nihil in hanc rem exquisitius gravissimâ Antonii Marinarii oratione ad Patres Tridentinos habitâ [E]: *Quid est quòd de diffidentiâ mihi loquatur aliquis? Quis me separabit à caritate & fiducia Dei mei? qui suâ potentiâ omnia continet, suo imperio omnia regit, suâ sapientiâ omnia moderatur, suâ mente omnia complectitur, suo arbitrio omnia flectit .... Neque hujus seculi bladitiæ,*

(E) *Extat apud Labb. Concil. tom. 14. col. 1033.*

De effectibus Interdicti.

tiæ, neque hujus carnis illecebræ, neque illa Satanæ fulmina, neque hæreticorum fraudes, neque amicorum deliciæ, neque necessariorum preces, neque parentum pietas, neque populorum furor, neque Tyrannorum crudelitas, seu minis perterrere, seu in carcerem detrudere, seu fortunis privare, seu in exilium ablegare, seu quolibet mortis genere perdere voluerint, à Deo Optimo Maximo, à Domino Omnipotente, â Patre indulgentissimo ullo unquam tempore me divellent: si Cælum ruat, si terra evanescat, si orbis illabatur præceps, ego in eo erectus ero.

Quis prætereà adeò diffidens erit, ut in causâ Ecclesiæ nil sibi præsidii in divinâ ope repositum putet? Cùm Pictavis Concilium ob pluries memoratam Philippi causam cogendum esset, Guillelmus Aquitaniæ Dux, ut Regi adblandiretur ac morem gereret, id prohibere aggressus est, *multa & præclara minatus*. Nocte sequenti *Apostolico Legato visus est astare Sanctus Hilarius, & cohortari, ne minis Guillelmi Ducis territus ab incœpto desisteret; non enim passurum Deum, ut ea res ei fraudi esset, aut malè succederet*. Id eventa probarunt[A]; nam & Concilium liberè habitum, & censuræ in Regem districtæ. Joanni Saresberiensi in mediis jam adversitatibus jacenti has consolatorias dabat, hoc afferebat solatium Petrus Blesensis[B]: *Video quia positi estis inter malleum, & incudem, & assiduè supra dorsum vestrum fabricant peccatores: verumtamen, si in Christo & pro Christo pugnatis, ipse non permittet vos tentari supra id quod potestis ferre: sed faciet cum tentatione proventum, tolletque Dominus virgam peccato-*

(A) *Joann. Bouch. in Annal. Aquit. ann.* 1100., *Baron. eod. ann. p.* 9.

(B) *Epist.* 22. *Biblioth. PP. tom.* 24.

cato-

catorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas. Saresberiensis autem ipse his vicissim dictis alios in constanti erga Apostolicam Sedem fide continere satagebat [A]: *Navis Petri quasi Domino dormiente fluctibus variis sæpe colliditur: sed, quia de Christo vectore confidit, semper ad salutis enavigat portum*.

Id profectò cavendum, ne ingruentem tempestatem nos ipsi graviorem per propriam ignaviam efficiamus. Fac quòd omnes integri Regni cujuscumque ordinis Ecclesiastici unanimi fortitudine Sacra contra censuræ sententiam peragere omnino detrectent. Quid iis faciet Magistratus? Dum Interdictum in Gallias evibrandum illius Regni Episcopis mandat Gregorius VII., *De timore verò*, inquit, *vanum est dicere; quoniam* VOBIS AD DEFENDENDAM JUSTITIAM CONJUNCTIS, ET CONSTANTER ACCINCTIS *tanta foret virtus, ut & illum*(Regem) *fideli correctione* SINE OMNI VESTRO PERICULO *à consuetâ malefaciendi libidine possetis avertere, & vestras pariter animas liberare. Quamvis etsi timor, ac periculum mortis immineret, vos tamen à libertate vestri Sacerdotalis officii desistere non oporteret* [B]. Quem Regem Joanni Anglo parem furore, & nequitiâ comperies? Et nihilominùs, cùm in exilium mitti quotquot Interdictum servassent, jussisset; qui sponte non abierunt, per vim minimè abire compulsos Parisius testatur [C]: *Sed in hoc sibi cautè prospiciebant Prælati* GENERALITER OMNES *totius Regni, quòd de Monasteriis suis exire noluerunt, nisi per violentiam expellerentur. Quod cùm à Regiis ministris fuis-*

De effectibus Interdicti.

(A) Epist. 170. lib. 1. inter eas D. Thomæ.

(B) Epist. 5. lib. 2.

(C) Ann. 1208.

De effectibus Interdicti.

fuisset compertum, NOLUERUNT ALICUI INGERERE VIOLENTIAM. Principum pietati & religioni nimis injuriosus est, qui omnia, quæ olim severiùs minantur, ad effectum perducturos, regiamque potestatem justitię, ac veritati opprimendis servituram credat. Tantum profectò fiducię habendum, quantũ æquitatis in Regiâ Majestate præsumendum. Iram aliquando impotentiùs ebullientem sedata ratio, & divinæ ultionis timor extinguit. *Regnum diu stare non poterit, cujus statum vera Regis clementia non communit* [A]. *Regna terræ, & jura Regnorum tunc sanè sana suis Dominis, atque illæsa persistunt, si divinis ordinationibus, ac dispositionibus non resistunt* [B]. Sua proculdubio eos manet pœna, qui tangunt Christos Domini. Qui enim eos tangunt, tangunt pupillam oculi ejus.

(A) *Steph. Langton. epist. ad Ioann. Angl. Reg. apud Dacher. Spicileg. tom. 3.*

(B) *Bernard. epist. 255.*

Gravior quidem calamitas, & quâ frequentiùs Ecclesiastici ob Interdictum constanter servatum ab obsistente fortè Magistratu affici solent, exilium est: quod tamen, ut æquo animo toleretur, ingenuo viro satis est, ut calamitatis id nomen sit, non turpitudinis. Cum Sbigneo Cracoviæ Episcopo, quòd Urbem Interdicto innodasset, Rex Petri Vissi fortunam (qui per fraudem Episcopatu dejectus fuerat) comminaretur; fortiter respondit ille: *Petri Vissi calamitatem desineret commemorare, quæ non tam innocenti Episcopo, quàm injurioso Regi ignominiosa accidisset* [B].

(B) *Cromer. de orig. & reb. gest. Polonor. lib. 20.*

Denique ea vitæ conditio, quam exilium affert, non tantùm summum ab Apostolicæ Sedis protectione levamen accipit, quæ usque & usque ex-

expulsorum & exulum refugium extitit; sed præterea non perinde iniqua ac dura est, ut vulgus opinatur, cùm tam multi nedum erecto animo perpeti potuerint, sed omninò etiam contempserint. Africanus voluntarium exilium non modò sibi ipsi, sed funeri etiam suo indixit. L. Antonius M. Tullii in Consulatu Collega in Cephaleniâ exul nec haberi Romanus ampliùs voluit. Calistratum, ac P. Rutilium Rufum succensuisse perhibent illis, qui exilii finem prope esse denuntiarant. Q. Metellus de Civitate maluit, quàm de sententiâ dimoveri. Sosippus Syracusanus à patriâ, ac Siciliâ voluntarium sibi conscivit exilium. De exilio suo Hermolaus Barbarus facetissimè jocabatur, Musas sibi illud à patriâ impetrasse. Sunt qui integros libros hâc de re exaraverint[A]. Caput autem illud est, ut pectoris robore obarmati simus, exiliumque ibi esse putemus, ubi virtuti non sit locus, utque etiam exules illos judicemus, à quibus constantia, gravitas, & animi exulat fortitudo.

De effectibus Interdicti.

(A) *Vid. Alcyon. d. exil., sive Legate Medic.*

Mala longè exilio graviora susque deque habere Ethnicos ipsos una docuit Philosophia: de quâ nil præclarius prædicatum, quàm quòd *pectore recepta hominum inhonesto, atque inutili affectu depulso totos in solidæ virtutis munimento confirmaret*, POTENTIORES METU ET DOLORE FACIENS[B]. Interrrogatus à Dionysio Zeno Eleates, *Quidnam Philosophia præstaret: Contemptum mortis*, respondit; & *impassibilis flagellis Tyranni objectus sententiam suam ad mortem usque signavit*[C]. *Multi apud vos*, Tertullia-

(B) *Val. Max. lib. 7. cap. 3.*

(C) *Tertull. Apolog. cap. 50.*

De effectibus Interdicti.

lianus [A] Ethnicos alloquens ait, *ad tolerantiam doloris, & mortis hortantur, ut Cicero in Tusculanis, ut Seneca in Fortuitis, ut Diogenes, ut Pyrrhon, ut Callinicus*. Poeta inquit:

Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.

Barbaræ queque nationes persuasissimum habuere, nefas esse de vitâ cogitare, cùm defendenda libertas foret. Nobis tantùm quæstio movetur, an oporteat, an consilium sit quidquam ferre pro Ecclesiasticâ libertate tuendâ. *Ecclesia quidem, quæ est Mater nostra, libera est: sed hodie cogimur ancillari cum Agar* [B].

(A) *Ibidem.*

(B) *Petrus Blesens. epist.* 124.

§. 3.

Scandali, ac turbationis objectio diluitur.

DAMNANT Sacri Canones [C] ut scandali reos Ecclesiasticos, qui Interdicta non servent. Universa Galliarum Ecclesia se scandalo gravissimo affectam Alexandro III. denuntiabat, quòd cum ad Ecclesiæ injurias vindicandas censuris in Angliæ Regnum parcere, ut sparsum fuerat, & cunctando rem restituere velle credidissent. Ejusmodi scandalum, & sequuturorũ inde malorum colluviem Flandriæ Comes, Rex & Regina Francorum, Episcopi Parisiensis, Noviomensis, Rhemensis, Meldensis, Carnotensis, aliique zelantissimi viri, & religiosorum Ordinum Præsides crebris ad Pontificem literis testabantur [D].

Præ-

(C) *Clem.* 1., & 3. *de Sentent. Excommun.*

(D) *Epist.* 74. *lib.* 2., 96. *lib.* 3., 18., 20., 24., 25., 37., *aliisq; lib.* 5. *inter eas D. Thom.*

Præpoftero modò caritatis affectu ab obligatione ipsâ fubmovendi fcandala, & Ecclefiæ bono confulendi Siculas cenfuras impugnant, eafque violantibus patrocinantur Adverfarii. At fi ita erit, quorfum Gregorii fententia[A] pertinebit? *Si de veritate fcandalum fumitur, utiliùs permittitur nafci fcandalum, quàm veritas relinquatur*. Offendiculum, quod à juftitiâ fumitur, curandum non effe Chriftus Dominus docuit, cùm de Pharifæis fcandalizatis dixit[B]: *Sinite illos; cæci funt, & duces cæcorum*. Quæ Sacrorum Canonum obfervantiæ, & Ecclefiæ juribus cuftodiendis tutela fuperfuerit? Quid intactum, quid prædæ inexpofitum erit, fi cenfurarum correctio tollenda, ne Magiftratus, qui fortè læferit, in iram & immanitatem erumpat[C]?

In Viromanduorum Comitem, ejufque conjugem Petronillam Reginæ Leonoræ fororem renovandæ erant cenfuræ, quæ Theobaldo rogante, folutæ jam fuerant, vel potiùs fufpenfæ. Ludovicus Rex, ut inftantis mucronis aciem ab illis averteret, cum Bernardo, quem rei promotorem arbitrumque credidit, acerbè conqueftus impediri omnino flagitavit, graviffima fcandala inde fequutura prætendens. Cui tamen ita intrepidè ille refpondit[D]: *Cæterùm, quòd noftræ humilitati querimini fuper anathemate mox innovando in Comitem Radulphum, & vultis me dare operam omnimodis, ut non fiat ob* MULTA MALA, QUÆ SEQUUTURA INDE PUTATIS, *prorfus non video quomodò implere poffim, & mandato obviare Apoftolico. Quod etfi poffem, non video quòd ra-*

De effectibus Interdicti.

(A) *In Ezechiel. homil. 7.*

(B) *Matth. 15. v. 14.*

(C) *Vid. Bernard. epift. 46., & 47.*

(D) *Epift. 220. ad Ludovicum Francorum Regem.*

De effectibus Interdicti.

tionabiliter possem: Doleo quidem de malis, si inde proveniant: SED NON IDEO TAMEN DEBEMUS FACERE MALA, UT VENIANT BONA. Ad quam epistolam hæc apposite habet clarissimus vir, qui notas scripsit: *Peccati justa pœna non avertenda ob malos eventus.*

Cùm Philippus ejusdem Galliæ Rex, & cum eo Regnum pariter censuris teneretur, Legatos Romam pro absolutione obtinendâ misit, ut vidimus, schisma etiam comminaturos, nisi Pontifex emolliretur. Hos autem literis præveniens Yvo, sic Pontificem adversùs illorum calliditatem præmuniit [A]: *Rigorem vestrum promissiones eorum non emolliant, comminationes non exterreant.... hâc ratione ex parte usuri, Regem cum Regno ab obedientiâ discessurum, nisi coronam restituatis, nisi Regem ab anathemate absolvatis.* Quæ fœdiora mala? Quod magis horrendum offendiculi genus? Sed non propterea canonicam severitatem remittendam orabat Yvo: *Non est meum instituere vestram prudentiam*, CUJUS POTISSIMUM INTEREST DELINQUENTIUM ERRATA NON FOVERE, SED FERIRE. *Si autem alioqui subdoli evidenter ab unitate Matris suæ Ecclesiæ discedunt, qui jampridem mente discesserunt, consoletur Sanctitatem Vestram divinum responsum*: „ Reliqui „ mihi septem millia virorum „. *Et illud Apostoli*: „ Oportet hæreses esse, ut hi, qui probati sunt, ma- „ nifesti fiant „.

(A) *Epist.* 281.

Sed Augustinum ex adverso appellant septem Theologi & Canonistæ, eumque in locis à Natali Alexandro [B] congestis: „ Ubi docet, inquiunt, ab „ Excommunicatione ferendâ abstinendum esse,

(B) *Theolog. Moral. tom.* 5. *de censur. Eccles. artic.* 5. *reg.* 34.

cùm

„ cùm timor eſt, ne ille, contra quem fertur, in deteriora ruat, aut Eccleſiæ pax perturbetur „. Verùm ego nunquam crediderim ejuſmodi allegationes Siculo Magiſtratui placituras, quæ ejus dignitatem religionemque penitùs lędunt; nedum minimè ſuffragantur. Ait quidem Auguſtinus: *Aliquandò nos parcimus, & non novimus niſi loqui.... timemus ne ipſo flagello pejor fiat, qui cæditur* [A]. *Cogitur Gubernator Eccleſiæ dicere.... Noſti, quia admitteris ex neceſſitate pacis Eccleſiæ non habens in corde niſi perturbationes, & diviſiones* [B]. *Ut* ET CANES *in Eccleſiâ propter pacem Eccleſiæ toleremus, &* CANIBUS *Sanctum, ubi pax Eccleſiæ tuta eſt, non demus* [C]. At nullus vehemens accuſator hæc obiicere auſus eſſet, ubi intempeſtivi Patroni iſti ſuam conſtituunt defenſionem.

De effectibus Interdicti.

(A) *Serm. 17. aliàs 28. ex Homiliis quinquagita cap. 3.*

(B) *Serm. 4. aliàs de diverſ. 44. cap. 3.*

(C) *Lib. de fide & oper. cap. 5.*

Deinde circumſtantiæ, in quibus Auguſtinus non tam Excommunicationem ſubmovet, quàm, ut ad eam cautè procedatur, monita dividit, nequaquam cauſæ conveniunt. I. Eſt cùm nullę ſunt, aut non ſufficientes probationes inſtructæ: *Scitur quia mali ſunt.... ut excommunicentur,* NON POSSUNT CONVINCI [D]. Cęterùm ſi pręvaricatio luculenter conſtet, Eccleſiæ paci minimè obſtabit, quòd ab inquietis etiam pœnę poſcantur: *Famoſus appareat, ut poſſit omnibus digniſſima videri, quæ in eum fuerit prolata ſententia. Ita enim &* SALVA PACE CORRIGITUR, *& non interfectoriè percutitur, ſed medicinaliter uritur* [E]. II. Cùm peccatum aut non adeò grave eſt, aut nonniſi peccanti nociturum: *Quis non contemnat ebrietatis peccatum.... Sed* ALIQUANDO *nos*

(D) *Cit. Serm. 4.*

(E) *Lib. 3. contra epiſt. Permeniani cap. 2.*

De effectibus Interdicti.

parcimus, & non novimus nisi loqui: excommunicare, de Ecclesiâ eiicere PIGRI SUMUS [A]. *Prænuntiatum est, malos in Ecclesiâ permixtos bonis usque ad finem seculi, tempusque Judicii futuros, &* NIHIL *bonis in unitate & participatione Sacramentorum* OBFUTUROS. Qua tamen etiam in specie monet: *Ne patientiæ nomine* TORPESCAMUS, *ne obtentu diligentiæ sæviamus* [B]. At si tale fuerit crimen, quod exempli perversitate ad alios promanare queat; tunc illud Apostoli [C] obtinebit: *Qui autem conturbat vos, portabit judiciũ* QUICUMQUE *est ille*. Et item: *Utinam & abscindantur, qui vos conturbant*. III. Cùm tam latè malum pervaserit, ut jam multitudo ipsa infecta sit, ac turbatio quidem jure timeri possit, sententiæ observantia & emendatio sperari non possit: *Neque enim potest esse salubris à multis correctio, nisi cùm ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem* [D]. Sinite, quęso, Theologi & Canonistæ, ut eorum, quos corripit, resipiscentiam speret Sancta Mater Ecclesia. Quòd si ejus vota non exaudiat Deus, nec *salubris* fuerit *correctio*, neque Augustinus ipse quæsitam esse improbaret; idem enim est qui prædicat: „Ubi scimus, corripimus, objurgamus, „anathemamus, excommunicamus; & tamen non „corrigimus. Quare? Quia *neque qui plantat est* „*aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat* „*Deus* [E].

(A) Cit. Serm. 17.

(B) Lib. de fid., & oper. cit. cap. 5.

(C) Ad Galat. 5. v. 10., & 12.

(D) Eodem lib. 3. contra epist. Parmen. cap. 2.

(E) Serm. 224. aliàs de tempore 164.

Vetus querela est, quam hìc post Natalem recinunt Adversarii. Nunquam blaterones defuere, qui tum maximè Episcopis turbatam pacem obverterent, cùm bonorum Ecclesiæ expi-

latio-

De effectibus Interdicti.

lationes in laicum Magistratum vindicarent. In importunos hosce lividosque criminatores acerbissimè invectus est clarissimus ille Petrus [A] primùm Cellensis, deinde Sancti Remigii Abbas, tùm Carnotensis Episcopus, *eos vilissimas muscas* appellans, *Sanctitatem oblatratione invidiosâ pungere volentes, vel saltem interpretatione perversâ denigrare sinceritatem fidei insistentes. Planè*, ait, *muscæ istæ morientes, quæ in Ægypto abundant . . . . , Deo opitulante, non perdent suavitatem unguenti*. Obiicientibus, veteres Patres non adeò pro temporalium defensione se obfirmare consuevisse, *Falluntur*, respondet Petrus, *spe veri, vel adulatione falsi*. Si quando connivendum Patres putarunt, à primitivæ Ecclesiæ conditione eam necessitatem arcessit Petrus aliqua prætereundi, quæ modò Ecclesiasticâ severitate oporteat coercere: „ Pensanda etiam sunt tempora, „ & diversi status temporum, secundùm quos „ mutantur merita causarum. Nam in primitivâ Ecclesiâ sola patientia locum habuit, ut auferenti tunicam dimitteret, & pallium. Alius „ enim erat & alibi, idest extra Ecclesiam, qui „ persequebatur; alius & alibi, idest intra Ecclesiam, qui patiebatur. MODÒ VERÒ, JAM ADULTA „ ECCLESIA, NON LICET FILIIS ECCLESIÆ QUOD ALIQUANDO LICUIT INIMICIS. DECET ENIM MATREM „ CORRIGERE FILIUM, SICUT DECUIT PUPILLAM TOLERARE ADVERSARIUM. Distinctus namque sapphiris „ legitur venter sponsi; & quemadmodum ante „ passionem suam Jesus dixerat: *Qui non renun-*

(A) *Epist. 10. lib. 1., ubi vid. annotata per Sirmondum oper. var. tom. 3.*

De effectibus Interdicti.

„ *ciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus* „ *esse discipulus & similia*, in passione dicit Apo- „ stolis : *Qui non habet gladium, vendat tunicam* „ *& emat* „ . Denique Innocentii I. Pontificis [A] verba hìc coaptamus: *Advertite, quod utique, ut dicitis, necessitas imperavit, in pace jam constitutas Ecclesias non posse præsumere*.

(A) *Epist. ad Macedon. Episcop. cap. 4. in fine*.



DIS-

DISSERTATIONIS

PARS TERTIA

De Interdicti ſententiâ ſubjectorum judicio non expendendâ.

CAPUT I.

Prælatorum mandata obſervanda ſunt, non diſcutienda.

§. 1.

Ethnicorum, Sanctorum Patrum, Doctorumque ſuffragia cumulantur.

POSTREMA lucubrationis noſtræ pars ſubſequitur abſolvenda, ut ejus temeritatis perniciem propellamus, quâ diſtrictæ cenſuræ injuſtitiæ ac nullitatis ab iis coarguuntur, quos obſervandi manebat obſequium. Nihil eſt quod utriuſque Politiæ, Civilis nimirum, & Eccleſiaſticæ magis fundamenta ipſa convellat, quàm hoc præſumptionis extremum; quo ſibi arrogat reus Judicem ſuum damnare; filius Patrem, diſcipulus Magiſtrum, ovis Paſtorem corripere;

ac

Prælatorũ mandata observanda sunt, non discutienda.

ac subditus Magistratui resistere, & præeminere; quo leges, ac præcepta observatione frustrantur; quo Præpositis obedientia, ac Potestati subiectio denegatur: atque ita universi regiminis moles collabitur. Unde verissimè ait ille [A]

(A) Sophocles in Antig.

Qui autem leges violat,
Atque imperare Magistratibus cogitat,
Hunc non laudabo:
Sed quem Urbs præfecit, hic audiendus est
De PARVIS, JUSTIS, ET INJUSTIS:
Et hunc virum CONFIDAM EGO
BENE IMPERARE . . .
Nam INOBEDIENTIA NULLUM MAJUS MALORŨ EST.
Hæc Urbes perdidit, & vastas
Domos facit, & in pugnâ fugas
Efficit: sed subditorum
Servat multos obedientia.

Velle itaque *Magistratibus imperare* putavit Sophocles eum, qui *leges violare* præsumat: obedientiam verò, cujus defectum Reipublicæ prorsus exitialem ostendit, talem futuram esse, ut de Regentis justitiâ nequidem dubitare subditus audeat; ne scilicet injustitiæ obtentu ab officio resiliat: *Hunc virum confidam ego bene imperare*. Quinimmò illius dicto indiscriminatim esse audiendum: *De parvis, justis, & injustis*.

(B) Epist. 94.

Displicet Annæo Senecæ [B], nedum quòd subditi Legislatorem docere præsumant, leges de injustitiâ criminando, ne illis pareant: sed etiam quòd doceri poscant, ut pareant; aut si leges in hoc subditis satisfecerint. Platonis leges ipse im-

pro-

probat *pro eo quòd adjecta principia sunt*. En qualem desiderat legem Seneca: *Brevem esse oportet ... Velut emissa divinitus vox sit. Jubeat, non disputet.... Mone, dic quod me vis fecisse. Non disco, sed pareo*.

Prælatorū mandata observanda sunt, non discutienda.

Sed quid ad veræ obedientiæ rationem statuendam Ethnicorum testimonia conquirimus, ubi Patrum, ubi Divinarum Literarum abundè suppetunt. In primo illo generali Concilio, quod Hierosolymis ab Apostolis celebratum Cap. 15. Act. narratur, cùm, legalium causâ discussâ ac definitâ loquente per os Petri Spiritu Sancto, synodica epistola, quâ decretum fidelibus innotesceret, exaranda fuit, nullo in ea verborum circuitu, nullis disputationibus usus fuit, sed simplicissimâ jussione: *Visum est Spiritui Sancto, & Nobis*. Quod dum considerandum innuit Chrysostomus[A], *Vide*, inquit, *brevem epistolam nihil abundans habere, neque epicheremata, neque syllogismos*, SED IMPERIUM. Quò nimirum erudiremur, ut, proponente aliquid servandum Ecclesiâ, non redditam nobis ab eâ rationem, sed quid injunctum sit, inquiramus, simplicique obsequio, quæ partes nostræ sunt, expleamus.

(A) *In cit. Cap. 15. Act.*

Deuteronomii Cap. 17. mandatur Sacerdotem esse adeundum, *si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris*. Illius verò dicto non acquiescentem severissimè puniendum: *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel,*

Cùm

Prælatorũ mandata observanda sunt, non discutienda.

Cùm Amalecitas stravisset Saul, divinum quod ei intimatum fuerat præceptum: *Non concupiscas ex rebus* eorum, interpretari tantùm præsumpsit; seponi enim passus est pretiosissima quæque de prędâ, quasi hæc meliùs consecrarentur Deo, quàm lacerarentur dissiparenturque; abducique jussit pinguissima armenta, atque greges, quasi hæc religiosiùs Sacerdotum cultris, quàm militum gladiis interficerentur: nihilo tamen minùs grande id crimen visum est Deo, qui non prędam & victimas, sed obsequium volebat. Samuel itaque Regi gravissimam sceleris pœnam denuntians, acerrimè increpat, ut ex 1. Regum Cap. 15. discimus: MELIOR *est enim* OBEDIENTIA, *quàm victimæ; & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare; & quasi scelus idolatriæ* NOLLE ACQUIESCERE. Quę verba de obedientiâ Prelatis debitâ Gregorius accipit [A]; dum, *Qui repugnant*, ait, *Prælatorum imperiis, ideò utique repugnant, quia divinam voluntatem se scire meliùs æstimant .... Repugnare est ab imperantis voluntate diffidere. Plerique autem ad horam repugnare videntur, dum* STATIM *Præpositorum imperia non recipiunt.*

(A) Lib. 6. in 1. Reg. cap. 2. n. 24.

In eumdem lib. 1. Reg. scribens Gregorius [B] eos *subjectos* reprehendit qui *mensuram ordinis sui sic confundunt, ut Prælatorum suorum* DISPOSITIONI COMMUNICENT, *sed obedire imperiis recusent.* EMENDARE *quidem eorum dicta facilè audent, sed* FACILE IMPLERE *quæ præcipiunt, non conantur.* Expendens autem verba Jonathæ ab ejus Armigero dicta: *Perge quò cupis, & ero tecum quocumquè volueris, Quid,* in-

(B) Lib. 5. in 1. Reg. cap. 4. n. 12.

inquit, *in hujus armigeri voce nobis ostenditur, nisi quia* RELINQUENDA EST PRÆPOSITIS DISPOSITIO LIBERA; *tenenda est subditis virtus obedientiæ non remissa?* Aliàs Sanctissimus Pontifex idem argumentum attigerat[A]: *Vera nanque obedientia, nec Præpositorum intentionem* DISCUTIT, *nec præcepta* DISCERNIT; *quia qui omne vitæ suæ judicium Majori subdidit in hoc solo gaudet, si, quod sibi præcipitur, operatur.* NESCIT ENIM JUDICARE QUISQUIS PERFECTE DIDICERIT OBEDIRE, *quia hoc tantùm bonum putat, si præceptis obediat.* Et nonnullis interjectis: *Præceptum nanque in hoc solùm pensari debet, quòd Majoris præceptum est.*

Prælatorũ mandata observanda sunt, non discutienda.

(A) *Lib. 2. in 1. Reg. cap. 4. n. 11.*

Consonat Author, quisquis ille sit, Sermonis de observantiâ Clericorum[B]: *Obedientia sine morâ esse debet: non placet Deo morosa, & * DISCEPTATRIX *obedientia; quæ quidem, cùm præcipitur,* QUÆRIT, *cur, quare, quamobrem præcipiatur.* Audacissimæ istius in servanda præcepta inquisitionis Satanam ipsum, callidissimum humani generis hostem, magistrum laudatus Chrysostomus animadvertit[C]. Ipse enim est, qui ex serpente loquens primam parentem Dei mandatum docuit examinare, cùm quæsiit, *Cur præcepit vobis Deus?* Scientiam boni, & mali affectando incautus Progenitor, se suosque fatali temeravit transgressione, *Cùm non ab eo peritia*, ut inquit Ambrosius[D], *sed fides exigebatur. Intelligebat utique Deum omnibus præeminere, ideoque* PERSONAM JUBENTIS *spectare debuerat, etsi* NON INTELLIGEBAT VIM, QUALITATEMQUE JUSSORUM, *sciebat tamen Præceptori deferendam esse reverentiam.* Argumentantem Adam producit Augustinus[E], dum in

(B) *Inter oper. Augustin. in append. tom. 6. pag. 350.*

(C) *Homil. 16. in Genes.*

(D) *De Paradis. cap. 6. n. 32.*

(E) *In psalm. 70. sermon. 2. n. 7.*

Prælatorũ mandata observanda sunt, non discutienda.

in culpam se coniicit: *Homo autem positus sub præcepto audivit à Domino Deo, Noli tangere. Quid? Hanc arborem. Quid est enim illa arbor? Si bona est, quare non tango? Si mala est, quid facit in Paradiso?* (heu maledictum dilemma! unde malorum omnium cohors sequuta est, miserisque incubuit mortalibus). *Prorsus ideo est in Paradiso, quia bona est; sed nolo tangas. Quare non tango? Quia* OBEDIENTEM *te volo* NON CONTRADICENTEM. Pergit ulterius Augustinus: *Non potuit Deus perfectiùs demonstrare, quantum sit bonum obedientiæ, nisi cùm probibuit ab eâ re, quæ non erat mala: sola ibi obedientia tenet palmam, sola ibi inobedientia tenet pœnam.*

In promptu erat Abrahamo quoque cavillus, durissima exequuturo, innocentem nimirum & filium interfecturo, nisi jussus parere potiùs didicisset, quàm disceptare: *Nunquam sanè crederet Abraham, quòd victimis Deus delectaretur humanis; quamvis divino intonante præcepto obediendum sit*, NON DISPUTANDUM: ita idem Sanctus Doctor [A]; qui, ne de divinis tantùm præceptis sua dicta intelligerentur, perinde esse aliàs docet [B], cùm illi præcipiunt, quos suo loco Christus habendos voluit.

(A) *De Civitate Dei lib.16.cap.32.*
(B) *Serm. 1. in eund. psalm.70. n. 2., aliisque locis.*

Idipsum est quod luculenter edisserit antiquus incertus Author sermonis de obedientiâ, & humilitate [C]: „ Non est filiorum judicare de Patribus. Nemo vadit ad magistrum, & docet Magistrum suum.... Hoc totum quare dico? ut „ obedientiam exhibeamus Patribus nostris. Qui

(C) *Inter opera Augustin.cit.append. tom.6.pag.297.*

„ pa-

„ Patribus non obſequitur, Deo non obſequitur. „ Dicit enim Dominus: *Qui vos contemnit, me contemnit*. Qui ergo contemnit Apoſtolos, contemnit Chriſtum. Qui contemnit Patres, contemnit Chriſtum, qui in Patribus eſt „.

Prælatorũ mandata obſervanda ſunt, non diſcutienda.

Florentium Pupianum increpans Cyprianus:[A] „ Nec, ait, hæc jacto, ſed dolens profero, „ CÙM TE JUDICEM DEI CONSTITUAS ET CHRISTI, qui „ dicit ad Apoſtolos, ac per hoc ad omnes Præpoſitos, qui Apoſtolis vicariâ ordinatione ſuccedunt: *Qui audit vos, me audit; & qui me audit, audit eum, qui miſit me; & qui reiicit vos, me reiicit, & eum, qui me miſit*. Inde enim ſchiſmata, & „ hæreſes obortæ ſunt & oriuntur, dum Epiſcopus, „ qui unus eſt & Eccleſiæ præeſt, ſuperbâ quorundam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus indignus hominibus „ judicatur. Quis enim hic eſt ſuperbiæ tumor, „ quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio AD „ COGNITIONEM SUAM PRÆPOSITOS, ET SACERDOTES VOCARE? „ Cùm multa ex Sacris Literis adversùs tantam adduxiſſet temeritatem, prędonum denique ipſorum exemplum obiicit, qui *cruenti licèt ac furentes inter gladios*, *atque inter arma* factionis tamen magiſtro OBSEQUIO PLENO HUMILITATIS OBTEMPERANT. Sæpiùs eadem in aliis epiſtolis[B] ingerit Cyprianus.

(A) *Epiſt. 69. aliàs 9. lib. 4.*

(B) *Epiſt. 55. aliàs 3. lib. 1., epiſt. 62. aliàs 11. lib. 1., epiſt. 65. aliàs 9. lib. 3.*

Alios modò ex Patribus adnectamus. CREDAS, inquit Hieronymus[C], TIBI SALUTARE *quidquid* (Præpoſitus) *præceperit; nec de majorum ſententiâ judices; cujus officii eſt obedire, & implere quæ juſſa*

(C) *Epiſt. 95. ad Ruſticum.*

Prælatorũ mandata observanda sunt, non discutienda.

sunt. Basilius verò, & Nazianzenus in communi utrique opere [A]: *Quemadmodum Pastori suæ oves obtemperant, & viam quamcumque ille vult, ingrediuntur: sic qui ex Deo pietatis cultores sunt, moderatoribus suis obsequi debent*, NIHIL OMNINÒ *ipsorum jussa* CURIOSIÙS PERSCRUTANTES.

(A) *Constitut. monast. cap. 22., quas à Basil., & Nazianz. conscriptas tradit Gregorius Presbyter in vit. Theologi, & Raynaud. de mal., & bon. libr. partit. 1. erotem. 10. lit. B.*

Ferè omiseramus Ignatium. Sed quem locum ex eo exscribamus? cùm in ejus epistolis ad Smyrneos, ad Ephesios, ad Magnesios, ad Philadelphios, ad Trallianos (quibus monumentis nihil venerandum magis ex totâ superest antiquitate) inter saluberrima præcepta, quæ Apostolicus vir divino prorsus afflatus zelo ad animarum salutem, Christi legis observationem, & ejus doctrinæ conservationem reliquit, nil frequentius occurrat eo præcepto, ut fideles obsequerentur Episcopo suo, ut in omnibus ei obedirent, nihil sine eo agerent, in nihilo contradicerent, quos ipse communione ejecisset, prorsus defugerent, eum denique indiscussè sequerentur. Ex quo dignoscere licet, quanti cujusque intersit, quota Christianæ pietatis pars hæc sit, à suo Episcopo non diffidere.

Fidissimos hosce Duces posteriores Ecclesiæ Doctores sequuntur, & ponè eorum legunt vestigia. Bernardi [B] in primis mellifluum os loquens audire libeat: *Porrò imperfecti cordis, & infirmæ prorsus voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosiùs discutere, hærere ad singula quæ injungantur, exigere de quibuscumque rationem, & malè suspicari de omni præcepto, cujus causa latuerit, nec unquam libenter obedire, nisi cùm audire contigerit quod*

(B) *De præcept., & dispens. cap. 10.*

fortè

fortè libuerit; aut quod non aliter licere, seu expedire monstraverit vel aperta ratio, vel indubitata authoritas. Delicata satis, immò nimis molesta est hujuscemodi obedientia. Jam Thomæ [A] nunc suffragium subjungamus, qui illud Divi Benedicti statutum considerans: *Si Prælatus aliquid impossibile præceperit, tentandum est*; tali assignat rationi: *Hoc ideo dicitur, quia, an aliquid sit impossibile, subditus non debet suo judicio definire. Sed* IN UNOQUOQUE *judicio Superioris stare.* Agmen claudat Bonaventura [B]: *Ex voluntate jubentis pendet intentio exequentis;* NUMQUAM *de Majorum sententiâ* JUDICENT, *quorum officii est obedire, & implere, quæ jussa sunt.* Et rursus idem Bonaventura, aut alius quicumque sit author octo collationum [C]: *Ut obedientia sit acceptabilis Deo, debet esse prompta sine dilatione, devota sine indignatione, voluntaria sine contradictione, simplex sine discussione.*

Prælatorū mandata observanda sunt, non discutienda.

(A) 1. 2. q. 13. art. 5. ad 3.

(B) Specul. disciplin. part. 1. partic. 1. cap. 4.

(C) Cit. opusc. cap. 3. Extat tom. 8. operum Bonav. edit. Rom. ex jussu Sixti V. Sed vid. observ. Bellarm. de Scripp. Ecclesiast. in Bonav.

§. 2.

Contraria assertio, & argumenta evertuntur.

EÒ autem, quæ hactenus cumulavimus, pertinebant, ut communi veræque Ecclesiæ doctrinæ è regione oppositam ostenderemus, quam septem Theologi & Canonistæ invehere conati sunt. Præsentientes ipsi quàm absona sanis auribus futura esset absurdæ opinionis pernicies, non nisi per ambages, ac dubiâ oratione propinandam duxerunt: „ Nesciremus, inquiunt,

Prælatorũ mandata observanda sunt, non discutienda.

„ quid hâc in re sentiendum: Thesis ergo illa, Prę„ positorum pręcepta à subditis discutienda non „ sunt, fortè de judiciali tantùm, minimè verò de „ privato examine erit intelligenda „. Patrum attendant, & Doctorum verba, & deinde, quæ dubia videbatur, thesim rectiùs interpretentur.

Quod verò plurimùm refert, dum ea in medium proferunt, de obedientiâ Summo ipsi Pontifici debitâ verba faciunt. Egregium sanè hoc erit obsequium, exquisita quidem obedientia, quę Apostolicæ Sedi, quæ Christi Vicario pręstetur, si quilibet ex infimâ etiam plebe de sellâ & tribunali per pręconem ad se eum citari non jubeat, ut causam dicat & reus constituatur. At quisnam insolentior schismaticus ita illi obsequi aversetur aut obedire? Quis pertinacior hęreticus hanc Summo Pontifici reverentiam denegarit?

Nunquam desinunt admirari adversatores Collegæ, atque ab hâc admiratione tractatum suum declamatoriè exordiuntur, quòd nempe, ut Siculo Interdicto major observantia conciliaretur, Pontificiâ authoritate latum ostensum esset: „ Quid hoc proderit, inquiunt, cùm simus in casu „ Interdicti ex facti intolerabili errore pronuncia„ ti „? Sed oportet Canonum peritiam, ac Theologiam priùs sepofuisse, dum hoc stupore se corripi passi sunt. Si grande nefas summis Ecclesiæ Doctoribus visum est, Pręlati cujuscumque mandata à subditis discuti & examinari, quam audacię mensuram prætermisisse censendus erit, qui paris discussionis obtentu supremi Ecclesiæ Rectoris obviam

viam ire audebit imperiis? Illius se magistrum & judicem gerere; qui *Princeps est Episcopalis coronæ*[A]; qui eam sedem tenet, *quam cæteris omnium Deus statuit præsidere*[B]; atque ejus viri sublimatur loco, cui *consortium potentiæ suæ tribuit divina dignatio, & si quid cum eo commune cæteris voluit esse Principibus nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit*[C]: qui denique nobis datus est venerandus *hæres Apostolorum, primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus*[D].

Prælatorũ mandata observanda sunt, non discutienda.

(A) Novell. Valentiniani III. Augusti in oper. Leon. Magn. post epist. 10. alias 89.

(B) Leon. epist. 93. alias 63. Theodorito Episcopo Cyri. cap. 1.

(C) Ejusd. Leon. sermon. 3. cap. 2.

(D) Bern. de consider. lib. 2. cap. 8.

Nunquid admiratione dignum erat, quòd à Siculis debitam Apostolicę Sedi reverentiam habitum iri, speratum esset? Nunquid nullus contemptus, nulla tantę authoritati irrogatur injuria, dum ejus judicia, uti injusta & infirma cavillando, observare contemnitur? Cur ergo Imperator Marcianus[E], dum Chalcedonensis Concilii statuta firmiter servari jubet, *Nam* INJURIAM, inquit, FACIT *judicio religiosissimæ Synodi, si quis semel judicata ac rectè disposita revolvere, & publicè disputare contendit?* Cur Valentinianus III. Augustus[F] de tentatis in Galliâ cõtra Leonis Magni decreta loquens, prout *contra Imperii majestatem, & contra* REVERENTIAM APOSTOLICÆ SEDIS *admissa* redarguit; ideoque districtè inhibet, *ne cuiquam præceptis Romani Antistitis liceat obviare: Ausibus enim talibus fides & reverentia nostri violatur Imperii?* Eccur Petrus Chrysologus[G], *Nec possumus*, ait, INJURIOSE REPLI-

(E) In Cod., Can., & Constit. Eccl. Rom. cap. 26. edit. Parisi. ann. 1675.

(F) Cit. Novell.

(G) Epistol. Euthich. Presbyt. inter opera Leon. post epist. 23.

Prælatorũ mandata observanda sunt, non discutienda.

CARE (aliàs CURIOSE PERSCRUTARI) *qui jubemur honorem dare, & timorem reddere ; & expectare*, NON DISCUTERE *quem Judicem sustinemus?* Quid denique sibi voluit Innocentius Papa I., dum in epistolâ ad Macedones Episcopos (A), qui Sedem ipsam Apostolicam de ejus decretis consulturi, eadem distulerant exequi, *Adverti*, scribit, *Sedi Apostolicæ, ad quam relatio missa quasi ad caput currebat Ecclesiarum*, ALIQUAM FIERI INJURIAM, *cujus* IN AMBIGUUM *adhuc sententia* ADDUCERETUR ?

(A) *Cit. Cod. Eccles. Rom. cap. 22. in princip.*

Fortè contradicatur: De *rectè dispositis*, justisque Apostolicæ Sedis decretis loquebantur illi; cùm modò Siculæ censuræ injustæ & irritæ prętendantur. Verùm haud novum repertum est sub hâc larvâ refractarium agere. Hanc coercebat audaciã Marcianus: tales ausus repressos voluit Valẽtinianus: hujusmodi disceptatricem obedientiam Chrysologus increpabat, atque Innocentius. Ut decreta & statuta illa, quantumvis perspicuè & rectè disposita, difficiles tamen executores, & vitilitigatorum criminationes non effugerunt; ita pariter Siculæ censurę utcumque tricones suos invenerint, & injustitiæ accusentur ac nullitatis, nunquam tamen propterea justæ desinent esse, ac firmissimæ.

At obiiciunt septem Collegę: „ Bernardus ipse „ ad Eugenium Summum Pontificem scribens mi- „ nimè ei occinere dubitavit: *Qomodo non indecens* „ *tibi voluntate pro lege uti?* „ Quid ergo? Nunquid in temeritatis tutelam Bernardus erit vocandus? Si quis fuerit *sanctitate, & authoritate Bernardus alter* (ut in simili Natalis Alexander

ad-

advertit [A]) atque ea jecerit fundamenta virtutis, ut *Ecclesiarum arbiter & Regnorum* evaserit, qualis Bernardus habitus est, scribat & ipse ad Summum Pontificem, quæ Bernardus scripsit ad Eugenium. Quis ista improbaverit? Summi ipsi Pontifices prędicatores sibi asciscunt, eòque cariores habent, quò liberiùs ac verè Apostolico spiritu gravissimi ministerii, quod gerunt, ab iis fuerint admoniti. Sed hæc quid ad causam? Nunquid ex eo quòd Pontifex recta præcipere debeat, nec *voluntate pro lege uti*, consequens inde erit recta ejus præcepta non esse; aut à subdito disceptandum, an recta sint vel secus; & hoc pacto ab illius se eximere subjectione? Inter principalissima monita, quæ in libris de consideratione Eugenio impertitur Bernardus, illud cum primis est, ut promptissimæ obedientiæ, quæ suis mandatis debetur, fortissimus assertor & vindex existat: *Superest*, inquit, *ut generaliter super universum Ecclesiæ statum intendat consideratio tua, si plebes Clericis, si Clerici Sacerdotibus, si Sacerdotes Deo in eâ, quâ oportet, humilitate subjecti sint .... Si demum* VESTRA IPSORUM MANDATA, ET INSTITUTA EA, QUA DIGNUM EST, SOLICITUDINE OBSERVENTUR [B]. Se gesturum esse, aliàs ei in memoriam reducit, *ultorem scelerum, malorum metum, virgam potentum, legum moderatorem, Canonum dispensatorem*; cęterisque suo ordine recensitis, *Ubi malitiæ*, addit, *juncta potentia est, aliquid tibi supra hominem præsumendum. Vultus tuus super facientes mala. Timeat spiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, qui gladium non formidat* [C].

Ite-

Prælatorū mandata observanda sunt, non discutienda.

(A) *De Simon. contra Laun. animadv.* 1.

(B) *Lib.* 3. *cap.* 5.

(C) *Ibid. lib.* 4. *cap.* 7.

Prælatorū mandata observanda sunt, non discutienda.

Iterum obviam veniunt Theologi, & Canonistæ: „ Non modò non obediendum Summo Pontifici, sed resistendū etiam, Theologi, quibus exceptio dari non potest, docent, si in Ecclesiæ eversionem Christique fidelium scandalum, quâ pollet potestate abutatur „. Postquam verò hæc in medium protulere, statim subnectunt: „ Nihil ad causam, de quâ agitur, pertinere, cùm Siculi non „ Pontificiam Potestatem in discussionem vocent, „ sed illi se obsequentissimos profiteantur „.

Dignâ sanè Siculorum Religione, digna orthodoxis Theologis & Canonistis professio: parùm tamen idonea ad notam, quam jam incurrerint, eluendam. Agitent hypothesim illam Controversistæ, dum pro fide adversùs ejusdem hostes certandum. Verùm, si ita à causâ alienam noverant, ut piorum auribus aliena sonat hypothesis illa, quid ergo hìc opus erat intempestivè refricare? Satis esse Siculis poterant tot quęsita jam subterfugia, tot excusationum pigmenta. Sed ubi excitato quęsito satisfiat oportet, Alberti Pighii (A) responsionem adhibemus: *Sed quid, inquiunt, si Evangelio Christi contraria aut doceat* (Pontifex) *aut præcipiat? Iterum occurram. Quid si Christus Ecclesiam suam planè deserat? Sed hanc curam illi permitte, qui tibi præcipit Præsidi Cathedræ, & Petro* OBSEQUI INDISCUSSE, SIMPLICITER, ET IN OMNIBUS. „ Omnia, *inquit*, quęcumque vobis dixerint, servate & facite, etiamsi sint vitę perditę. „ *Et ad Petrum Ecclesiasticę Hjerarchię designatum Præsidem*: „ Quodcumque ligaveris, aut solveris super terram, in Cælis ratum

(A) *Controv. lib.* 2. *controv.* 16. de Potestat. Eccles. *pag.* 129. *edit. Venet. ann.* 1540.

tum habebitur à Deo „. *Nostræ discussioni hic nihil reservatum est, sed simpliciter nobis imposita obediendi necessitas. Cui humiliter, fideliterque nos submittentes in eo errare non possumus. Nam idem ille nos judicaturus est, qui eam nobis necessitatem imposuit. Quæ verò Adversarii criminantur doceri & præcipi ab illis* (nempe Pontificibus) *contra Christum & Sanctum Evangelium, sunt impudentissima contra Christum & Sanctum Evangelium ejus mendacia.* En quò redacti sumus, proh pudor! dum controversiam de censuris servandis agimus, ita disputant Theologi & Canonistæ, ut ad eorum frangendum impetum nobis arma instauranda sint, & remolienda, ad hereticorum furorem retundendum instructa.

Prælatorum mandata observanda sunt, non discutienda.

Tamquam si ad rerum ordinem invertendum unicè eorum nisus intendant, obedientiam, quam Summo Pontifici Interdicti observationem præcipienti adimunt, laico Magistratui ejusdem violationem jubenti elargiuntur, in erroris evictionem Paulo in epistolâ ad Romanos[A], & Chrysostomo in illius expositione audacter vocatis. Præcipit ibi quidem Apostolus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo.* Nunquid verò laicæ tantùm Potestati, non item Ecclesiasticæ obtemperandum vult Paulus? At de quâ potestate aliàs ipse loquitur, dum Corinthios objurgat[B]? *Hæc absens scribo, ut non præsens duriùs agam secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi.* Et rursus[C]: *Quid vultis? in virgâ veniam ad vos, an in caritate, & spiritu mansuetudinis?* De potesta-

(A) *Cap.* 13. *v.* 1.

(B) 2. *Corinth.* 13. *v.* 10.

(C) 1. *Corinth.* 4. *v.* 21.

Prælatorũ mandata observanda sunt, non discutienda.

testate ipsâ generaliter Paulum differentem exponit Chrysostomus: *Omnis ergo Princeps à Deo constitutus est? Istud, inquit Paulus, non dico; neque enim de quovis Principe mihi sermo est,* SED DE IPSA RE. *Quòd enim Principatus sunt; quòd hi quidem imperant; isti verò subjecti sunt, divinæ sapientiæ opus esse dico. Propterea non dicit: Non enim Princeps nisi à Deo, sed de re ipsâ disserit dicens: Non est potestas nisi à Deo.*

(A) Epist. 183.

Apostoli sensus clariùs elucescet, Bernardo in interpretem addito[A], qui Conrado Imperatori scribens: „ Legi quippè, inquit, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Et, *Qui potestati „ resistit, Dei ordinationi resistit*. Quam tamen sen„ tentiam cupio vos, & omnimodis moneo custo„ dire IN EXHIBENDA REVERENTIA SUMMÆ ET APOSTOLI„ CÆ SEDI, ET B. PETRI VICARIO, sicut ipsam vobis „ vultis ab universo servari imperio „. Discreta habet utraque potestas confinia. Quid hęc turbentur, & secularis ad res spirituales & sacras excurrat? Quid de censurarum observatione sibi arroget judicare? Ad Sacerdotii jura tuenda Sanctum Gelasium I.[B] appellamus: *Hæc Imperatores*, ait, *tentare formidant, nec ad Juę pertinere cognoscunt modulum potestatis, cui de humanis tantùm rebus judicare permissum est, non etiam præesse Divinis*. Propior erit negotio Innocentii III.[C] Decretalis, quæ ex Anglici Interdicti occasione manavit: *Absit*, ait, *ut in tam iniquo proposito Populus Anglicanus, qui verè Christianus existit & Zelator fidei Orthodoxæ, contra Regem Cælestem Regem sequatur terrenum, corporalia*

(B) In disput. de anathemat. vincul. cap. 8.; Adde Canones 96. distinct. à Gratiano congestos.

(C) Epist. 113. lib. 10.

ralia spiritualibus præferendo, cùm non solùm Clerici, sed & laici tantæ discretionis & devotionis existant, ut norint & velint distinguere inter illa, quę reddenda sunt Cæsari, & ea, quæ reddenda sunt Deo. Nunquid sub controversiam hęc cadant? *Quid igitur ambagibus & nebulis ista prętexunt* [A]? Scilicet *non mirum, si nunc eos defendere moliuntur, quorum indiscussam cæcis mentibus sequuti sunt utilitatem* [B].

Prælatorũ mandata observanda sunt, non discutienda.

(A) Ex Gelasii epist. 15.

(B) Ex eadem Gelasii epist. paulò superiùs.

Ne longum sit, inquiunt denique septem Collegæ, Nos Divi Thomæ 2.2. quæst. 104. art. 5. doctrinæ stabimus. Disceptatorem profectò sumunt, quem non modò non recusemus, sed etiam deposcamus. Concludit ibi loci Thomas *posse contingere, quòd subditus suo Superiori non teneatur in omnibus obedire*: idque *propter præceptum majoris potestatis*. Quod ex Augustini [C] sententiâ probat: *Si quid jusserit Curator, nunquid est tibi faciendum, si contra Proconsulem jubeat? Rursum, si quid Proconsul jubeat, & aliud Imperator, nunquid dubitatur, illo contempto, isti esse serviendum? Ergo si aliud Imperator, aliud Deus jubeat, contempto illo, obtemperandum est Deo*. Quę his consequitur veritati, neque Prelato nimirum obsequendum esse, si Divinę legi contraria pręcipiat, nemo est qui reclamet. Sed in hoc totius rei sita est summa: Certò oportet, & patenter liquere Prelati mandatum Divino adversari; aliàs aliud juris erit. Quàm rigidus indiscussæ obedientię exactor sit Thomas, pręcedenti §. vidimus. Palam idem Augustinus [D] testatur, obediendum omninò esse, cùm *quod jubetur, vel non esse contra Dei pręceptum certum est; vel utrum sit,* CERTUM NON EST.

(C) Serm. 6. de Verb. Dom. c. 8.

(D) Lib. 22. contra Faust. cap. 75. relat. in Can. Quid culpatur 23. q. 1.

Qui

Prælatorũ mandata observanda sunt, non discutienda.

(A) De præcept., & dispens. cap. 9.

Qui his minimè contentus sit, Bernardum (A) adeat, & copiosæ ejus, solidæque disquisitioni acquiescat: „ Prelatos, ait, SIBI DEUS ÆQUARE QUODAM„ MODO in utrâque parte dignatus sibimet imputat „ illorum & reverentiam & contemptum, speciali„ ter contestans eis: *Qui vos audit, me audit; & qui* „ *vos spernit, me spernit....* Quamobrem quidquid „ vice Dei præcipit homo, QUOD NON SIT TAMEN CER„ TUM DISPLICERE DEO, haud secus omninò accipien„ dum est, quàm si præcipiat Deus. Quìd enim in„ terest, utrùm per se, aut per suos ministros sive „ homines, sive Angelos innotescat suum placitum „ Deus? Sed homines, inquis, facilè falli in Dei „ voluntate de rebus dubiis percipiendâ, & in pre„ cipiendâ fallere possunt. Sed enim QUID HOC RE„ FERT TUA, qui conscius non es, presertim cùm te„ neas de scripturis, quia *labia Sacerdotis custo*„ *diunt scientiam, & legem ex ore ejus requirunt,* „ *quia Angelus Domini exercituum est?* „ Pergit Bernardus eos morosos, & contumaces arguere, qui illam tantùm legem ex ore Sacerdotis requirunt, *quam vel* AUTHENTICA SCRIPTURA *tradiderit, vel* RATIO MANIFESTA *probaverit: Sed de hujusmodi,* inquit, *nec præceptor expectandus, nec probibitor auscultandus est; sed quod ita latere, aut obscurum esse cognoscitur, ut in* DUBIUM *venire possit, utrumne sic Deus, an aliter fortè velit, si non de labiis custodientibus scientiam, & ex ore Angeli Domini exercituum certum reddatur: A quo denique divina potiùs consilia requirentur, quàm ab illo, cui credita est dispensatio mysteriorum Dei? Ipsum proinde, quem pro Deo*

ba-

habemus, tamquam Deum in his, QUÆ APERTE NON SUNT CONTRA DEUM, *audire debemus*.

Prælatorũ mandata observanda sunt, non discutienda.

Virtutum etiam opera dimittenda esse ob supereminentem obedientiæ virtutem, S. Raymundus docet [A], ubi notissimè prava non jubeantur: *Si autem dubitat subditus, utrùm sit contra Deum, vel non illud quod præcipitur, debet obedire, nisi esset tale quid, in quo* NULLO MODO *esset excusabilis ignorantia, putà contra articulum fidei, præcepti, vel prohibitionis, vel generale statutum Ecclesiæ. Aliàs* BONUM, *sine quo potest esse salus*, DEBET DIMITTERE *interdum propter bonum obedientiæ*. Quâ in re Gregorium [B] sequutus est dicentem: *Sciendum est nunquam per obedientiam malum fieri; aliquando autem per obedientiam debet bonum, quod agitur, intermitti*. Manet ergo firmissima regula, nil super Præpositorum mandatis subdito disputandum, nullum ei judicium, examen nullum relinqui. Manifestè ac certè prava jubet? Quid erit disputandum? Obedire non debet. Manifestè & certè prava non sunt, quę jubet? Cur non obedire festinet?

(A) *In Summ. lib. 3. de sentent. præcept. de finit., & Excomm.* §. 2.

(B) *In Can.* Quid ergo 11. q. 3.

CAPUT II.

Paſtoris ſententia ſive juſta, ſive injuſta ſervanda.

§. 1.

Exponitur Can. Sententia 11. *quæſt.* 3.

QUÆ in univerſum de Prælatorum imperiis diximus, longè potiori jure, ſi de cenſuris agatur, obtinebunt; cùm manifeſtę ac certæ malitiæ præſcriptio, quæ illis exequendis obſtare queat, in his ſervandis omninò ceſſet: quæ enim unquam malitia in hoc fuerit, quòd excommunicatus præfixam ſententiam non violet? An injuſta, aut irrita, aut utrumque illa ſit, ad ſubditi examen non pertinet; cujus parere eſt, non judicare. Quomodo enim contumaces coerceas, quomodo cenſuris debitam afferas obſervantiam, ſi cuicumque copiam facias eas in diſcuſſionem vocandi? Nulla profectò cenſura erit, utcumque exactè penſitatam inflixeris, quam refractarius, ne dum injuſtitiæ, verùm multiplicis etiam nullitatis non accuſet. Prælatus validè & juſtè ſe ligaſſe affirmat; reus nulliter & injuſtè, conqueritur. Num rei querela judicis ſententiæ prævalere debet? Rei innocentiæ conſulendum eſt. Eccleſiaſtica jura providè conſuluerunt. Qui injuſtè ac nulliter ſe ligatum aſſerit, ſuperio-

rem

rem Judicem adeat, ut solvatur: sed interim Excommunicationem custodiat. Si malum est, ut innocens aliquando damnetur; leve quidem id videri potest, cùm coram Deo solutus sit; & satis quod damni est, pensetur tum privato obedientiæ merito, quod censuram humiliter servanti accrescit: tum publicâ conservandi disciplinam utilitate, quæ perturbetur omninò oportet, si cuique liceat, an justè, vel injustè ligatus sit, examinare. Notissima est in hanc rem Gregorii Magni sententia apud Gratianum [A]: ubi tamen cùm mutila, & interpolata sit, ex ipso ejus fonte [B] integram corrivamus: *Utrùm justè, an injustè obliget pastor; pastoris tamen sententia gregi timenda est: ne is qui subest, & cùm injustè forsitan ligatur, ipsam obligationis suę sententiam ex aliâ causâ mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem, qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel injustè; nec pastoris sui judicium temerè reprehendat: ne, & si injustè ligatus est, ex ipsâ tumidæ reprehensionis superbiâ culpa, quæ non erat, fiat.* Etsi perspicua satis Pontificis verba sint, mirum tamen quantùm eorum interpretatio vulgò Doctores torqueat!

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

(A) Can. Sententia, 11. quæst. 3.

(B) In Evangel. lib. 2. homil. 26. n. 6.

I. Siquidem dubitant, de sententiâne injustâ, sed validâ loquatur Gregorius, an verò de injustâ, sive valida fuerit, sive invalida. Distinguunt sanè Jurisperiti inter sententiam injustam, quæ nempe, licèt ex sufficienti causâ, non tamen ex puro zelo, sed distorti etiam affectûs impulsu à Prælato feratur, vel in aliquibus judiciarii ordinis apicibus deficiat: & inter invalidam sive nullam, ut si causa

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

sufficiens, aut substantialia processûs desint. Nihilo tamen minùs sæpè utraque promiscuè usurpari, & sententia injusta pro invalidâ & nullâ dici consuevit. Imperiti omninò leguleí est Patrum facundiam, sanctamque Canonum simplicitatem conceptis hisce verbis, & jejunis frigidisque formulis astrictam velle. Quòd in proposito Canone sententia injusta perinde ac invalida accipienda sit, ex contextu ipso in primis evincitur; Etenim quare injustam etiam sententiam gregi timendam injungit Pontifex? nimirum ne is, qui *injustè forsan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex* ALIA CAUSA *mereatur*. In eâdem homiliâ paulò superiùs de Prælato ipso injustam Excommunicationem ferente verba faciens, *Agitur*, inquit, *ut damnet* IMMERITOS. De sententiâ ergo intelligit ex CAUSÆ defectu injustâ, quæ forsan damnet IMMERITOS: at hęc nonne eadem est, ac invalida?

Cùm Maximum, de quo aliàs mentionem fecimus, à Divinis celebrandis arcuisset Gregorius, eum à suspensione suâ violandâ deterret, ne inobedientem se præstando in Excommunicationem jam intentatam prolabatur, admisso etiam quòd nullius culpæ conscius in judicium vocatus esset, ut ipse affirmatè jactabat: *Quòd si perverso forsitan ausu celebrare præsumseris, ab interdictæ pridem communionis interminatione liberum te non esse cognoscas. Nam,* ETIAMSI ALII EXCESSUS DESINT, *pro hâc* SOLUMMODÒ *culpâ superbiæ Dominici te Corporis, & Sanguinis communione privamus* [A].

(A) Epist. 25. lib. 6.

Hujus rei ratio ab antiquissimo Canonũ statu-

to

to descendit, contumaciam nempe solam sufficere, ut quis communione privetur. Sanxerant Africani Patres in Concilio Carthaginensi III. [A]; cujus Canonem Gratianus [B] refert: notat quoque Glossa [C], observatque Gussanvillæus in adductam Gregorii epistolam. Sunt qui [D] ab aliquo alio occulto crimine, quo *injustè ligatus* fortè teneatur, causam deducunt, unde *obligationis suæ sententiam mereri* dicitur, nisi illam timeat: *Contingit aliquando, ut adulter sententiam pro sacrilegio reportet, cujus reatum in conscientiâ non habet: hæc sententia, etsi injusta sit, quia non est in eo crimen, super quod lata est sententia, tamen justè ab eo reportata est; quia ex reatu adulterii jamdiu apud Deum excommunicatus fuerat.* Verùm hoc non Canones interpretari, sed nugas pueriles agere est. Apertè Pontifex rem totam in subditi contumaciam refundit: *Is autem, qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel injustè, nec pastoris sui judicium temerè reprehendat: ne, etsi injustè ligatus est, ex ipsâ tumidæ reprehensionis superbiâ culpa, quæ non erat, fiat.* Familiare Patribus est adeò vehementi oratione exagitare, & tamquam summam temeritatem superbumque Potestatis contemptum detestari, quòd subditus, ne Prælati judicium subeat, ut iniquum condemnet. *Episcopus*, inquit Cyprianus [E], *superbâ quorumdam præsumptione* CONTEMNITUR, *& homo dignatione Dei honoratus indignus hominibus judicatur. Quis enim hic superbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quę mentis inflatio ad cognitionem suam Præpositos, & Sacerdotes vocare?*

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

(A) Can. 7.

(B) Can. Quisquis 4. q. 5.

(C) In Can. Duo sunt 98. dist. in verb. Videbatur.

(D) Vid. Gratian. post Can. Non solùm 11. q. 3.

(E) Cit. epist. 69.

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

II. Dubitant, an idem sit *sententia timenda est*, ut Gregorius habet, ac observanda. Timor sententiæ deferendus *tumidæ reprehensioni* opponitur apud Gregorium. Cùm ergo hæc in eo tota consistat, quòd qui subest de judicis sententiâ judicare audeat, ne illi obtemperet; consequens est, ut sententiam timere eam indiscussè observare sit. Ab hâc æquè, ac præcedenti difficultate paucis nos expedire poterat Concilii Lemovicensis II. [A] authoritas: ubi Odelricus Abbas, cui cęteri Patres subscribunt, Gregorianum effatum proponens *justè, aut injustè ligare* per ligare *ob culpam, aut sine culpâ* exponit; & pro *sententia timenda* usurpat *observanda*: *Quemadmodum*, ait, *Beatus Gregorius attestatur, cujus authoritas minimè sperni potest, si pastor ligat aliquem aut* JUSTE, *aut* INJUSTE, *aut* OB CULPAM, *aut* SINE CULPA, OBSERVANDA *est Excommunicatio*. Eò magis ad causam facit Concilii hujus testimonium, quòd Excommunicatio pro Interdicto inibi accipiatur.

(A) *Loc. cit.*

Suffragatur Divus Thomas [B], si rectè intelligas. Hunc ipsum enim Gregorii locum explicaturus, *Excommunicatio*, inquit, *potest dici injusta dupliciter. Uno modo ex parte excommunicantis, sicut cùm ex odio, aut ex irâ aliquis excommunicat... Alio modo ex parte ipsius Excommunicationis*: VEL *quia causa Excommunicationis est indebita*; VEL *quia fertur sententia juris ordine prætermisso*. Paucis interjectis utrumque subdivisionis membrum complectens addit: *Et debet excommunicatus humiliter obedire (& erit ei ad meritum) & vel absolutionem petere ab* ex-

(B) *Supplem. q. 21. art. 4., & in 4. dist. 18. q. 2. art. 2. ad 4.*

excommunicante, vel ad superiorem judicem recurrere: si autem contemneret eo ipso mortaliter peccaret. Quantumvis ergo Excommunicatio nulla sit, nec operetur principalem effectum suum, ut nempe in quem fertur, ligatus sit coram Deo; operatur tamen quoad forum externum, *& debet excommunicatus humiliter obedire*. Ex his ad aliam injustæ Excommunicationis speciem, quam invalidam etiam jurisperitus appellaret, gradum facit: *Contingit autem quandoque, quòd sit debita causa ex parte excommunicantis, quæ non est debita ex parte excommunicati, sicut cùm aliquis pro falso crimine in judicio probato excommunicatur: Et tunc, si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat Excommunicationis* DAMNUM. Nonne vides, ut in hâc quoque specie servandæ censuræ obligationem agnoscit Thomas? Propugnavit, exposuitque in Concilio Basileensi hanc Thomæ doctrinam Ægidius Carlerius, Ecclesiæ Cameracensis Decanus oratione, quâ per dies quatuor respondit ad articulum secundum Bohemorum [A]: *Dicit* (Thomas) *quòd* ,, humilitatis meritum recompensat Excommu- ,, nicationis DAMNUM ,, : *Igitur talis incurrit damnum Excommunicationis; & sic patet, quòd in casu reputatur* VERE *excommunicatus, qui est in gratiâ*.

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

(A) *Extat Cōc. Labb. tom.12.col.1214.*

Ex dictis autem liquet, à veritate quidem longè Sarpium ablusisse, dum Gersoni addictus adversùs Pauli V. Interdictum scriberet; nec tamen ad eam omninò pertigisse, dum illi reponeret, Bellarminum. Sarpius, ut censurarum observan-

tiam

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

tiam & vigorem extenuaret, de sententiâ tum injustâ, tum invalidâ Gregorium interpretabatur; sed eam timeri dumtaxat, non item observari, Pontificem voluisse, contendens: Bellarminus è contra, ut debitam censuris reverentiam assereret, optimè quidem & timorem, & observationem à Gregorio injunctam propugnabat: sed de injustâ tantùm, non item de invalidâ loquutum, arbitrabatur.

Patrocinium sibi quærebat Sarpius tum à Can. *Cui est illata* 11. quæst. 3. Gelasio inscripto; quo fovendæ intentioni suæ aptiorem nec ipse cudere potuisset. Siquidem inquit: *Si injusta* (sententia) *est, tantò curare eam non debet, quantò apud Deum & ejus Ecclesiam neminem potest gravare iniqua sententia. Ita ergo eâ se non absolvi desideret, quâ se nullatenus perspicit obligatum*: Tum à Collectoris testimonio, qui hoc pacto discordantes Canones ad concordiam nititur revocare [A]: *Gregorius non dicit sententiam injustè latam esse servandam, sed timendam; sic & Urbanus* (Can. *Quibus Episcopi* ibid.) *Timenda est ergo, idest non ex superbiâ contemnenda.*

(A) *Post Can.* Si Episcopus 11. *q.* 3.

Hoc secundum validè quidem, ac facili negotio explodebat Bellarminus, quòd Gratiani placitum ab eodem Canone, cui innititur, evertatur. Ait Urbanus: *Quibus Episcopi non communicant, non communicetis; & quos ejecerint, non recipiatis. Valdè enim est timenda sententia Episcopi, licèt injustè liget.* Quid aliud ergo est ad Urbani sensum injustam sententiam timere, quàm exequi & observare,

cx-

excommunicati consortium defugiendo? Non item firmè, nec item verè primùm objectum diluit doctissimus alioquin Cardinalis. Cùm enim de appellati Canonis fide nil dubitaret, ad eas angustias illius authoritate se redigi passus est, ut Gregorium de sententiâ injustâ, sed validâ; Gelasium de injustâ, & invalidâ exponeret, atque ita invicem Pontifices conciliaret.

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

Sed vanum fuit terriculum, quod tantum virum delusit. Nil evidentius, Canonem Gelasio inscriptum suppostitium esse, aut saltem corruptum. Epistolam Gelasii Episcopis orientalibus de damnatione Dioscori laudat Gratianus. Atque exemplaribus typis editis manuscripta concordant. Sed quid monstri hoc est? Epistolam ad Episcopos orientales dedit quidem Gelasius, quæ 15. est inter alias: Sed de Dioscori damnatione Leo I. egerat, non Gelasius. De damnatione Acacii agit Gelasius, tum in disputatione de anathematis vinculo, tum etiam in epistolâ ad orientales. In eâ tantùm disputatione aliquot verba sunt Canonis à Collectore relati, sed in sensu longissimè diverso. Contendens ibi Gelasius pœnam quamvis perpetuam alicui ob errorem præfixam, solvi oportere, si erroris emendatio sequatur, *In non suo errore*, ait, *quàm esse non potest, tam docetur esse vacuata* [A]. Hoc est quod Canonis initio respondet: *Cui est illata sententia, deponat errorem & vacua est*. Inferiùs [B] habet Gelasius: *Talis effectus* (idest absque errore) *& obligatione carens fieret absolutus; & circa tales præfixa sentētia nullo modo* SOLUBILIS *redderetur.*

(A) Cap. 3. in fin.

(B) Cap. 5. circa med.

Nun-

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

Nunquid enim misit, quæsivit, expetiit, & abjectus est? En ergo quid agere debet, ut solvatur. Ex his tamen reliquũ Canonis perperam fortè confictũ. Romanorum Censorũ obelum, dum Gratiani expurgationẽ accurarent, depravatus locus hìc minimè effugit.

Ea autem opinio erat, cui succinuit Bellarminus, sententiam injustam tantùm & timendam, & servandam esse: *Invalidam verò, & nullam nibil aliud operari in foro interiori, neque exteriori, quàm quòd obliget excommunicatum ad servandam eam quoad populus sibi persuadeat causas nullitatis:* Quâ in re Navarrum [A], & Sylvestrum [B] sequutus est. Ex eo itaque servandæ censuræ obligationem derivabat, vel quia sententia, etsi in judiciarii ordinis apicibus deficiat, *gravet tamen apud Deum, & ejus Ecclesiam*; ut Pseudo-Gelasius volebat: vel quia scandalum evitare oporteat. Nil faciliùs quàm quòd utrumque obicem sibi quisque superasse videatur, si nullitatis sententiam arguat, si nullitatis capita in vulgus spargat; neque enim perpetuò vigebit juxta Navarrum vitandi scandali ratio: *Sed quoad populus sibi persuadeat causas nullitatis*. Verùm in contrarium stat solidissimis innixa fundamentis Patrum, ac Canonum regula, quæ sententiam sive justam, sive injustam, *aut ob culpam, aut sine culpâ* observari jubet: atque Excommunicationis custodiendę necessitatem astruit, non ex eo tantùm, quòd apud Deum gravet (hoc enim pacto sublata jam esset vulgatissima distinctio sententiæ quoad utrumque forum, & quoad externum tantùm obligantis) non ex temporaneâ,

(A) *In manual. cap. 27. num. 3.*

(B) *Verb.* Excõmunicatio 2. *n.* 1.

&

& generali eâ ratione, ne proximo offendiculum præbeatur: sed à perpetuo illo stabilique principio, Divinæ nimirum sapientiæ & institutionis esse, ut sint & qui præsint, & qui subsint: eos, qui præsunt, ab iis, qui subsunt, non dijudicari oportere: institutas esse censuras, ut efficaciter medicinales sint: tales autem nequaquam futuras, si hæc claustra perrumpantur: Quemcumque contumacem, atque illum præsertim, qui eas subtiliùs discutiens violandas putaverit, Ecclesiasticis censuris dignum se probare. *Arma militiæ nostræ*, inquit Paulus [A], *non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum*, CONSILIA *destruentes*, *& omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, & in captivitatem redigentes* OMNEM INTELLECTUM *in obsequium Christi*, *& in promptu habentes ulcisci* OMNEM INOBEDIENTIAM. Quæ verba Basilius [B] expositurus. „ Attendere, ait, operæ pretium est, indi-
„ gnatio illa quanta sit, quâ eadem Divina Scri-
„ ptura adversùs illos utatur, qui SACERDOTIS di-
„ cto, aut JUDICIS audientes non fuerint: *Qui autem*,
„ inquit, *fecerit in manu superbiam nolens obedire*
„ *Sacerdotis imperio*, *qui eo tempore ministrat Do-*
„ *mino Deo tuo*, *vel judici*, *qui fuerit in diebus illis*,
„ *morietur homo ille*, *& auferes malum de medio*
„ *Israel, cunctusque populus audiens timebit*; *& non*
„ *agent ampliùs impiè*. Ex quibus verbis facile est
„ intelligere, quàm vehementer nos solicitos esse,
„ quantòque opere exhorrescere. Et *in captivitatem*,
„ inquit, *redigentes omnem intellectum in obsequium*
„ *Christi*: omnem intellectum, non hunc, aut illum.

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

(A) 2. *Corinth.* 10. *v.* 4. *& seqq.*

(B) *De judicio Dei pag. mihi* 400. *&* 401. *tom.* 2.

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

„ Et *in promptu habentes ulcisci*;& hoc in loco etiam, „ non hanc, aut illam, sed omnem inobedientiam.

Vera nihilominùs in aliquo sensu Bellarmini, & aliorum opinio esse potest, invalidam videlicet sententiam servandam non esse, si de eâ intelligatur, quæ ex defectu jurisdictionis, aut potestatis invalida sit. De *Prælati*, de *pastoris*, atque eius *qui præest* sententiâ, & in eum *qui subest* latâ, Gregorius loquitur, cùm injustam etiam servandam docet. Cæterùm si talis non sit qui ligat, & quem ligare præsumat, impune non parebitur. Quæ tamen exceptio neutiquam afficere queat sententias Pontificiâ prolatas authoritate, non rerum, non personarum, non denique locorum limitibus circumscriptâ.

Sed,ut nihil involutum relinquamus,in ejusmodi quoque censuris ex defectu potestatis, ac jurisdictionis nullis distinctio adhibenda est. Aliquando,nedum infirma & invalida,sed adeò etiam temeraria, injuriosa, atque impia censura esse potest, ut eam contemnere, & aversari ad religionem pertineat. Exemplum esse poterit anathema, quod Leoni Magno Dioscorus dixit, *nova & inauditâ priùs atque incredibili audaciâ inferre contra suum caput molitus injuriam* [A]. Ad idem genus spectant inanes *execrationes*, quibus factiosi hæretici orthodoxos impetebant, ac persequebantur, *vel propter Catholicę Ecclesię confessionem,vel propter veritatis defensionem*. De quâ sanè re agens Sardicensis Canon [B], *Durum est*, ait, *atque adeò gravissimum, eum, qui injustam ejectionem passus est,à nobis non*

(A) *Leo epist.93. Theodorito Episcopo Cyri. cap.3. alias epist.63.*

(B) *Nempe 17. juxta interpret. Gétian. Herrae.*

non suscipi. Aliquando verò quantumvis irrita, & à non habente jurisdictionem irrogata censura sit, excellentioris tamen pietatis erit non contemnere, sed revereri. Hùc spectat quod de Theodosio juniore aliàs attigimus, quodque narrans Theodoretus [A] in summam Cæsareæ pietatis laudem vertit: *Vir quidam*, ait, *vitam excolens monaSticam animo paulò audaciore præditus ad Imperatorem rei cujusdam petendæ gratiâ accedit. Quod cùm sæpiùs frustrà fecisset, Imperatori Ecclesiasticâ interdicit communione, vinculoque Ecclesiæ ei injecto decedit. Imperator autem fide cum primis excellens, ad palatium cùm tempus instaret convivii, & omnes convivæ adessent, dixit, se non priùs capturum cibum, quàm Ecclesiæ vinculo solveretur. Proinde unum ex familiaribus ad Episcopum mittit oratum, ut potestatem faciat ei, qui ipsum ligaverat, vinculo solvendi. Cùm autem Episcopus respondisset*, NON DEBERE CUJUSQUE VINCULUM ADMITTERE, *significassetque*, EUM SOLUTUM ESSE; *non tamen solutione illâ contentus eSt, donec ille, qui eum ligaverat, magno cum labore conquisitus, communioni illum restituisset. Ejusmodi nanque erat Imperatoris erga leges divinas fides*. Sed idololatrię suspectus, immo compertus omnino reus Theodosius habeatur oportet à nostris Theologis & Canonistis, qui in Navarri [B] verba jurantes perinde esse, generaliter affirmant, censuram nullam timere, ac falso Numini cultum præbere.

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

(A) *Lib.5. cap.36.*

(B) *In cap.* Cùm contingat *remed. 2. n. 23.*

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

§. 2.

Gregorii Canon aliis Canonum decretis, ac testimoniis comprobatur.

De Excommunicatione absque sufficienti causâ inflictâ, quæ propterea nulla esse queat, differens Origenes [A], judicium ipse suum proferre non audet, & ne ab aliis feratur monet, an liget coram Deo, vel secus: *Deus scit*, inquit; *nos autem pronunciare non possumus secundùm quod scriptum est*: „ Nolite judicare &c. „ sed sententiam servandam omninò docet: *Qui ergo in peccato* LEVI *correptus ... non se emendat, nos quidem sic eum* DEBEMUS *habere quasi ethnicum & publicanum, abstinentes ab eo, ut confundatur.*

(A) *Tractat. 6. in Matth.*

Anathemate innocenter, adeòque sententiâ nullâ innodatis cùm præsidium parare voluissent Patres Sardicenses [B], aditum illis ad comprovinciales Episcopos reserarunt: *Providendum est, ne* INNOCENS *damnetur, aut perdat communionem; & ideo habeat potestatem is, qui abjectus est, ut Episcopos finitimos interpellet, & causa ejus audiatur*: Eâ tamen conditione, ut quamvis injustè, & absque causâ se damnatum allegaret, interim abstineretur: *Ille Episcopus, qui* AUT JUSTE, AUT INJUSTE *eum abjecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur ... tamen priusquam omnia diligenter & fideliter examinentur, eum qui fuerit à communione separatus*, ANTE COGNITIONEM NULLUS ALIUS DEBET PRÆSUMERE, UT COMMUNIONI SOCIET.

(B) *Canon. 17. juxta interpret. Dionys. Exig., apud Gratian. Can.* Si Episcopus forte 11. q. 3.

Ni-

Nicænum Concilium [A] Sardicensi exemplum præbuerat, ut priùs etiam Antiocheno [B]. Quorum deinde statuta Agathense sub initium VI. seculi imitatum est [C]: Ut damnatis aut minimâ, aut etiam nullâ ex causâ opitularetur Concilium, primùm jubet, ut *Episcopi*, qui *Sacerdotali moderatione postpositâ* INNOCENTES, *aut* MINIMIS CAUSIS *culpabiles excommunicare præsumpserint, aut ad gratiam festinantes recipere fortasse noluerint, à vicinis Episcopis cujuslibet Provinciæ literis moneantur*. Postmodum verò, si monitio non profuisset, temporaneam communionem (quam ex novo jure absolutionem cum reincidentiâ nuncuparemus) ab iisdem finitimis Episcopis indulgendam fore usque ad Synodi congregandæ tempus; in quâ causa firmiùs discuteretur, ne interim anathemate devinctos in eo mori contingeret: *Etsi parere noluerint* (Episcopi) *communio illis* (idest excommunicatis) USQUE AD TEMPUS SYNODI *à reliquis Episcopis non denegetur, ne fortè propter excommunicatoris peccatum excommunicati longo tempore morte præveniantur*. Adeò persuasissimum erat, sententiam etiam nullam servari debere, nisi Ecclesiasticâ authoritate remitteretur.

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

(A) *Can.5., apud Gratian. Can.* Servetur ista sententia *ibid.*

(B) *Can.6., apud Gratian. Can.* Si quis à proprio *ibid.*

(C) *Cap.3., apud Gratian. Can.* Episcopi si Sacerdotali *ibid.*

Astipulatur recentius Vernense Concilium [D]. At ubi antiquiora Provinciæ Episcopos aut Synodum indicarant, hoc Metropolitam adeundi copiam facit: *Quod si quis se reclamaverit, quòd* INJUSTE *sit excommunicatus, licentiam habeat ad Metropolitanum Episcopum venire, & ibidem secundùm Canonicam institutionem dijudicetur*: INTERIM SUAM

(D) *Can.9.*

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

EXCOMMUNICATIONEM CUSTODIAT. Si verò sententiam, quam injustam allegabat damnatus, ante absolutionem à superiori judice impetratam servare neglexisset, in contumaciæ pœnam Excommunicationi exilium Regali judicio addendum erat: *Quòd si aliquis ista omnia contempserit, & Episcopus emendare minimè potuerit, Regis judicio exilio condemnetur*. Ex Synodo Quintilineburgensi anno 1085. sub Gregorio Papâ VII. celebratâ ejusmodi statutum Bertholdus refert: *Ut quicumque Episcopo suo nec officio, nec communione privato excommunicatus esset*, ETSI INJUSTE, NULLATENUS TAMEN RECIPERETUR AD COMMUNIONEM; *nisi absolutus Ecclesiastico more* [A].

(A) *Extat apud Coriol. in Summ. Concil. pag.* 477., *aliosque collect.*

Antiquo Canonum juri novum Decretalium jus examussim respondet. Id palam fiet si Cap. *Per tuas* 40. de Sentent. Excomm. expendamus. In cujus intelligentiâ cùm graviter Glossa [B], ut nobis quidem videtur, decepta esset, doctos etiam plerosque viros in errorem adduxit. Ex hoc enim Capitulo astruit, sententiam Pastoris timendam esse, *nisi in duobus casibus, scilicet cùm sententia est post appellationem lata, & cùm continet errorem intolerabilem*, dum in eo prorsus oppositum luculentissimè determinatur. Discrimen inter sententiam, quæ ut patenter nulla proponitur, aut quòd lata sit post interpositum appellationis remedium, aut intolerabilem errorem contineat: Et sententiam dubiè nullam, vel injustam designaturus Innocentius III., pensitatis Alexandri III. Decretali, jam adducto Sardicensi Canone, necnon aliorum placitis, reque diù apud se variè diligenterque di-

(B) *In cit. Can.* Sententia *in princip.*

discussâ, *Nos*, ait, *credimus distinguendum*, *utrùm proponat se* POST APPELLATIONEM LEGITIME INTERPOSITAM *Excommunicatione notatum*, *vel in formâ Excommunicationis* INTOLERABILEM ERROREM FUISSE PATENTER *expressum*; *in quibus casibus ad probationem eorum*, *etiamsi absolutionem non petat*, *debet admitti*: SED DONEC *de ipsis constiterit*, IN ALIIS EVITARI DEBET, *quanquam Apostolica Sedes* ETIAM TALES *consueverit absolvere ad cautelam*. *Verùm* IN ALIIS *nisi gratiam absolutionis imploret*, NON DEBET AUDIRI, *ne sententiam Ecclesiasticam contemnere* VIDEATUR, *& propter hoc* AMPLIUS *in suo contemptu* LIGETUR.

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

Differentia ergo inter unam alteramque speciem non se tenet ex parte obligationis custodiendæ censuræ, & excommunicatum vitandi: Etenim etiam, *qui proponit*, *se* POST APPELLATIONEM LEGITIME INTERPOSITAM *Excommunicatione notatum*, *vel in formâ Excommunicationis* INTOLERABILEM ERROREM *fuisse* PATENTER *expressum*, DONEC *de ipsis constiterit*, nempe coram appellationis judice, IN ALIIS, quæ scilicet ad judicium prosequendum non pertinent, EVITARI DEBET; sed se tenet ex parte absolutionis *ad cautelam*, sive ad finem audiendi; quæ in secundâ specie, nimirum cùm à sententiâ injustâ, vel dubiè nullâ provocatur, nullo pacto prætermitti potest: *Verùm* IN ALIIS, *nisi gratiam absolutionis imploret*, NON DEBET AUDIRI. In primâ autem liberum appellanti est vel petere, vel prætermittere: *Ad probationem eorum*, *etiamsi absolutionem non petat*, *debet admitti*. Licèt aliàs sit Romanæ Ecclesiæ usus: *Etiam tales consueverit absolvere ad cautelam*. Quem morem an-

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

EXCOMMUNICATIONEM CUSTODIAT. Si verò sententiam, quam injustam allegabat damnatus, ante absolutionem à superiori judice impetratam servare neglexisset, in contumaciæ pœnam Excommunicationi exilium Regali judicio addendum erat: *Quòd si aliquis ista omnia contempserit, & Episcopus emendare minimè potuerit, Regis judicio exilio condemnetur*. Ex Synodo Quintilineburgensi anno 1085. sub Gregorio Papâ VII. celebratâ ejusmodi statutum Bertholdus refert: *Ut quicumque Episcopo suo nec officio, nec communione privato excommunicatus esset*, ETSI INJUSTE, NULLATENUS TAMEN RECIPERETUR AD COMMUNIONEM; *nisi absolutus Ecclesiastico more* [A].

(A) *Extat apud Coriol. in Summ. Concil. pag. 477. aliosque collect.*

Antiquo Canonum juri novum Decretalium jus examussim respondet. Id palam fiet si Cap. *Per tuas* 40. de Sentent. Excomm. expendamus. In cujus intelligentiâ cùm graviter Glossa [B], ut nobis quidem videtur, decepta esset, doctos etiam plerosque viros in errorem adduxit. Ex hoc enim Capitulo astruit, sententiam Pastoris timendam esse, *nisi in duobus casibus, scilicet cùm sententia est post appellationem lata, & cùm continet errorem intolerabilem*, dum in eo prorsus oppositum luculentissimè determinatur. Discrimen inter sententiam, quæ ut patenter nulla proponitur, aut quòd lata sit post interpositum appellationis remedium, aut intolerabilem errorem contineat: Et sententiam dubiè nullam, vel injustam designaturus Innocentius III., pensitatis Alexandri III. Decretali, jam adducto Sardicensi Canone, necnon aliorum placitis, reque diù apud se variè diligenterque di-

(B) *In cit. Can.* Sen*tentia in princip.*

discussâ, *Nos*, ait, *credimus distinguendum*, *utrùm proponat se* POST APPELLATIONEM LEGITIME INTERPOSITAM *Excommunicatione notatum*, *vel in formâ Excommunicationis* INTOLERABILEM ERROREM FUISSE PATENTER *expressum*; *in quibus casibus ad probationem eorum*, *etiamsi absolutionem non petat*, *debet admitti*: SED DONEC *de ipsis constiterit*, IN ALIIS EVITARI DEBET, *quanquam Apostolica Sedes* ETIAM TALES *consueverit absolvere ad cautelam*. *Verùm* IN ALIIS *nisi gratiam absolutionis imploret*, NON DEBET AUDIRI, *ne sententiam Ecclesiasticam contemnere* VIDEATUR, *& propter hoc* AMPLIUS *in suo contemptu* LIGETUR.

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

Differentia ergo inter unam alteramque speciem non se tenet ex parte obligationis custodiendæ censuræ, & excommunicatum vitandi: Etenim etiam, *qui proponit*, *se* POST APPELLATIONEM LEGITIME INTERPOSITAM *Excommunicatione notatum*, *vel in formâ Excommunicationis* INTOLERABILEM ERROREM *fuisse* PATENTER *expressum*, DONEC *de ipsis constiterit*, nempe coram appellationis judice, IN ALIIS, quæ scilicet ad judicium prosequendum non pertinent, EVITARI DEBET; sed se tenet ex parte absolutionis *ad cautelam*, sive ad finem audiendi; quæ in secundâ specie, nimirum cùm à sententiâ injustâ, vel dubiè nullâ provocatur, nullo pacto prætermitti potest: *Verùm* IN ALIIS, *nisi gratiam absolutionis imploret*, NON DEBET AUDIRI. In primâ autem liberum appellanti est vel petere, vel prætermittere: *Ad probationem eorum*, *etiamsi absolutionem non petat*, *debet admitti*. Licèt aliàs sit Romanæ Ecclesiæ usus: *Etiam tales consueverit absolvere ad cautelam*. Quem morem anti-

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

(A) In cit. Cap. Pertuas.

(B) Ex Gelas. epist. 4 cap. 4.

(C) Ejusd. epist. 15. cap. 5.

tiquissimum aliis etiam Ecclesiis, ac juxta Conciliorum statuta esse, ex Chalcedonensi signanter, atque Agathensi Alteserra[A] ostendit. Si præmissis contraria alii doceant, id tantummodò cum Gelasio respondemus: *Viderint ergo si alios habent Canones* [B]. *Ecce interim in his causa vestra nutat, & labitur; &, si hæc sola sunt, prorsus tota subruitur* [C].

Gravior quidem Ecclesiasticæ potestatis contemptus & injuria est, cùm secularis Magistratus de censurarum justitiâ ac firmitate sibi cognitionem arrogat, ac tali prætextu earumdem observantiam impedire. Quantùm autem id Sacri Canones detestentur, ex Can. 11. caus. 25. quæst. 1. intelligere est: *Generali decreto censemus & constituimus, ut execrandum anathema sit, & velut prævaricator fidei Catholicæ semper apud Deum reus existat, quicumque Regum, seu Episcoporum, vel potentium deinceps Romanorum Pontificum decretorum censuram in quoquam crediderit, vel permiserit violandam.* Vavrense Concilium[D] cavit, ut *de Excommunicationis, suspensionis,* VEL INTERDICTI *sententiis, scilicet an* JUSTE LATÆ FUERINT, VEL INJUSTE laici judices *se nullatenus intromitterent*: idque sub anathematis pœnâ. Idipsum *cuilibet seculari Magistratui* vetitum à Tridentino[E], eò quod *non ad seculares, sed Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat.*

(D) Cap. 36.

(E) Sess. 25. de reformat. cap. 3.

Cùm Interdicto subjecta esset Bellovacensis Ecclesia, Rege injustam ejusmodi sententiam prætendente, nihil mali non est intentatum Ecclesiasticis, nisi à censurâ servandâ desisterent, nihil non infli-

ctum,

ctum, quòd renuerent imperterriti. Ad quos consolatorias scribens Yvo[A], synceriâ quidem charitate eorum afflictionis commiserescit; at ob oculos item ponit, quantum nefas esset, si Ecclesiastici Ecclesiastico judicio relicto seculare sequerentur: honorem Ecclesiæ & libertatem, justitiam contutandi obligationem commemorat: à malis, quæ sequerentur, à rei ipsius turpitudine, à dedecoris notâ in eos pariter, & eorum Ecclesiam manaturâ hortatur, aliisque fortissimis aculeis urget, ne se è proposito & constantiâ removeri paterentur.

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

(A) Epist. 163.

„ Recitatâ, inquit, in medium vestræ calamitatis epistolâ, nobis ex materiâ literarum materies orta est lacrymarum; siccis enim oculis legere non potuimus exilium vestrum, infestationes Burgensium, domorum spoliationem, terrarum invasionem: in quibus omnibus fuit IMPETUS NON RATIO, & prævaluit æmula Clericorum laicalis præsumptio. CESSARE QUIDEM A DIVINIS JUSTE VEL INJUSTE QUID AD REGEM PERTINEAT, NON VIDEMUS: Excessus enim Clericorum, si contigerit, NON EST VINDICANDUS POTESTATE SECULARI; SED CANONICO JUDICIO PUNIENDUS EST, ET CENSURA EPISCOPALI . . . Vos ergo fratres Carissimi, quia scriptum est: *Beati qui persequutionem patiuntur propter justitiam*, nolite turbari, nolite terreri: Deus enim, in cujus conspectu intrat gemitus compeditorum, Ecclesiam suam etsi tribulari permittat, tamen non dimittit. Videte igitur Carissimi, videte ne pro amissione rerum vestrarum... deficiatis. Amor enim pecunię parit

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

Nunquid enim misit, quæsivit, expetiit, & abjectus est? En ergo quid agere debet, ut solvatur. Ex his tamen reliquũ Canonis perperam fortè confictũ. Romanorum Censorũ obelum, dum Gratiani expurgationẽ accurarent, depravatus locus hìc minimè effugit.

Ea autem opinio erat, cui succinuit Bellarminus, sententiam injustam tantùm & timendam, & servandam esse: *Invalidam verò, & nullam nihil aliud operari in foro interiori, neque exteriori, quàm quòd obliget excommunicatum ad servandam eam quoad populus sibi persuadeat causas nullitatis:* Quâ in re Navarrum [A], & Sylvestrum [B] sequutus est. Ex eo itaque servandæ censuræ obligationem derivabat, vel quia sententia, etsi in judiciarii ordinis apicibus deficiat, *gravet tamen apud Deum, & ejus Ecclesiam*; ut Pseudo-Gelasius volebat: vel quia scandalum evitare oporteat. Nil faciliùs quàm quòd utrumque obicem sibi quisque superasse videatur, si nullitatis sententiam arguat, si nullitatis capita in vulgus spargat; neque enim perpetuò vigebit juxta Navarrum vitandi scandali ratio: *Sed quoad populus sibi persuadeat causas nullitatis.* Verùm in contrarium stat solidissimis innixa fundamentis Patrum, ac Canonum regula, quæ sententiam sive justam, sive injustam, *aut ob culpam, aut sine culpâ* observari jubet: atque Excommunicationis custodiendę necessitatem astruit, non ex eo tantùm, quòd apud Deum gravet (hoc enim pacto sublata jam esset vulgatissima distinctio sententiæ quoad utrumque forum, & quoad externum tantùm obligantis) non ex temporaneâ, &

(A) *In manual. cap. 27. num. 3.*

(B) *Verb.* Excômunicatio 2. *n.* 1.

& generali eâ ratione, ne proximo offendiculum præbeatur: sed à perpetuo illo stabilique principio, Divinæ nimirum sapientiæ & institutionis esse, ut sint & qui præsint, & qui subsint: eos, qui præsunt, ab iis, qui subsunt, non dijudicari oportere: institutas esse censuras, ut efficaciter medicinales sint: tales autem nequaquam futuras, si hæc claustra perrumpantur: Quemcumque contumacem, atque illum præsertim, qui eas subtiliùs discutiens violandas putaverit, Ecclesiasticis censuris dignum se probare. *Arma militiæ nostræ*, inquit Paulus [A], *non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum*, CONSILIA *destruentes*, *& omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, & in captivitatem redigentes* OMNEM INTELLECTUM *in obsequium Christi*, *& in promptu habentes ulcisci* OMNEM INOBEDIENTIAM. Quæ verba Basilius [B] expositurus. „ Attendere, ait, operæ pretium est, indi-„ gnatio illa quanta sit, quâ eadem Divina Scri-„ ptura adversùs illos utatur, qui SACERDOTIS di-„ cto, aut JUDICIS audientes non fuerint: *Qui autem*, „ inquit, *fecerit in manu superbiam nolens obedire* „ *Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Do-* „ *mino Deo tuo, vel judici, qui fuerit in diebus illis*, „ *morietur homo ille*, *& auferes malum de medio* „ *Israel, cunctusque populus audiens timebit*; *& non* „ *agent ampliùs impiè*. Ex quibus verbis facile est „ intelligere, quàm vehementer nos solicitos esse, „ quantòque opere exhorrescere. Et *in captivitatem*, „ inquit, *redigentes omnem intellectum in obsequium* „ *Christi*: omnem intellectum, non hunc, aut illum.

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

(A) 2. Corinth. 10. v.4. & seqq.

(B) De judicio Dei pag. mihi 400., & 401. tom. 2.

&

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

„ Et *in promptu habentes ulcisci*; & hoc in loco etiam, „ non hanc, aut illam, sed omnem inobedientiam.

Vera nihilominùs in aliquo sensu Bellarmini, & aliorum opinio esse potest, invalidam videlicet sententiam servandam non esse, si de eâ intelligatur, quæ ex defectu jurisdictionis, aut potestatis invalida sit. De *Prælati*, de *pastoris*, atque eius *qui præest* sententiâ, & in eum *qui subest* latâ, Gregorius loquitur, cùm injustam etiam servandam docet. Cæterùm si talis non sit qui ligat, & quem ligare præsumat, impune non parebitur. Quæ tamen exceptio neutiquam afficere queat sententias Pontificiâ prolatas authoritate, non rerum, non personarum, non denique locorum limitibus circumscriptâ.

Sed, ut nihil involutum relinquamus, in ejusmodi quoque censuris ex defectu potestatis, ac jurisdictionis nullis distinctio adhibenda est. Aliquando, nedum infirma & invalida, sed adeò etiam temeraria, injuriosa, atque impia censura esse potest, ut eam contemnere, & aversari ad religionem pertineat. Exemplum esse poterit anathema, quod Leoni Magno Dioscorus dixit, *nova & inauditâ priùs atque incredibili audaciâ inferre contra suum caput molitus injuriam* [A]. Ad idem genus spectant inanes *execrationes*, quibus factiosi hæretici orthodoxos impetebant, ac persequebantur, *vel propter Catholicę Ecclesię confessionem, vel propter veritatis defensionem*. De quâ sanè re agens Sardicensis Canon [B], *Durum est*, ait, *atque adeò gravissimum, eum, qui injustam ejectionem passus est, à nobis non*

(A) *Leo epist. 93. Theodorito Episcopo Cyri. cap. 3. aliàs epist. 63.*

(B) *Nempe 17. juxta interpret. Gétian. Herræ.*

non suscipi. Aliquando verò quantumvis irrita, & à non habente jurisdictionem irrogata censura sit, excellentioris tamen pietatis erit non contemnere, sed revereri. Hùc spectat quod de Theodosio juniore aliàs attigimus, quodque narrans Theodoretus [A] in summam Cæsareæ pietatis laudem vertit: *Vir quidam*, ait, *vitam excolens monasticam animo paulò audaciore præditus ad Imperatorem rei cujusdam petendæ gratiâ accedit. Quod cùm sæpiùs frustrà fecisset, Imperatori Ecclesiasticâ interdicit communione, vinculoque Ecclesiæ ei injecto decedit. Imperator autem fide cum primis excellens, ad palatium cùm tempus instaret convivii, & omnes convivæ adessent, dixit, se non priùs capturum cibum, quàm Ecclesiæ vinculo solveretur. Proinde unum ex familiaribus ad Episcopum mittit oratum, ut potestatem faciat ei, qui ipsum ligaverat, vinculo solvendi. Cùm autem Episcopus respondisset*, NON DEBERE CUJUSQUE VINCULUM ADMITTERE, *significassetque*, EUM SOLUTUM ESSE; *non tamen solutione illâ contentus est, donec ille, qui eum ligaverat, magno cum labore conquisitus, communioni illum restituisset. Ejusmodi nanque erat Imperatoris erga leges divinas fides*. Sed idololatrię suspectus, immo compertus omnino reus Theodosius habeatur oportet à nostris Theologis & Canonistis, qui in Navarri [B] verba jurantes perinde esse, generaliter affirmant, censuram nullam timere, ac falso Numini cultum præbere.

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

(A) *Lib.5. cap.36.*

(B) *In cap.* Cùm contingat *remed. 2. n.23.*

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

§. 2.

Gregorii Canon aliis Canonum decretis, ac testimoniis comprobatur.

De Excommunicatione absque sufficienti causâ inflictâ, quæ propterea nulla esse queat, differens Origenes [A], judicium ipse suum proferre non audet, & ne ab aliis feratur monet, an liget coram Deo, vel secus: *Deus scit*, inquit; *nos autem pronunciare non possumus secundùm quod scriptum est*:,, Nolite judicare &c.,, sed sententiam servandam omninò docet: *Qui ergo in peccato* LEVI *correptus ... non se emendat, nos quidem sic eum* DEBEMUS *habere quasi ethnicum & publicanum, abstinentes ab eo, ut confundatur*.

(A) *Tractat. 6. in Matth.*

Anathemate innocenter, adeòque sententiâ nullâ innodatis cùm præsidium parare voluissent Patres Sardicenses [B], aditum illis ad comprovinciales Episcopos reserarunt: *Providendum est, ne* INNOCENS *damnetur, aut perdat communionem; & ideo habeat potestatem is, qui abjectus est, ut Episcopos finitimos interpellet, & causa ejus audiatur*: Eâ tamen conditione, ut quamvis injustè, & absque causâ se damnatum allegaret, interim abstineretur: *Ille Episcopus, qui* AUT JUSTE, AUT INJUSTE *eum abjecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur ... tamen priusquam omnia diligenter & fideliter examinentur, eum qui fuerit à communione separatus*, ANTE COGNITIONEM NULLUS ALIUS DEBET PRÆSUMERE, UT COMMUNIONI SOCIET.

(B) *Canon. 17. juxta interpret. Dionys. Exig., apud Gratian. Can.* Si Episcopus forte 11. q. 3.

Ni-

Nicænum Concilium [A] Sardicensi exemplum præbuerat, ut priùs etiam Antiocheno [B]. Quorum deinde statuta Agathense sub initium VI. seculi imitatum est [C]: Ut damnatis aut minimâ, aut etiam nullâ ex causâ opitularetur Concilium, primùm jubet, ut *Episcopi*, qui *Sacerdotali moderatione postpositâ* INNOCENTES, *aut* MINIMIS CAUSIS *culpabiles excommunicare præsumpserint, aut ad gratiam festinantes recipere fortasse noluerint, à vicinis Episcopis cujuslibet Provinciæ literis moneantur*. Postmodum verò, si monitio non profuisset, temporaneam communionem (quam ex novo jure absolutionem cum reincidentiâ nuncuparemus) ab iisdem finitimis Episcopis indulgendam fore usque ad Synodi congregandæ tempus; in quâ causa firmiùs discuteretur, ne interim anathemate devinctos in eo mori contingeret: *Etsi parere noluerint* (Episcopi) *communio illis* (idest excommunicatis) USQUE AD TEMPUS SYNODI *à reliquis Episcopis non denegetur, ne fortè propter excommunicatoris peccatum excommunicati longo tempore morte præveniantur*. Adeò persuasissimum erat, sententiam etiam nullam servari debere, nisi Ecclesiasticâ authoritate remitteretur.

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

(A) *Can.5., apud Gratian. Can.* Serventur ista sententia *ibid.*

(B) *Can.6., apud Gratian. Can.* Si quis à proprio *ibid.*

(C) *Cap.3., apud Gratian. Can.* Episcopi si Sacerdotali *ibid.*

Astipulatur recentius Vernense Concilium [D]. At ubi antiquiora Provinciæ Episcopos aut Synodum indicarant, hoc Metropolitam adeundi copiam facit: *Quod si quis se reclamaverit, quòd* INJUSTE *sit excommunicatus, licentiam habeat ad Metropolitanum Episcopum venire, & ibidem secundùm Canonicam institutionem dijudicetur*: INTERIM SUAM

(D) *Can.9.*

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

Excommunicationem custodiat. Si verò sententiam, quam injustam allegabat damnatus, ante absolutionem à superiori judice impetratam servare neglexisset, in contumaciæ pœnam Excommunicationi exilium Regali judicio addendum erat: *Quòd si aliquis ista omnia contempserit, & Episcopus emendare minimè potuerit, Regis judicio exilio condemnetur*. Ex Synodo Quintilineburgensi anno 1085. sub Gregorio Papâ VII. celebratâ ejusmodi statutum Bertholdus refert: *Ut quicumque Episcopo suo nec officio, nec communione privato excommunicatus esset*, ETSI INJUSTE, NULLATENUS TAMEN RECIPERETUR AD COMMUNIONEM; *nisi absolutus Ecclesiastico more* [A].

(A) Extat apud Coriol. in Summ. Concil. pag. 477., aliosque collect.

Antiquo Canonum juri novum Decretalium jus examussim respondet. Id palam fiet si Cap. *Per tuas* 40. de Sentent. Excomm. expendamus. In cujus intelligentiâ cùm graviter Glossa [B], ut nobis quidem videtur, decepta esset, doctos etiam plerosque viros in errorem adduxit. Ex hoc enim Capitulo astruit, sententiam Pastoris timendam esse, *nisi in duobus casibus, scilicet cùm sententia est post appellationem lata, & cùm continet errorem intolerabilem*, dum in eo prorsus oppositum luculentissimè determinatur. Discrimen inter sententiam, quæ ut patenter nulla proponitur, aut quòd lata sit post interpositum appellationis remedium, aut intolerabilem errorem contineat: Et sententiam dubiè nullam, vel injustam designaturus Innocentius III., pensitatis Alexandri III. Decretali, jam adducto Sardicensi Canone, necnon aliorum placitis, reque diù apud se variè diligenterque di-

(B) In cit. Can. Sententia in princip.

discussâ, *Nos*, ait, *credimus distinguendum*, *utrùm proponat se* POST APPELLATIONEM LEGITIME INTERPOSITAM *Excommunicatione notatum*, *vel in formâ Excommunicationis* INTOLERABILEM ERROREM FUISSE PATENTER *expressum*; *in quibus casibus ad probationem eorum*, *etiamsi absolutionem non petat*, *debet admitti*: SED DONEC *de ipsis constiterit*, IN ALIIS EVITARI DEBET, *quanquam Apostolica Sedes* ETIAM TALES *consueverit absolvere ad cautelam*. *Verùm* IN ALIIS *nisi gratiam absolutionis imploret*, NON DEBET AUDIRI, *ne sententiam Ecclesiasticam contemnere* VIDEATUR, *& propter hoc* AMPLIUS *in suo contemptu* LIGETUR.

Differentia ergo inter unam alteramque speciem non se tenet ex parte obligationis custodiendæ censuræ, & excommunicatum vitandi: Etenim etiam, *qui proponit*, *se* POST APPELLATIONEM LEGITIME INTERPOSITAM *Excommunicatione notatum*, *vel in formâ Excommunicationis* INTOLERABILEM ERROREM *fuisse* PATENTER *expressum*, DONEC *de ipsis constiterit*, nempe coram appellationis judice, IN ALIIS, quæ scilicet ad judicium prosequendum non pertinent, EVITARI DEBET; sed se tenet ex parte absolutionis *ad cautelam*, sive ad finem audiendi; quæ in secundâ specie, nimirum cùm à sententiâ injustâ, vel dubiè nullâ provocatur, nullo pacto prætermitti potest: *Verùm* IN ALIIS, *nisi gratiam absolutionis imploret*, NON DEBET AUDIRI. In primâ autem liberum appellanti est vel petere, vel prætermittere: *Ad probationem eorum*, *etiamsi absolutionem non petat*, *debet admitti*. Licèt aliàs sit Romanæ Ecclesiæ usus: *Etiam tales consueverit absolvere ad cautelam*. Quem morem an-

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

tiquissimum aliis etiam Ecclesiis, ac juxta Conciliorum statuta esse, ex Chalcedonensi signanter, atque Agathensi Alteserra[A] ostendit. Si præmissis contraria alii doceant, id tantummodò cum Gelasio respondemus: *Viderint ergo si alios habent Canones* [B]. *Ecce interim in his causa vestra nutat, & labitur; &, si hæc sola sunt, prorsus tota subruitur* [C].

(A) *In cit. Cap. Per tuas.*

(B) *Ex Gelas. epist. 4 cap. 4.*

(C) *Ejusd. epist. 15. cap. 5.*

Gravior quidem Ecclesiasticæ potestatis contemptus & injuria est, cùm secularis Magistratus de censurarum justitiâ ac firmitate sibi cognitionem arrogat, ac tali prætextu earumdem observantiam impedire. Quantùm autem id Sacri Canones detestentur, ex Can. 11. caus. 25. quæst. 1. intelligere est: *Generali decreto censemus & constituimus, ut execrandum anathema sit, & velut prævaricator fidei Catholicæ semper apud Deum reus existat, quicumque Regum, seu Episcoporum, vel potentium deinceps Romanorum Pontificum decretorum censuram in quoquam crediderit, vel permiserit violandam*. Vavrense Concilium [D] cavit, ut *de Excommunicationis, suspensionis,* VEL INTERDICTI *sententiis, scilicet an* JUSTE LATÆ FUERINT, VEL INJUSTE laici judices *se nullatenus intromitterent*: idque sub anathematis pœnâ. Idipsum *cuilibet seculari Magistratui* vetitum à Tridentino [E], eò quod *non ad seculares, sed Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat*.

(D) *Cap. 36.*

(E) *Sess. 25. de reformat. cap. 3.*

Cùm Interdicto subjecta esset Bellovacensis Ecclesia, Rege injustam ejusmodi sententiam prætendente, nihil mali non est intentatum Ecclesiasticis, nisi à censurâ servandâ desisterent, nihil non inflictum,

ctum, quòd renuerent imperterriti. Ad quos consolatorias scribens Yvo[A], syncerâ quidem charitate eorum afflictionis commiserescit; at ob oculos item ponit, quantum nefas esset, si Ecclesiastici Ecclesiastico judicio relicto seculare sequerentur: honorem Ecclesiæ & libertatem, justitiam contutandi obligationem commemorat: à malis, quæ sequerentur, à rei ipsius turpitudine, à dedecoris notâ in eos pariter, & eorum Ecclesiam manaturâ hortatur, aliisque fortissimis aculeis urget, ne se è proposito & constantiâ removeri paterentur.

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

(A) Epist. 263.

„ Recitatâ, inquit, in medium vestræ cala-
„ mitatis epistolâ, nobis ex materiâ literarum ma-
„ teries orta est lacrymarum; siccis enim oculis
„ legere non potuimus exilium vestrum, infesta-
„ tiones Burgensium, domorum spoliationem,
„ terrarum invasionem: in quibus omnibus fuit
„ IMPETUS NON RATIO, & prævaluit æmula Cleri-
„ corum laicalis præsumptio. CESSARE QUIDEM A
„ DIVINIS JUSTE VEL INJUSTE QUID AD REGEM PERTI-
„ NEAT, NON VIDEMUS: Excessus enim Clericorum,
„ si contigerit, NON EST VINDICANDUS POTESTATE SE-
„ CULARI; SED CANONICO JUDICIO PUNIENDUS EST, ET
„ CENSURA EPISCOPALI . . . Vos ergo fratres Ca-
„ rissimi, quia scriptum est: *Beati qui persequutio-*
„ *nem patiuntur propter justitiam*, nolite turbari,
„ nolite terreri: Deus enim, in cujus conspectu in-
„ trat genitus compeditorum, Ecclesiam suam etsi
„ tribulari permittat, tamen non dimittit. Videte
„ igitur Carissimi, videte ne pro amissione rerum
„ vestrarum . . . deficiatis. Amor enim pecunię pa-

rit

Pastoris sententia sive justa, sive injusta servanda.

„ rit defectum, defectus opprobrium: quod nullatenus evadere potestis, si laicorum pedibus colla „ supponatis. Et si honor Ecclesiæ per vos periclitatur, si rigor justitiæ per vos adnihilatur, exemplum erit omnibus quidem vobis dedecorosum, „ aliquibus verò periculosum. Absit autem, ut „ Ecclesia Beluacensis[A], quę floruit inter alias, tanti „ dedecoris notâ decoloretur. Absit, ut libertas „ Ecclesiæ per vos in servitutem redigatur „.

(A) Sic vocat.

Epistolam, quam ad Bellovacenses Clericos dedit Yvo; eam nos ad clarissimos Catanensis, Agrigentinæ, ac Liparensis Diœceseon Ecclesiasticos, qui se fortes ac obedientes gessere, datam velimus, ut magis magisque in sancto proposito confirmentur; & qui jam feliciter in stadio currunt, ad referendi bravii gloriam alacriùs cursum intendant; atque hoc malorum, quæ tulerunt & fortè ferunt, qualecumquè levamen accipiant, non levę quidem futurum viris veræ laudis amantibus, quibusque nulla gratior consolatio, quàm quæ à rectè factorum conscientiâ, & virtute incontaminatâ proveniat.

CA-

CAPUT III.

Sicularum Cenſurarum firmitas aſſeritur, & juſtitia.

TAMETSI notæ nimium, & dolendum ſanè quàm graves, atque ex Canonum præſcriptis ſufficientes cauſæ fuerint; propter quas Siculæ cenſuræ latæ ſunt; nec verò quicquam tranſgreſſoribus proſit earumdem juſtitiam ac firmitatem inficiari juxta jam dicta: cùm nihilominus, ut Adverſariorum inſtantiæ ſatisfaceremus, ad exceptiones, quas ipſi opponunt, diſcutiendas ventum, ægrè quidem à verbis rem, & à clamoſis querelis querelarum capita diſcernere licuit. Unum quidem videtur eſſe, quòd literæ Apoſtolicæ, quibus cenſuræ continebantur, abſque Regio decreto & permiſſione promulgatæ in Siciliâ fuerint. Multa de hujuſmodi Regii decreti, quod *Exequatur*, quod *Placet*, aut *Vidimus* pro locorum diverſitate dici conſuevit, neceſſariâ ad eum effectum impetratione aſſeveranter differunt. Quantùm autem præſtitiſſet de ratione componendæ controverſiæ jam exortæ cogitare, quàm novarum contentionum ſemina intempeſtivè ſpargere. Poſſemus quidem reſpondere, quod in re ſimili Mathildi Imperatrici Nicolaus de Monte Rotomagenſi [A] reſpondit, videlicet: *Dic Eccleſiæ*, non *Dic Regi* Chriſtum Dominum præcepiſſe, cùm de ferendâ Excommunicatione negotium eſſet. Poſſemus

(A) *Epiſt. 53. lib. 1. inter eas D. Thomæ.*

Sicularum Censurarum firmitas asseritur, & justitia.

ſemus ad laica archiva, & ſeculares leges provocare. Dum Leonis Magni ſententia *de Epiſcoporum ordinationibus* per Gallias intimanda erat, ut faciliùs contradictores in officio contineret, illius promulgationi imperiale decretum coaddi Pontifex Valentinianum III. expoſtulavit. Obſequenter Imperator annuit, ſed diſertiſſimè teſtatus, authoritatem ſuam ſupervacaneè omninò in eo negotio impertitam: *Et erat quidem ipſa ſententia per Gallias* ETIAM SINE IMPERIALI SANCTIONE VALITURA: QUID ENIM TANTI PONTIFICIS AUTHORITATI IN ECCLESIAS NON LICERET [A]?

(A) *Cit. Novell.*

Sed nobis ad aliena divertere minimè libet. Non alio quidē putamus in caſu minùs opportunè Regium *Exequatur* prætexeretur, quam iſto: Nam præterquamquòd universa per modum legis præcepta, minimè, ut obligent, neceſsè eſt in locis, ubi ſubditi degunt, notificari; cùm Principum etiam conſtitutiones vim legis habeant, poſtquam in Senatu fuerint promulgatæ [B]; unde tradit Sidonius [C] conſtitutionem in Galliâ de præſcriptione tricennii, non alibi perquiritatam, ut decemviraliter ait; quàm apud Prætoris Tribunal: Præterea de Interdicto ſpecialiter id ſtatutum eſt in Cap. *Ad hæc* 1. de poſtulat. Prelat.: *Nec ſufficit*, ait ibi Pontifex, *immo nec proficit ad excuſationem prædicti Epiſcopi* (per ejus nempe Diœceſim Interdictum non fuiſſe intimatum, nec ei per literas ad notitiam deductum) *cùm Cardinalis . . . . ſolemniter, & publicè promulgavit; & eadem Interdicti ſententia in Regno Francorum jam multis publicè cœperit obſervari; nec ſit*

(B) *L. Humanum 8. Cod. de leg.*

(C) *Lib. 8. epiſt. 6.*

sit necessarium, cùm constitutio solemniter editur aut publicè promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum vel literas inculcare: sed id solum sufficit, ut ad ejus observantiam teneatur, quòd noverit eam solemniter editam aut publicè promulgatam. Idem ex Can. *Quod dicitis* 16. dist. D. Antoninus[A] probat. Alia autem ratio reddi potest. Demus, Interdictum promulgandum esse ibidem quò fertur, ut obliget; aut Regium *Exequatur* obtinendum, ut promulgetur; quo in Regno, in cujus unquam Principis ditione locus erit, qui Pontificiâ sententiâ Sacris privari possit? Bordonus ipse[B], Theologus Adversariis benè notus hæc indicasset.

Siculárum Censurarum firmitas asseritur, & justitia.

(A) *Summ. 3. part. tit. 27. de Interd. cap. 5.*

(B) *Inter decis. miscell. dec. 37. t. 4.*

Rem aliàs à suâ origine repetentes, „ Quis „ credat? obstrepunt: vile legumen à Liparensis „ Episcopi procuratore per laicos officiales exa- „ ctum tot turbas, tot effecit dissidia „. Utrùm vobis libuit, Theologi Canonistæ, jocarinè, an nullitatum Interdicti capita designare? De damno Episcopali mensæ irrogato, an verò de injuriâ immunitati Ecclesiasticæ inflictâ ea prima fuit controversia? Si de hoc secundo, cur vile legumen memoratis, & non potiùs inauditam laicorum officialium audaciam, qui Episcopum præsumpserant facere vectigalem?

Si de re tam exigui valoris agebatur, cur officiales restituere contumaciter renuerunt? QUALIBET CONTUMACIA, inquit Glossa[C], *digna est Excommunicatione*: IMMÒ TANTÒ MAJOR *videtur contumacia*, QUANTÒ EX RE MINORI *consurgit*. Qui censuras ex ejusmodi causis, quæ leviores videantur, con-

(C) *In cit. Can. Duo sunt 98. dist.*

tem-

Sicularum Censurarum firmitas asseritur, & justitia.

temnendas credat, ad Ananiæ & Saphiræ casum animum advertat; quos mendacii convictos excommunicans Sanctus Petrus, morte, non spiritualiter, sed ut verba sonant, affecit [A]. Quâ de re Basilius [B]: *Quid verò Ananias*, ait, *cujus historiam scriptam in Actis legimus? Quid? nunquid ille quoque aliud fecisse maleficium reperitur, præter id unum, propter quod acerbè adeò multatus est? Ubi igitur apparet gravem adeò pœnam fuisse illum commeritum? Prædium suum vendiderat, precium attulerat, idque ante Apostolorum pedes statuerat: attamen quòd partem de eo clam malitiosè compilasset, propterea eodem ipso tempore unà cum uxore morte afficitur, non dignus habitus, qui de agendâ ob admissum peccatum pœnitentiâ quicquam audiret: non qui spatii saltem tantum nancisceretur, per quod vel leviter animo indoleret & compungeretur: non qui moram denique ad seipsum redeundi ullam inveniret.*

(A) *Act. 5. Vid. Morin. exercitat. Ecclesiast. lib. 2. exercit. 29.*

(B) *De judic. Dei loc. cit.*

Cavendum sanè est ne à levibus initiis ad finem quo nolueris perveniatur: *Parva sæpe scintilla*, ait Historicus, *magnum excitavit incendium*. Sed videndum in præsenti, quis escam ab initio, & deinceps inde assiduè suffecit, ut latè flamma pervaderet. Quo jure, seu potiùs quantâ injuriâ prætensæ Monarchiæ judex, à cujus arroganti jurisdictione libera illuc usque, & imperturbata Diœcesis Liparensis quieverat, ejusdem Episcopum, ejusque ministros concutere ac divexare aggressus est, & memoratis excommunicatis absolutionem, tametsi Summo Pontifici reservatam, impertiri ausus: quæ cum Apostolicâ authoritate nul-

Sicularum Censurarum firmitas asseritur, & justitia.

nullius momenti pronuntiata esset, iterumque illi vitandi denuntiati, insolentissimum Panormitanum Canonicum Liparam misit; qui eisdem excommunicatis accitis coram ipsis Divina publicè celebraret? Qui Parochum, qui tot Sacerdotes ac Clericos à censuræ observantiâ intentatis malis deterreret; qui etiam intentata ad effectum perduceret: deinde Episcopali palatio obsesso universam Præsulis familiam dirissimè affligeret, in Vicarium ipsum generalem violentas manus iniiceret, ejusque domum bonis omnibus expilaret? Longum nimis esset recensere, ut in deteriora posthac semper ruerit impetus præsumptionis; quali temeritate, ac contumaciâ obstitum sit Sacræ Congregationis literis ex ipsius Summi Pontificis mandato ad Siciliæ Prælatos scriptis, quibus modus aliquis tantummodò enormioribus prædicti Tribunalis excessibus ponebatur; quàm malè habiti fuerint, qui constantes in officio stetere Præsules, suis subinde sedibus totoque Regno exturbati, fisco Ecclesiarum reditus occupante: Quanta denique, ob Interdicta in expulsorum Diœceses ex Canonum decretis evibrata, suborta fuerit procella, quæ nec Sanctimonialibus ipsis pepercit; quæ adeò secularis, ac Regularis Cleri statum deformavit (quòd juxta Divina præcepta Summo Ecclesiæ Capiti, ac Episcopis suis obtemperarent) ut modis omnibus evertendum funditùs Ecclesiasticum ordinem in Siciliâ constitutum videri potuerit, aliis in exilium abactis, aliis in carceres detrusis, aliis aliter afflictatis. Cur ejusmodi alia-

Siculorum Censurarum firmitas asseritur, & justitia.

que gravissima mala à Magistratu Siculo admissa, quorum jampridem ingenti scandalo conjunctus rumor longè lateque personuit, alto silentio obruantur, exacti tantùm leguminis mentione factâ, dum Siculi Interdicti causa fuerat proponenda?

„ At irreprehensa est, subdunt, Episcoporum expulsio; non temerè facta est, qualem Interdicto ulciscendam Sacri Canones voluere: „ Non quòd Ecclesiasticam tuerentur immunitatem, sed tamquam publicæ pacis perturbatores „ abacti sunt „. Quid ad hæc inverecunda commenta, & insignes calumnias respondendum erit? *Proh nefas*, dicam cum Hieronymo [A], *non possum ultrà progredi: prorumpunt lacrymę antequam verba, & indignatione pariter ac dolore in ipso meatu faucium spiritus coarctatur. Ubi mare illud eloquentiæ Tullianæ? Ubi torrens fluvius Demosthenis? Nunc profectò muti essetis ambo, & vestra lingua torpesceret. Inventa est res quam nulla eloquentia explicare queat.*

(A) Epist. 93. aliàs 48. ad Sabinianum.

Sed jam novimus crimen, quod ipsi obiiciunt; quod in Episcopo exilio, & ignominiosâ proscriptione jure plectatur: minimè tamen illud erat ab Ecclesiasticæ immunitatis tuitione distinguendum; cùm hæc duo unum omninò idemque temporum nequitiâ sint. Turbas nimirum excitare est ad nova adversùs Ecclesiam molimina non obmutuisse; ob incussas à laicâ Potestate minas Apostolicæ Sedi obedientiam, ut jussa ferebant, non denegasse; à pastorali munere non destitisse. Quod non satis intelligebamus, clarissimus Christi Martyr Thomas Cantuariensis [B] aperuit: *Si quis*, inquit,

(B) Epist. 56. lib. 1.

Legis

Legis defensor est, Regis censetur inimicus. Disperguntur, proscripti sumus. Crimen nostrum est assertio Ecclesiasticæ libertatis. Eam namque profiteri læsæ Majestatis reatus .... est. Ille enim solus fidelis creditur, cui Religionis contemptus placet, qui Divinam persequitur Legem, cui grata est contumelia Sacerdotum.

Sicularum Censurarum firmitas asseritur, & justitia.

Satius erit, quàm ad hæc respondere, improbam temporum conditionem, versamque rerum vicem deplorare, ac tantæ Episcopalis dignitatis depressioni cum Sorbonico Theologo[A] illacrymari: *Quid ergo*, ait, *egere Patres antiqui, dum generosâ adhortatione Præsulum animos firmarent, dum adversùs ignes, incendia, tormenta obiiciendum dicerent constantiæ munimentum, dum milites etiam ac tyrones recèns adscriptos gradum movere sine dedecoris notâ non paterentur? Quid*, inquam, *egere, si nunc Christiani Ducum suorum constantiam accusant, si firmitatem queruntur, si in stationem incandescunt, si pastorem gregis defendendi studiosum atrocioribus malis vexant, quàm quibus ipsi ab hæreticorum inimicâ factione torqueantur? Scilicet nunc excubiæ pastoris in scelus transeunt, crimen habetur fortitudo, fit maledicentiæ argumentum constantia, ac tandem magnanima & vinci nescia pietas in sacrilegium commutatur.*

(A) N. le Maistre instaurat. antiq. Episcop. Principat. lib. 2. cap. 15.

Utcumque hisce malis acerbiùs ingemiscam, ad vos tamen, præstantissimi Præsules, à vestris Ecclesiis pro Ecclesiæ causâ exulantes ac tantis calumniis proscissi, gaudens æquè ac venerabunda mea sese convertit oratio. Gratuler quidem, vos

Sicularum Censurarum firmitas asseritur, & justitia.

documento esse, non interiisse, sed vigere jam invictam animi virtutem & vividum pro Christi Sponsâ contutandâ zelum, qui sanctissimos quosque Antistites inflammavit: Sed quod magis magisque gratuler, hæc ipsa maledicta sunt, quæ ex ejusmodi causâ sustinetis. Nulla sanè est pretiosior gemma, quâ infulę præfulgeant Episcopales. Ad eos, quorum locum tenetis, Christus Dominus inquit[A], *Beati estis, cùm maledixerint vobis, & persequuti vos fuerint & dixerint omne malum adversùm vos:* In quæ verba scribens Hieronymus, *Illud*, ait, *maledictum contemnendum est, quod beatitudinem creat, quod falso maledicentis ore profertur ... Ubi ergo Christus in causâ est, ibi & optanda maledictio est*. Profectò Christus in causâ vestrâ est. ,, Christus fundavit Ecclesiam, ejusque com-,, paravit libertatem Sanguine proprio sustinendo ,, flagella, sputa, clavos, mortis angustias, nobis ,, relinquens exemplum, ut sequamur ejus vesti-,, gia. Unde & dicit Apostolus: *Si compatimur ei,* ,, *& conregnabimus. Si commorimur, & conresurge-* ,, *mus*,,. Ita invictissimus Ecclesię Athleta[B] dignusque, quem Ducem sequamini. Falso autem ore prolata ea maledicta esse, idem Sanctus Martyr[C], Petrus Cellensis[D], Ernulphus Lexoviensis[E], Stephanus Meldensis[F], Joannes Saresberiensis[G], Joannes Pictaviensis[H] clarissimis scriptis, & apologiis evincunt: Evincunt Patres ac Canones, qui pacem violatam queruntur, non cùm Ecclesia defenditur, sed cùm illi injuriæ irrogantur: Denique Imperator evincit, qui *ad submovendos tales ausus*, QUIBUS

FIDES

(A) *Matthæi cap. 5. v. 11.*

(B) *Idem Thom. Cantuarien. epist. 64. Henric. Reg. Angl. lib. 1.*

(C) *Cit. 56. lib. 1., & 46. lib. 2.*

(D) *Epist. suarū lib. 1. epist. 10.*

(E) *Inter epist. S. Thomę epist. 85 lib. 1.*

(F) *Epist. 98. lib. 3. ibid.*

(G) *Epist. 150. lib. 1., & 50. lib. 2. ibid.*

(H) *Epist. 2. lib. 1. ibid.*

FIDES, ET REVERENTIA VIOLATUR IMPERII; & *ne levis saltem inter Ecclesias* TURBA *nascatur, vel in aliquo minui Religionis disciplina videatur*, nullum efficacius remedium novit, nihil conducibilius existimavit, quàm quòd *Episcopis omnibus pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ Sedis autboritas* [A]. *Tunc enim demum Ecclesiarum* PAX UBIQUE *servabitur, si rectorem suum agnoscat universitas* [B]. Quis ergo pacis studiosior quàm vos erit, quibus nemo Apostolicæ Sedi fuerit obedientior? Pacem quidem vos recusatis; sed quæ bello valdè molestior sit; quæ nimirum fallax est, & squalentem jam Christi Sponsam infestantium permittit libidini: quæ non donum Dei est, sed opus, immo ludus seculi; quam Ecclesia acceptura sit spreta, lęsa, ludificata. Longè à tantis Pręsulibus sit, ut abhorrendæ huic paci animum unquam intenderint. *Quod dolenter referimus*, Pontifex ait in Decretali [C], *nonnulli Ecclesiarum Prælati Ecclesiasticæque personæ trepidantes ubi trepidandum non est*, TRANSITORIAM PACEM QUÆRENTES, *plus timentes Majestatem temporalem offendere, quàm æternam, talium abusibus non tam temerariè, quàm improvidè acquiescunt*. Cęterùm veram pacem, qualem scilicet zelantissimi quique expectant, & Apostolicę Sedis violata Majestas & Canonum conculcata authoritas postulat, quæ sit salvo honore & libertate Ecclesiæ, conscientiâ & honestate salvâ, tantum abest ut respuatis, ut ea ipsa sit, quam per tot labores, gemitus, & pericula quęritis. Hanc tandem aliquando jucundiùs adventuram

Siculorum Censurarum firmitas asseritur, & justitia.

(A) *Valentin. III. cit. Novell.*

(B) *Ibid. paulò antè.*

(C) *Cap. Clericis 3. de immunit. in 6.*

Siculorum Censurarum firmitas afferitur, & justitia.

Leo Magnus sperare jubet [A]: *Dulciùs siquidem munera gratię divinę proveniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur; & minus bonum videri solet* PAX *continuata per otium, quàm reddita per labores*:

(A) Cit. epist. 93. cap. 1.

Quis à vobis ea convicia expectasset, Clarissimi septem Collegæ? Vos quidem latere non potest, impii illius filii, qui Patris dedecus indicavit, maledictionem incurrere, qui Prępositorum suorum culpas prodiderint [B]. Quod ergo facinus erit, eosdem tam audacter calumniosis contumeliis incessere? Quis potiùs non jure sperasset, in tantâ rerum turbatione à Theologis & Canonistis de pessundatis Christianæ Moralis regulis, de violatis Canonibus sumendas fuisse vindicias, & Sanctæ Matris Ecclesiæ patrocinium suscipiendum? *Ista nova facies rerum, & tanta tragœdia* [C] zelum vestrum, &, quâ polletis, disertæ linguæ facundiam fuerat excitatura: *Cur compassi non estis* tantis Pręsulibus, ac *tot fratribus vestris? cur non adiistis* Siculum Magistratum? *cur non Ecclesiæ causam, & Sacerdotii miserabilem decolorationem continuatis vocibus deflevistis? allegantes nunquam de Pontificibus nisi Ecclesiam judicasse; non esse humanarum legum de talibus ferre sententiam... Obsequi solere Principes Christianos decretis Ecclesiæ, non suam præponere potestatem: Episcopis caput subdere Principem solitum, non de eorum capitibus judicare... Quid denique commisissent, ut sine ullâ discussione rerum*, tot Ecclesiastici viri, *tot Ecclesiarum Præsules pro humano libito, & secularis potestatis arbitrio pellerentur* [D]. Spoliatos, aut sede pulsos in nihilo judi-

(B) Can. Plerumque, aliisque 2. q. 7.

(C) Ex Gelas. epist. 15 cap. 6.

(D) Ex cit. Gelas. epist. cap. 8., apud Gratian. Can. Nunquam de Pontificibus 96. dist.. Add. Can. Si Imperator, aliosque concordan. eadem dist. 96.

judicari debere, ſed ante omnia *ex integro reſtituendos, docent nos*, orare debueratis, *decreta Sanctorum Romanorum Pontificum, Leonis videlicet Magni*[A], *Symmachi*[B], *Felicis*[C], *Gregorii*[D], *Hormiſdæ*[E], *Sixti*[F], *Euſebii*[G] ... *Si quis* aliter faciendum velit, *claves Sanctæ Eccleſiæ agitare, & leges Catholicæ & Apoſtolicæ Sedis violare conatur*[H]. *Acephali non ſumus: quia Chriſtum Salvatorem Caput habemus, & poſt ipſum Romanum Pontificem*[I]. *Abſit quæſo à* Chriſtiano Magiſtratu, *ut intimatam ſuis ſenſibus veritatem arbitretur injuriam*[K].

COMPLEXIO.

JAM verò longiorem Diſſertationem habuimus, quàm ab initio ſuſpicabamur. Sed certè non longiorem, quàm neceſſe erat. Nil ferè nobis ex ore excidit, quod à negotio alienũ videri poſſit: Nihil quoque fortaſsè in Adverſariorum lucubrationibus indelibatum reliquimus; aut ſi reliquimus, id recenſere ac refellere ſupervacaneum futurum erat, cùm expoſitâ firmatâque veritate ultrò, quod illi opponitur, corruere & evaneſcere neceſſe ſit: *Nam ſicut in Geometricis*, ut ille inquit, *aſſertionibus rectum eſt menſura ſui, & obliqui; ita confutatione non indiget, quod collatione recti eſſe demonſtratur obliquum*. Quamquam autem ita cauſam nos egiſſe intelligamus, ut extra omnem controverſiæ æſtum & concertationem educta ſit, nunquam tamen ſatis partes obiiſſe noſtras putabimus, niſi Adverſarios in oratione noſtrâ acquieviſſe,

(A) *Epiſt. 47. ad Synodum Occum. de reſtit. Epiſc. ſede ſua pulſ.*

(B) *In V. Synod. Roman.*

(C) *Secũdi ſcilicet Cã.* Tamdiu in ſede *3. q. 11. ex epiſt. ad Epiſc. Ægypti.*

(D) *Magni nempe lib. 8. epiſt. 24. Fortunato Epiſc. Neap.*

(E) *Quem pro Heliæ, Thomatis, et Nicoſtrati reſtitutione laboraſſe docent epiſt. 56. cũ aliquot ſeqq. et 72*

(F) *Secũdi in epiſt. ad Epiſc. Hiſpan.*

(G) *In epiſt. ad Ægyp. & Alexãdr. Horũ pleraq; & alia ejuſd. notæ Pontif. decreta videre eſt apud Grat. 3. q. 1. et 2., & in Decretal. lib. 2. de reſtit. ſpol.. Vid. notat a per Horſt. ad epiſt. 45. Bernard.*

(H) *Ex Goffridi Vidocinen. epiſt. 29. lib. 2.. Ubi vid. notat. per Sirmond.*

(I) *Ex ejuſd. epiſt. 27. ibid.*

(K) *Ex Gelaſ. epiſt. 8. cap. 2., ex qua Can.* Duo ſunt quippe *96. diſt.*

viſſe, illique ab eorum etiam calculo pondus acceſſiſse ſenſerimus. Quòd ſi ipſi dictis noſtris aſtipulentur, nil profectò noſtri probaverint. Quæ Theologorum prima & clariſſima capita, quæ inter Juriſconſultos juriſconſultiſſimi docuerunt, quæ Patres ac Sanctiſſimi Viri documentis atque exemplis firmarunt, quæ Concilia ac Pontifices decrevere, quæque firmiſſima omnis ſemper habuit Eccleſia, ea ſunt quæ ipſi probaverint.

Si verò pręterea reclamare libeat, & nebulas tantæ rerum luci ſuffundere, ſcriptis ſcripta ſubjungendo, quę fuerit impoſſibilitas? pręſertim viris nec linguę rudis, nec tardi ingenii, à quibus nos multa edoceri parati ſumus; ſed cùm veritati obſequentur, non cùm cauſę ſervierint. *Facile eſt cuiquam*, inquit Auguſtinus[A], *videri reſpondiſſe, qui tacere noluerit. Aut quid loquacius vanitate? quæ non ideo poteſt quod veritas, quia, ſi voluerit, etiam plùs poteſt clamare quàm veritas.* Nulla profectò erit opinionis inſania, quæ ſophiſmatum pigmentis fucari, aut cui à Scriptoris alicujus dicto vel incidenter, aut inconſultè prolato, vel non ſanè intellecto, patrocinium quæri non poſſit. Sed monet Gelaſius[B]: *Non omnia paſſim à quocumque dicta, vel ubicumque ſcripta indifferenter accipere, ſed retentis bonis, quæ noceant, refutare.*

(A) *De Civit. Dei lib. 5. cap. 26.*

(B) *Diſputat. de anathematis vinculo cap. 3.*

Hiſce vos monitis, Collegæ Clariſſimi, obſequuturos, fides ſperâre jubet, & ingenua integritas quocumque cauſarum patrono, ne dum Theologis & Canoniſtis cum primis digniſſima: ex quibus malitis, confidimus, rei meliùs veritate per-

perspectâ, clientibus vestris saniora consilia, quàm infirmum patrocinium præstare. Sed quid fidem imploravimus & integritatem? Religionem appellare debuimus. Nunquid adhuc superest controversiæ locus? nunquid ulteriùs contendere liceat? Jam Apostolicæ Supremæ Sedis judicium prodiit, quo & rejectis querelis censurarum justitia ac firmitas constabilita [A], & prætensa metûs excusatio dispulsa [B]. Si quid in regulis jam inde ab Ecclesiæ nascentis exordio liquidis atque inconcussis, & pluries per secula confirmatis, liberiorum ingeniorum lasciviâ ambagibus involutum fuerat, aut adumbratum; suo est nitori restitutum, ac novo robore donatum à Sede illâ: *Apud* quam *solam*, ut Hieronymus [C] inquit, *profligato à sobole malâ patrimonio, incorrupta Patrum servatur hæreditas*. Quid non est in editis Constitutionibus maturè discussum? quid non consultè provisum, aut non perspicuâ, & disertâ definitione decretum? *Cesset igitur*, verbis Marciani Imperatoris concludimus, *cesset jam profana contentio*. *Nam verè impius atque sacrilegus est, qui post* supremæ Sedis *sententiam opinioni suæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippe dementiæ est in medio & perspicuo die commentitium lumen inquirere: Quisquis enim post veritatem repertam aliud*

(A) *Vid.* SS. D. N. CLEMENTIS PP. XI. Declaratio Nullitatis, damnatio, abolitio, & reprobatio Edicti promulgati à quodam Delegato ass. Tribunalis Monarchię Siculæ nuncupati super abrogatione Ecclesiastici Interdicti, cui R. P. D. Andreas Episcopus Cataniensis Civitatem, & Diœcesim Catanien. in actu suæ ab eis expulsionis, pec manifestum secularis Potestatis abusum secutæ, subjecerat: cũ variis Ordinationibus super exactâ observãtiâ ejusdẽ Interdicti &c.. *Dat. die* 17. *Iun.* 1713. *Alia similis* Declaratio *pro Interdicto Civitatis, & Diœcesis Agrigentin. Dat. die* 23. *Decembris* 1713.. *Alia item similis* Declaratio *pro Interdicto Civitatis, & Diœcesis Liparen. Dat.* die 17. *Septembris* 1714.

(B) *Vid. Documenta ad calcem Dissertat. adjecta num. I.*

(C) *Epist.* 14. *aliàs* 57. *ad Damasum.*

aliquid ulteriùs discutit, mendacium quærit [A]. Nunc, addimus denique cum Siricio Pontifice [B], *ad servandos Canones, & tenenda Decretalia constituta magis atque magis incitamus ... Quæ sunt salubriter constituta, intemerata permaneant; &* OMNIBUS IN POSTERUM EXCUSATIONIBUS *aditus, qui jam nulli apud vos patere poterit, obstruatur.*

(A) *Constit. pro Chalcedon. Synod. stat. servandis in Cod. Can. Eccl. Rom. cap. 26.*

(B) *Epist. ad Himer. Tarraconen. Episcopum cap. 16.*



DO-

DOCUMENTA
Ad Causam spectantia.

I.

SANCTISSIMI D. N. DOMINI

CLEMENTIS

Divinâ Providentiâ

PAPÆ XI.

Declaratio super omnimodâ, & inviolabili observantiâ Ecclesiastici Interdicti, cui Civitates, ac Diœceses Cataniensis, & Agrigentina subjectæ reperiuntur, cum rejectione quarumcumque excusationum ab ejusdem Interdicti trangressoribus allatarum, ac additione aliarum pœnarum in eos ultra illas, quas ex præscripto Sacrorum Canonum jam incurrerunt.

CLEMENS PAPA XI.
Ad futuram rei memoriam.

UBI aliàs ad multiplices, & sanè gravissimas, quas Sancta Dei Ecclesia in Regno Siciliæ, per inauditum, ac penè incredibilem secularis Potestatis abusum, tamdiù sustinuit, & adhuc sustinet, calamitates, insignem illam, ac verè atrocem accessisse novimus injuriam, qua non minùs sacrilegè, quàm crudeliter erepto eidem Eccle-

siæ

SS. D. N. CLEMENTIS PP. XI. Constitutio, quâ metûs, aliæque excusationes reiiciuntur.

siæ unico illo, ac tristi solatio, quod miseris omnibus ipsa infelicitas reliquum facit, mala scilicet sua publicis mæstitiæ significationibus deplorandi: suas ipsa lachrymas sistere jussa fuit, luctumque illum abiicere, quo prius, januis Templorum clausis, Sacrorum solemniis intermissis, Sacerdotibus (*A*) ejus gementibus, Virginibus ejus squalidis, dolores suos longè latèque aperiens, à fidelibus quidem filiis amaritudinis suæ levamen, à Rebellibus verò irrogatarum sibi contumeliarum pœnas deposcere cæperat; Ubi aliàs (iterum repetimus) maximâ cum animi nostri molestiâ intelleximus tam multos, etiam ex charioribus Ecclesiæ filiis, ignavâ ac damnabili illarum pœnarum formidine perculsos, quas eis minabantur illi, qui corpus quidem occidunt, (*B*) animam autem non possunt occidere, ad ea miserè progressos fuisse, ut exutâ Ecclesiasticis Decretis debitâ obedientiâ, indictum jussu nostro in Cataniensi, & Agrigentinâ Civitatibus, ac Diœcesibus Sacrorum justitium turpiter violaverint: illisque interrogantibus (*C*), qui captivos eos duxerunt, verba cantionum, ea ipsa, quæ in salicibus suspenderant, organa ad lætitiam revocare, & hymnum cantare de canticis Sion minimè erubuerint; Ubi hæc (ut ajebamus) jampridem inaudivimus, nullam profectò ærumnâ hac iniquiorem, asperiorem nullam Ecclesiæ ipsi miseriam evenire potuisse, aut unquam posse credidimus. Nostris propterea auribus continenter obstrepere videbantur tristes illius voces: Quis mihi hoc tribuat, ut plorans plorem (*D*) in nocte? Quis mihi det, ut plangam paululum (*E*) dolorem meum? Ita planè credidimus. Sed citò nimis Nos falli cognovimus; ubi scilicet omnibus antea in præfato Regno Siciliæ illatis Ecclesiæ vulneribus graviorem aliam, & planè acerbiorem plagam ejusdem Ecclesiæ pectori subinde inflictam fuisse percepimus ab ipsismet ejus filiis, ingratis filiis, filiis (*F*) desertoribus, qui adversùs Matrem (*G*) suam pugnantes, nec solùm ipsi illius mandatis parêre detrectantes, verùm & alios ad paris inobedientiæ crimen incitantes, os Domini non (*H*) interrogarunt, sed habentes fiduciam in umbrâ Ægypti, docuerunt quæ (*I*) non oportet, ut excusarent (*K*) excusationes in peccatis; Ii siquidem aquam (*L*) turbidam, non de fontibus (*M*) Salvatoris, sed de Babylonis fluminibus haustam, incautis propinantes: hoc est, falsas non minùs, quàm perniciosas doctrinas in eorum patrocinium, qui metu malorum sibi à sæculari potestate denunciatorum Ecclesiasticum Interdictum in memoratis Civitatibus, ac Diœcesibus appositum minimè ser-

(A) *Ex Ierem. Thren. cap. 1. v. 4.*

(B) *Matth. cap. 10. v. 28.*

(C) *Ex psalm. 136. v. 2. & 3.*

(D) *Ex Ierem. Thren. cap. 1. v. 2.*

(E) *Iob cap. 10. v. 20.*

(F) *Ex Isai. cap. 30. v. 1.*

(G) *Ex Cantic. cap. 1. v. 5.*

(H) *Ex Isai. cap. 30. v. 2.*

(I) *Ex Tit. cap. 1. v. 11.*

(K) *Ex psal. 140. v. 4.*

(L) *Ex Ierem. cap. 2. v. 18.*

(M) *Ex Isai. cap. 12. v. 3.*

servassent, absque ullo rubore obtrudentes, plurimos fascinarunt (*A*) non obedire veritati, illosque non sine maximo Christifidelium scandalo, ac manifesto hujus Sanctæ Sedis contemptu, ad ejusdem Interdicti, tametsi authoritate nostrâ Apostolicâ pluries comprobati, inexcusabilem violationem, per quam nimirum, ut Sacri Canones docent, Ecclesiasticæ (*B*) disciplinæ nervus disrumpitur, apertè seducere non formidarunt; latam nimiùm sic aperientes viam universæ propemodum Christianæ Legis deformationi, ac ruinæ; *Si enim* (*C*) *ita nequissimorum timeatur audacia, ut quod illi jure, atque æquitate non possunt, temeritate, ac desperatione perficiant: actum est*, ut Sanctus Episcopus, & Martyr Cyprianus præclarè scriptum reliquit, *de Episcopatûs vigore, & de Ecclesiæ gubernandæ sublimi, ac divinâ potestate: Nec Christiani ultrà aut durare, aut esse jam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas, atque insidias pertimescamus.* Quod verò planè deterius, ac intolerabilius est, alii etiam novissimè non defuerunt, qui adiicientes (*D*) peccatum super peccatum, atque ipsâmet nimiâ forsan longanimitate nostrâ, quâ pœnitentiæ spatium damus, subdolè abutentes, per illam traditos ab eis errores tacitè saltem à Nobis approbari, adeòque ipsam quoque Interdicti transgressionem minimè improbari impudentissimè vulgarunt. Quis jam tam hebeti, ac gelido erit animo, qui ad effrenatam hanc, atque execrabilem temeritatem non exardescat? Quis unquam sanæ, rectæque mentis inveniri poterit, qui Nos prorsùs immemores celebris illius documenti à Sanctissimo Prædecessore Nostro Leone traditi, cùm scripsit (*E*) = *Nimis hæc improba, nimis sunt prava, quæ Sacratissimis Canonibus inveniuntur esse contraria* = eò tandem prolapsos fuisse existimet, ut illas quovis modo probare, aut saltem non improbare potuerimus doctrinas, quæ non alio nixæ fundamento, quàm metu, veris Christi militibus indigno, in quorum scilicet cordibus hospitari debet charitas Christi, quæ foras (*F*) mittit timorem, Apostolicis Sanctionibus apertissimè adversantur? Ignotæ forsan cuiquam sunt Nostræ illæ Literæ jam ante annum, hoc est, die IV. Novembris MDCCXIII. ad tres Agrigentinæ Ecclesiæ Vicarios Generales in simili formâ Brevis datæ, eodemque tempore, ut omnibus paterent, typis editæ, quibus nimirum homines illos, qui ut ambulantes (*G*) in veritate ad carnalis prudentiæ semitas traducerent, eosdem, aut similes errores in vulgus spargere præsumpserant, perditionis (*H*) filios nuncupavimus: Contrà verò

SS. D. N. CLEMENTIS P. P. XI. Constitutio, quâ metûs, aliæque excusationes reiiciuntur.

(A) *Ex Galat. cap. 3. v. 1.*

(B) *Ex Cap.* Cùm inter 5. *de consue.* ac *ex Clement.* Ex frequentibus *de Sètent. Excomm.*

(C) *S. Cyprian. epist. 55. ad Cornel.*

(D) *Ex Ecclesiast. cap. 5. v. 5.*

(E) *S. Leo epist. 53. ad Anatolium.*

(F) *1. Ioann. cap. 4. v. 18.*

(G) *2. Ioann. v. 4.*

(H) *Ex 2. Thessal. cap. 2. v. 3.*

SS. D. N. CLEMENTIS PP. XI. Constitutio, quâ metûs, aliæque excusationes rejiciuntur.

effusis, meritisque laudibus virtutem, atque constantiam eorumdem trium Vicariorum, ob intrepidam Ecclesiasticæ libertatis, ac Pontificiæ authoritatis defensionem, in carceres conjectorum extulimus, qui aures suas obturaverant, (*A*) ne exaudirent voces incantantium, quique propterea quòd & ipsi Interdictum, cui eadem Agrigentina Ecclesia subiecta reperiebatur, custodire vellent, & ab aliis, ut par erat, similitèr custodiri satagerent, nullas minas; pœnas nullas, nullam, quantumvis sævam, atque horribilem tempestatem formidaverant? Nonnè perspectæ etiam omnibus sunt aliæ Nostræ Literæ Capitulo, & Canonicis præfatæ Agrigentinæ Ecclesiæ posteriùs, hoc est, die X. Martii proximè præteriti in eâdem formâ Brevis conscriptæ, ac typis paritèr evulgatæ, quibus eâ in primis, quam muneris nostri debitum exposcebat, gravi constitutâ animadversione in quemdam Canonicum Joannem Baptistam Formicam, qui pro Vicario Generali ejusdem Ecclesiæ perperam se gerebat, ac non modò memoratum Interdictum palàm, & audacter contempserat, verùm ut & ab aliis similitèr contemneretur, author fuerat; eisdem subindè Canonicis vehementèr exprobrare non omisimus, quod quamplures ex eis à pristinâ, ac debitâ Ecclesiæ mandatis obedientiâ descivissent: Reprobato potissimùm eo metûs obtentu, quo ipsi gravem suum lapsum excusare studuerant; illisque insupèr injunximus, ut conscientiarum suarum securitati opportunè consulerent: quæ nequiter egerant, debitâ emendatione corrigerent: nullâque interpositâ morâ inustam dignitati suæ labem abolere contenderent? Annè quempiam latet, quod simul ac Nobis innotuerunt errores illi, quibus Magistri (*B*) mendaces, ponentes tenebras (*C*) lucem, ac lucem tenebras, tanto cum animarum Christifidelium periculo, tantoque cum Ecclesiasticæ disciplinæ dispendio, Interdicti violationem excusare conabantur: Nos iam advenisse rati tempus illud ab Apostolo prænunciatum, cùm ad Timotheum scripsit = (*D*) *Erit tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum avertent* = quorumvis Regularium Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, Superioribus Generalibus districtè præcepimus, & mandavimus, ut à suis quisque Subditis in Monasteriis, Conventibus, Collegiis, ac Domibus Regularibus Regni supradicti respectivè commorantibus Interdictum præfatum sub pœnis per Sacros Canones, & Apostolicas Constitutiones in eos, qui

(A) *Ex psalm. 57. v. 5. & 6.*

(B) *Ex 2. Petr. cap. 2. v. 1.*

(C) *Isai. cap. 5. v. 20.*

(D) *2. ad Timoth. cap. 4. vers. 3.*

qui secus fecissent, præscriptis, exactè, & invjolabilitèr observari curarent, & facerent; nec illud quovis titulo, colore, ingenio, causâ, excusatione, seù prætextu, violari sinerent, aut permitterent, donec à Nobis, vel jussu nostro Interdictum ipsum expresse sublatum, abrogatumque fuisset? Quomodò jam publica hæc nostra, atque alia plurima dicta, iisque perpetuò respondentia facta congruere unquam possunt cum iis, quæ ad diuturnam, ac detestabilem Contemptorum Ecclesiæ inobedientiam, & pervicaciam fovendam temerè confinguntur? Hæc profectò omnia abundè sufficere possent, ac deberent, ut vera mens, ac voluntas nostra omnibus hac in re nota fieret, simulque apertæ, ac perspectæ essent fallaces artes, quibus filii hujus sæculi graviora semper vulnera Ecclesiæ infligere, acerbioribus semper injuriis Apostolicam authoritatem impetere, necnon animas pretioso Salvatoris, & Domini Nostri Jesu Christi Sanguine redemptas in majora semper pericula coniicere nituntur. Cupientes nihilominùs (donec divinâ Nobis ope suffragante, ad funditus extirpandam tot malorum radicem, necnon ad Ecclesiasticam Immunitatem, Sanctæque hujus Sedis dignitatem ab iis, quæ adversùs utramque in supradicto Regno Siciliæ enormissimè attentata fuerunt, cumulatè vindicandam, ea validiùs exequamur, quæ Pastoralis Officii nostri ratio postulat, quæque assiduis, ac ferventibus tam nostris, quàm alienis precibus humilitèr imploratum Cœlestis gratiæ lumen ostendet) omnia interìm, & quæcumque, tametsi inania, ac prorsùs futilia eorum subterfugia, qui debitam Ecclesiasticis, imò Apostolicis, mandatis obedientiam præstare recusant, penitùs, & omninò præcludere; Et quia (*A*) nihil obedientia prodesse videretur humilibus, si contemptus contumacibus non obesset: ac juxta Canonicas Sanctiones quædam sunt culpæ, in quibus culpa est relaxare vindictam, contumacium hujusmodi audaciam, & impudentiam severiori insimul animadversione compescere, ac cohibere: Hinc est, quòd Nos illjus vices, licet immeriti, gerentes in terris, qui Discipulis suis dixit: *Qui vos (B) audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit*: ac aliàs addidit: (C) *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*: opportunè in præmissis providere, ac desupèr concessæ Nobis à Domino potestatis partes, quantum Nobis ex alto conceditur, interponere volentes: Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, generale Interdictum, cui memoratæ Civitates, ac Diœceses

SS. D. N. CLEMENTIS PP. XI. Constitutio, quâ metûs, aliæque excusationes reiiciuntur.

(A) *Cap. 1. de postul. Prælat.*

(B) *Luc. cap. 10. v. 16.*

(C) *Matth. cap. 18. v. 17.*

SS. D. N. CLEMENTIS PP. XI. Constitutio, quâ metûs, aliæque excusationes reiiciuntur.

ses Cataniensis, & Agrigentina jussu nostro ab eorum Præsulibus respectiuè, sicut præmittitur, subiectæ fuerunt, omninò, & ab omnibus (exceptis dumtaxat temporibus, & casibus à jure permissis) in quibusvis Ecclesiis, Locis Piis, Oratoriis, etiam privatis, Civitatum, & Dioecesum præfatarum, prætensâ etiam assertæ Monarchiæ Siculæ authoritate munitis, seù aliàs quocumque Privilegio, Exemptione, & Indulto, etiam prætensi Jurispatronatus Regii, tametsi pluriès, & quantiscumque vicibus ab hac Sanctâ Sede approbati, suffultis, exactè, & inconcussè observandum esse, & ab initio fuisse, ac in posterum foreè Nec illud à quoquam, sivè cujuscumque periculi (*A*) metu, siv; alio quovis prætextu, titulo, causâ, vel colore violari unquam potuisse, vel posse, tenore præsentium decernimus, & declaramus. Noverint propterea omnes, & singuli Ecclesiastici tam Sæculares, cujusvis gradus, praeminentiæ, ac dignitatis fuerint, quàm (*B*) cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam Jesu, Regulares, qui præmissis contraire, ac Interdictum hujusmodi violare quovis modo hactenùs præsumpserunt, vel de cætero præsumpserint, se Censuras omnes, & poenas adversùs Ecclesiastici Interdicti Violatores à Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis latas, & impositas, ac potissimùm Irregularitatem, (*C*) necnon privationem vocis activæ, & passivæ eo ipso, & absque aliâ declaratione incurrisse, ac respectivè de cætero incursuros esse: adeòque eos ad quæcumque Ecclesiastica tam Sæcularia, quàm Regularia respectivè officia, beneficia, ac dignitates minimè eligi, (*D*) aut postulari, nec cum aliis ad eligendum, seù postulandum admitti debuisse, vel unquam debere, neque demùm Censurarum, ac poenarum huiusmodi absolutionem, seù relaxationem à quoquam (præterquam à Nobis, seù Romano Pontifice pro tempore existente) obtinere potuisse, vel posse, prout earumdem tenore præsentium similitèr declaramus. Prætereà, ut non modò quibusvis transgrediendi prætextibus, sicut præmittitur, sublatis, sed auctis etiam contra Transgressores poenis, omnes in posterum ad debitam Nobis, & Ecclesiæ obedientiam exhibendam revocentur, omnibus, & singulis Ecclesiasticis præfatis, quantumvis exemptis, & quovis modo privilegiatis, præter, & ultra omnes alias Censuras, & poenas superiùs enunciatas: Si Sæculares fuerint, sub dignitatum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum, cujusvis generis, seù naturæ sint: Si verò Regulares, sub officiorum, dignitatum, & graduum Regularium quorumcumque per eos

(A) *Cap.* Sacris *de his, quæ vi, metusve causa fiunt.*

(B) *Conc. Trid. sess.* 25. *de Regularib. cap.* 12.

(C) *Cap.* Is qui 18. §. Is verò *de Sent. Excommun. in 6.*

(D) *Dicto Cap.* Is qui *ubi supra, ac d. cap.* 1. *de postul. Prælat.*

eos respectivè obtentorum privationis, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia similia, vel dissimilia quæcumque in posterum quomodolibet obtinenda ipso facto, & absque aliâ declaratione incurrendis pœnis, harum serie districtè prohibemus, & interdicimus, ne decreto, ac declarationi nostris supradictis de cætero contravenire audeant quovis modo, seù præsumant. Dignitates autem, & Beneficia hujusmodi, quorum privationis pœnam propter transgressionem præsentis prohibitionis per præfatos Ecclesiasticos Sæculares contrafacientes quomodolibet incurri contigerit, etiam ipso facto, & absque aliâ declaratione vacare, illaque per quoscumque impetrari posse paritèr decernimus; Nec non eorumdem Beneficiorum, & dignitatum sic vacantium collationem, provisionem, & omnimodam dispositionem, prout etiam pœnarum de nouo sic additarum relaxationem similitèr Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxàt specialitèr reservamus. Decernentes paritèr easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quod quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu aliàs specificâ, & individuâ mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas præsentes emanarint, sufficientèr adductæ, verificatæ, & iustificatæ non fuerint, aut ex aliâ qualibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari; aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; Sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac quibuscumque juris, seu facti defectibus, qui adversùs illas à seculari potissimùm Potestate, seu predicto afferte Monarchie Sicule Tribunali ad effectum impe-

SS. D. N. CLEMENTIS PP. XI. Constitutio, quâ metûs, aliæque excusationes reiiciuntur.

 dien-

SS. D. N. CLEMENTIS PP. XI. Constitutio, quâ metûs, aliæque excusationes rejiciuntur.

diendi, seu retardandi earum executionem, quovis modo, seu ex quavis causâ opponi, seu obiici possent, minimè refragantibus, suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: Easque propterea, omnibus, & singulis per eamdem Sæcularem potestatem, siuè per idem assertum Tribunal quomodolibet allatis, seù afferendis impedimentis penitùs, & omninò rejectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabilitèr, & inconcusè observari: Sicque, & non alitèr in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumqne preeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros: Sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis alitèr judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstan. præmissis, & quatenus opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, & specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus; Nec non quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, & quorumvis Monasteriorum, Conventuum, Ecclesiarum, Locorum Piorum, aliisve quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consvetudinibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & immemorabilibus: Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Jesu, ac Monasteriis, Conventibus, Ecclesiis, & Locis Piis prædictis, illorumque respectivè Superioribus, aliisve quibuslibet personis, etiam quantumvis sublimibus, & specialissimâ mentione dignis, à Sede prædictâ ex quacumque causâ, etiam per viam contractus, & remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus, seu ad quarumcumque personarum, etiam Imperiali, Regali, aliâve qualibet mundanâ, vel Ecclesiasticâ Dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seù aliàs quo-

modo-

modolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxàt specialitèr, & expresè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, & in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perindè arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personalitèr intimatæ fuissent; Utque ipsarum literarum transumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides tam in Judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis sub Annulo Piscatoris die VI. Novembris M DCC XIV. Pontificatus Nostri Anno XIV.

SS. D. N. CLEMENTIS PP. XI. Constitutio, quâ metûs, aliæque excusationes reiiciuntur.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate Domini Nostri Iesu Christi millesimo septingentesimo decimo quarto, Indictione septimâ, die verò nonâ Novembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divinâ Providentiâ Papæ XI. Anno decimo quarto supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranen., & Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Ludovicum Cappellum Apostolicum Cursorem.

Antonius Placentinus Mag. Curs.

II.

II.

GREGORII PP. IX.

Epiſtola Decretalis

Adversùs Interdictum ſive ſponte, ſive ex metu violantes

Ex Archiv. ſec. Vatic. arm. 1. reg. 18. epiſtol. Greg. IX. Pontificat. ann. VI. epiſt. 26. fol. 16.

Archiepiſcopo Bracharenſi

GREGORIUS IX.

Vid. Diſſert. part. 2. cap. 4. §. 6.

TANTA eſt clavis Petri poteſtas, tantaque Clavigeri preeminentia poteſtatis, ut de ipsâ valeat verè dici: Claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit; quia quod Petrus ſolvit, ligare non poterit alius, & quod ipſe ligat, alius ſolvere non valebit. Unde non tam Petro, quàm petræ, in quâ & per quam mirabilis Eccleſiæ ſtructura conſurgit, illudere nititur, nec in ſolum Clavigerum peccat, ſed in clavium etiam Largitorem, qui claves comtemnit Eccleſiæ, ac in diſpenſatoriam deſipit poteſtatem. Hæc eſt enim culpa, in quâ culpa eſt relaxare vindictam, & facilitas, quæ facilitatem veniæ demeretur; immo iniquitas manifeſta, quæ non ex æquitate debet æquanimiter tolerari, ſed ſeveriùs potiùs de juris ſeveritate puniri. Nam quaſi tacitè arguit de mendacio veritatem, qui vel quod Petrus ligaverit, pro ſoluto; vel quod ſolverit, habet præſumptione damnabili pro ligato, cùm & à Domino noverit eſſe dictum: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis*: licèt ideo ſe reddat indignum, ut per Petrum, cùm ligatus fuerit, abſolvatur, qui cùm ſolutus fuerat, vel veriùs non ligatus, in eo ligandi potentiam parvipen-

pendens, ligat improvidus semetipsum; & frustra, ut aperiatur ei, clavis auxilium invocat, qui seipsum inclusit, dum inclusis aperire voluit sine clavi. Ad confusionem igitur P. Episcopi quondam Colimbrien. non potest in memoriam non venire quantùm in Nos & Ecclesiam Romanam deliquerit, despexerit Petri claves, & Ecclesiasticam læserit potestatem, cùm non solùm Interdicti sententiam, quam servarat ab initio, temerè violavit, verùm etiam induxit alios, immo compulit non servare; & quos inducere monitis, & flectere minis & terroribus ad violandam Interdicti sententiam nullâ potuit ratione, post atroces injurias, amissionem bonorum, spoliationem parentum, dignitatibus, præbendis, & beneficiis spolians, coegit miserabiliter exulare, ea suis in hâc parte fautoribus non absque præsumptione temerariâ conferendo: Quæ omnia idem Episcopus in nostrâ, & Fratrum nostrorum præsentiâ publicè recognovit. Licèt autem memoratus Episcopus non judicium, sed misericordiam postulans, in manibus Nostris spontaneâ cesserit voluntate, & Nos simplicitati & senectuti compatientes ipsius, nondum ad pœnam ejus, quam requirit excessûs tanti temeritas, duxerimus procedendum; nolentes tamen ut ii, qui hujusmodi sententiam Interdicti non sunt veriti temeritate propriâ violare, ac recipere dignitates, præbendas, & beneficia aliorum, qui absque culpâ & sine causâ rationabili eis fuerant irrationabiliter spoliati; ac illi, qui in personas & bona Canonicorum, Prælatorum, & Clericorum nolentium Interdicti sententiam temerare, manus temerarias extenderunt, severitatem effugiant canonicæ ultionis, cùm tantò fortiùs nervo debeant Ecclesiasticæ disciplinæ constringi, quantò innocentiæ lora, quæ in aliis moderari debuerant, in seipsis damnabiliùs laxaverunt: nec tantę temeritatis audaciam relinquere impunitam, cùm per Apostolum prompti simus inobedientiam omnem ulcisci, ne facti perversitas transeat præsumptoribus in exemplum: Authoritate Dei Omnipotentis omnem institutionem, destitutionem, collationem præbendarum, beneficiorum, ac dignitatum præsumptas per eumdem Episcopum; & Excommunicationis, seu Interdicti sententias in quoscumque hâc occasione prolatas ab eo post Interdicti violationem ejusdem, decernimus irritas & inanes. Quia verò ubi magis exceditur, ibi est severiùs vindicandum, ut quibuscumque culpa fuit in scandalum, pœna sit in exemplum; Fraternitati tuæ per Apostolica scripta in virtute obedientiæ districtiùs præcipiendo mandamus, quatenus omni-

Gregorii PP. IX Epistola Decretalis adversùs Interdictum sive sponte, sive ex metu violantes.

Gregorii PP. IX Epistola Decretalis adversùs Interdictum sive sponte, sive ex metu violantes.

omnibus, quos dictus Episcopus in supradicta beneficia, præbendas, & dignitates intrusit, non solùm à beneficiis ipsis, præbendis, & dignitatibus, verùm etiam ab aliis beneficiis, si qua obtinent, & Ecclesiis, non obstante appellatione quam à Vicario tuo interposuisse dicuntur, prorsus amotis; & spoliatis omnibus occasione hujusmodi sine difficultate qualibet plenariè restitutis, tam præsumptores eosdem, quàm omnes alios, qui præfatum Interdictum damnabiliter violarunt, suspendas ab omni officio, & beneficio: illos quoque, quos in personas & res prædictorum Canonicorum, Prælatorum, & Clericorum manus temerarias constiterit extendisse, denuntiatis excommunicatis primitùs injectoribus manuum in Clericos violentis, ad Nostram infra quatuor mensium spatium venire compellas præsentiam, pro meritis sententiam recepturos, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Ne autem P. Thesaurarius, P. Consalvi, & Joannes Fernandi Canonici Colimbrien., ac alii spoliati mendicare cogantur in opprobrium Ordinis Clericalis, præsertim pro tam honestâ & laudabili causâ, unde præmium debuerant meruisse, volumus & mandamus, ut, donec dignitatum & beneficiorum suorum pacificam fuerint possessionem adepti, facias eis de bonis Colimbrien. Ecclesiæ congruè provideri. Cæterùm, quia malus minister consuevit interdum operarios iniquitatis habere, Magistrum Gonsalvum, & Alphonsum Menendi consanguineos ejusdem Episcopi, quos ipse Vicarios suos reliquit, ad reddendam rationem de fructibus Episcopatûs Colimbrien., necnon & Alphonsum Menendi de thesauro, & instrumentis Ecclesiæ cogere non postponas: contradictores autem, si qui fuerint, per censuras Ecclesiasticas appellatione postpositâ compescendo: nullis literis obstantibus harum tenore tacito à Sede Apostolicâ impetratis. Dat. Spoleti VII. Kal. Julii Pontificatûs Nostri Anno sexto.

AD-

ADDENDA, ET CORRIGENDA.

PAg. 58. lin. 19. post *facinori*. Adde. In Corinthios omnes se animadversurum, *virgam* eis ostendens minatur Paulus ob unius incesti crimen, quem excommunicatum non ejecerant: *Non potiùs luctum fecistis, ut tollatur de medio vestrûm*. 1. Cor. 5. Quâ in re memoratus Basilius de Judic. Dei post med. observat, UNIVERSAM ECCLESIAM *in criminis societatem* adductam, *quòd facinus illud meritâ pœnâ persecuta non esset*: cùm paulò antè etiam dixisset, unius peccatum *ad alios etiam permanare*, *qui ad vindicandum justum animi ardorem non adhibuerint*, *sicut scriptum est* MULTIS IN LOCIS, *& sæpe numero* FACTITATUM.

Pag. 22. lin. 14. *Niceni*. Corr. Nicæni. 70. 29. *data*, spectans. 81. 18. *Ecelesiæ*, Ecclesiæ. 96. lit. F. in marg. *in 4. quæst. unic.*, in 4. dist. 29. quæst. unic.. 102. 20. *externas*, æternas. 130. 21. *redditus*, reditus. 132. 10. *eo peracto*, eo pacto. 151. 28. *Mahomettano*, Mahometano. 155. 7. *scelestissimum*, sceleratissimum. 167. 22. *censuerat*, consueverat. 173. lit. A. *Quod inter*, Quod in te. 237. lit. B. *cit. epist.*, cit. opusc.. 247. lit. B. *Chrisost.*, Chrysost. ibid. lit. C. *docucum.*, documen. 288. lit. B. *ann.* 1606., ann. 1607. 299. lit. A. *Legate*, Legat., aut Legatus. 336. lit. B. *Herret.*, Hervet.. 341. 30. *aliàs*, alius.

F I N I S.



50